
LVIII
E
9





SACRARUM VATICANÆ BASILICÆ CRYPTARUM MONUMENTA

ÆREIS TABULIS INCISA

ET

A PHILIPPO LAURENTIO DIONYSIO

Ejusdem Basilicæ Beneficiario

COMMENTARIIS ILLUSTRATA

CURANTE

ANGELO DE GABRIELLIS

PRINCIPE PROXÆUDI &c. &c.



ROMÆ MDCCLXXIII.

TYPIS ET SUMPTIBUS ARCHANGELI CASALETTI

SUPERIORUM FACULTATE.



SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTI XIV.

P. O. M.

ANGELUS GABRIELIUS
S. P. D.



VOD Lucium illum Ciceronem dixisse aliquando refert Marcus Tullius, illud sibi mirum Athenis, atque infinitum videri, ut quacumque ingrederetur, in ali-

quam historiam vestigium poneret; id equidem multò verius Romæ, in maximo hoc omnium gentium domicilio, præsertim verò in ipso omnium magnificentissimo Vaticano Templo, dici posse non dubitaverim, PATER BEATISSIME. *Non solum enim aut in hac eadem Urbe, aut in superiori atque omnibus propria Templi illius parte, quaqua versus convertamus oculos, magnam aliquam, ac præclaram vetustatis memoriam intuemur; verum etiam in inferiori ipso, ac subterraneo admirandæ ædis recessu, nihil est profecto, quod non reconditæ, ac luculentissimæ omnium ferè temporum Historiæ monumentum aliquod exhibeat, atque oculis, & cogitationi præbeat contemplandum. Atque hic quidem eruditionis atque antiquitatis locupletissimus thesaurus cum omnium celebratur sermone, tum vero magnam sui ipsius videndi excitat cupiditatem. Quisnam est aut tam rudis hisce in rebus, aut tam hospes in Romana antiquitate, qui nesciat, reposito in illo loco, quamplurima, & quampretiosissima latere & Romanæ Ecclesiæ, & Christianæ Reipublicæ, & ipsorum etiam Cæsarum Regumque potentissimorum historiæ monumenta; eaque miro illic ordine atque apta dispositione asservari? At verò audiunt quidem*

multi

multi ab exteris hominibus, & a civibus ipsis Romanis, qui illuc descenderunt, & multitudinem, & varietatem, & præstantiam reconditarum ibi rerum prædicari. Verùm quò magnificentiùs eas audiunt ab aliis extolli, eò molestiùs ferunt easdem illas sibi quodammodo invideri, nec semper ad eas visendas contemplandasque sibi aditum aperiri. Quamobrem, quod jamdiù equidem in animo habebam, ut illas scilicet præstantissimas veterum seculorum reliquias, ex iis veluti tenebris, in quibus delitescunt, in apertam hominum lucem aere incisas, ac calamo inlustratas educerem, id jam Deo O. M. bene favente, non sine quadam mea ipsius opera, atque industria, videor esse consequutus. Clarissimus siquidem, idemque acerrimi ingenii, & singularis in Antiquitatis studiis judicii Vir Philippus Laurentius Dionysius, eadem ipsa monumenta attentiùs considerata, & diligentiùs expensa inlustrare aggressus est non longis iisque eruditissimis adnotationibus. Ego verò tum pro ea qua erga hanc Urbem patriam meam feror benevolentia ac pietate; tum pro eo, quo me non inficior plurimùm delectari nostrarum Antiquitatum studio, id potissimum curavi, ut apte delineata, nitidiori quam fieri posset cultu,

atque

atque operis delectu ære expressa ederentur. Atque exstitit tandem opus non indignum, illud sane, ut mihi quidem videtur, quod eruditorum omnium atque adeò Tuo ipsius, Beatissime Pater, *judicio comprobetur. Quod quum jam absolutum in hominum conspectum educendum esset, cujusnam viri principis illi erat exoptandum ardentiùs diligentiùsque conquirendum patrocinium, quàm tuum, cujus nomini potiùs illud erat dicandum, quàm Tuo? Tuo, inquam*, Pater Beatissime: *qui & tuum hoc quodammodo debes agnoscere, quum Amplissimi Tui templi proferat ornamenta, & in eo studium saltem ingenio obsequendi Tuo non poteris non probare. Novimus nos omnes exquisitam illam Tuam ac summa laude dignissimam vetustarum rerum cognitionem, quæ certè sive ad recolendam, sive ad ornandam historiam plurimum valent: Novimus quanto studio erga id genus litterarum abripiaris; quanto nimirum nullus tot Clarissimorum hominum, qui nostra hac ætate magnum in hisce rebus sibi nomen compararunt. Testis est regia illa atque adeo Pontificia munificentia, qua & Antiquitatis studiosos amantissimè foves, ac tutaris, & in conquirendis perscrutandisque tum sacræ, tum prophanæ*

Anti-

Antiquitatis reliquiis, diligentes acerrimosque viros adjuvas, incitas, impellis; & in ipsis Tuis Vaticanis Ædibus locum iis asservandis aptissimum nullis parcendo laboribus aut impensis jubes ædificari: quò videatur quàm in maximis regendæ Ecclésiæ curis minora ista litterarum ornamenta non modò non asperneris, verum etiam ea & in Te ipse, & in aliis cupidissimè amplectaris. Patere igitur, Clemens Optime Maxime*, ut quæ proprio suo quodam jure jam ad Te spectabant, Tuo nunc inscripta nomini prodeant in lucem, & tanto ornamento decorata Urbem, atque Orbem Terrarum universum pervagentur. Ego quidem mecum præclarè actum existimabo, si hæc eadem eximia illa tua benignitate ac clementia excipiantur, quam a Te,* Pater Beatissime*, ad pedum oscula provolutus in me Gentemque meam humillimè peto atque obsecro.*

APPROBATIONES.

DEmandante Rmo Patre Fr. Thoma Augustino Ricchinio Sacri Palatii Apostolici Magistro volupe mihi fuit legere *Sacrarum Vaticanæ Basilicæ Cryptarum Monumenta Commentariis illustrata* a Cl. Viro Philippo Laurentio Dionysio, ejusdem augustissimæ Basilicæ Beneficiato, pietate & doctrina in Urbe spectatissimo. Opus profecto numeris omnibus absolutum, in quo nihil deprehendi, quod bonis moribus, sanæque doctrinæ adversetur: quin imo multa ad sacros Ritus, atque Ecclesiasticam Disciplinam, ad cultum Principis Apostolorum, ad decus denique dignitatemque tam insignis Basilicæ, doctè accuratèque collecta, & digesta perspexi. Quamobrem publica luce dignissimum esse tutè affirmo. Ex Ædibus Sacræ Congregationis de Propaganda Fide 3. Julii 1772.

Stephanus Borgia Sac. Congreg. de Propaganda Fide a Secretis.

EX jussu Rmi P. Thomæ Augustini Ricchinii Magistri Sacri Palatii Apostolici perlegi *Sacrarum Vaticanæ Basilicæ Cryptarum Monumenta Commentariis illustrata* a Cl. Viro Philippo Laurentio Dionysio ejusdem Basilicæ Beneficiato, idque summa cum animi mei voluptate singularique admiratione. In iis enim nihil profecto occurrit, quod Religionis Christianæ Institutis, Catholicæque Fidei documentis adversetur; abdita vero Antiquitatis, ac obscura quæque facilè exponuntur, clarissimaque in luce collocantur. Quantocius igitur quod publici juris sint, maximopere optandum, cum ut ingens sacræ Antiquitatis studiosis commodum & utilitas, tum ut celebratissimo Templo scriptis quoque eruditorum Virorum nova ornamenta adferantur. Ex Ædibus S. Callixti XXVIII. Julii MDCCLXXII.

D. Petrus Aloysius Galletti Casinensis Abbas Fontis Vivi, in Bibliotheca Vaticana linguæ Latinæ Scriptor.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

Dominicus Jordani Patr. Antioch. Vicesg.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Augustinus Ricchinius Ord. Præd. Sac. Pal. Apost. Magister.

PRÆ-

PRÆFATIO.

Quum ædes Deo Optimo Maximo dicatæ quò magis antiquitate præstant, sacris Monumentis eò locupletiores esse consueverint, divitiis hujusmodi præfulgere quidem deberet Vaticanum S. Petri templum, quod vetustate imprimis conspicuum est, ac omnium ferme nationum frequentia toto sane Terrarum Orbe celebratissimum existit. Vix profectò credi potest, quot, quantique pretii donis Basilicam hanc antiqui Fideles cumularint, atque ornamentis amplificaverint. Singula recensere, neque commodum est, neque hoc loco opportunum; at pauca delibare, satis instituto consentaneum. Scyphos & patenas minores atque majores, *cereostata*, *pharos*, *gabatas*, *canistra*, *cantharos*, *coronas (a)*, *cruces*, sacras imagines & simulacra; multoties argentea, sæpe aurea, gemmisque pretiosis distincta, Liber Pontificalis seu vulgatus Anastasius Bibliothecarius passim commemorat; ex quo etiam discimus, *lectorium* ex argento purissimo, librarum pondo CXLIII, Sancto Pontifice Leone III mandante, ad sacras lectiones recitandas fuisse confectum, aliudque super quatuor pedes consistens Leonis IV jussu affabre cælatum. Ceolfridus Britannici monasterii abbas, Venerabili Beda teste *(b)* misit Ecclesiæ S. Petri *pandecten*, Divinorum scilicet bibliorum Codicem, a B. Hieronymo in latinum ex hebræo, vel græco fonte translatum. Constantem Augustum hujus nominis II *B. Petro Apostolo Evangelia aurea cum gemmis albis miræ magnitudinis in circuitu ornata*, per Vitaliani Romani Pontificis legatos e Constantinopoli ad Urbem revertentes obtulisse, scriptor vitæ ejusdem summi antistitis enarrat. Ex tribus mensis argenteis, & aliâ aureâ, unam, quæ Constantinopolitanæ Urbis descriptionem continebat, inter cetera dona Romam ad Basilicam Principis Apostolorum deferri jussit Carolus Magnus in suo Testamento, quod Eginhardus recitat. De altera mensa, quam Stephano Pontifici Romano Pippinus rex misit, regiique Nuntii ad S. Petri Confessionem obtulerunt, Paulus Summus item Pontifex in literis ad Regem ipsum datis enunciat, se eam consecrasse, addito anathemate in eos, qui præclarum illud munus ab Ecclesia S.Petri alienare ausuri umquam essent. Celebris olim fuit Basilicæ Vaticanæ crux

** *Sta-*

(a) *His vocabulis designabantur variarum formarum lychnuchi, seu instrumenta ad cereos, aliaque luminaria sustinenda.* (b) *Sub finem libri de sex Mundi ætatib. an. Mundi 4670.*

Stationalis appellata, quæ ex Divi Petri sacro altari accepta, ut memoriæ prodit Mallius *(a)*, populum quadragesimali tempore ad Stationes euntem præcedebat, atque *ob Christi, & Apostolorum ejus reverentiam in tanta veneratione a cunctis est habita, quod sicut cantores & regionarii asserunt, hac Cruce non delata, immunes a statione sæpe recedant*. Eandem meminit Benedictus S.Petri Canonicus in Ordine Romano *(b)*, ac vetus necrologium in Basilicæ archivo asservatum, in quo pridie nonas Decembris legitur, Magister Raynaldus, Domini Papæ camerarius, Crucem stationariam redemisse.

II. Sed nec silentio præterire hic prorsus licet aliorum generum monumenta, quæ etsi argento vel auro vel gemmis pretiosa haud existant, plurimùm tamen fieri debent, quod eorum ope historia, chronotaxis, ritus veterum, aliaque ad sacram antiquitatem spectantia aptissime illustrentur. Hujusmodi profecto sunt opera concinne tessellata ac varie picturata, quæ Musiva dicuntur; inscripti lapides; atque anaglypha; cælati præsertim sarcophagi. Veteris Basilicæ Vaticanæ tessellatam absidem, quam Pontifices Maximi Severinus & Innocentius III instaurarunt, a S. Silvestro I, & Constantino M. Augusto fuisse constructam, gravibus argumentis asserere fas est. Nec solo ejus absidis musivo, quod tamen magni æstimatum fuit, sacra Principis Apostolorum ædes nitebat. Varia enim sacella ibidem erigentes summi antistites, illa pulchris etiam musivis ornarunt atque instruxerunt. Ita plane Oratorium S. Gregorii Magni Gregorius IV, Sanctorum Processi & Martiniani Paschalis I, sanctæ Crucis Leo III, sanctæ Dei genitricis Mariæ Paulus I, & aliud in ipsius Beatissimæ Virginis memoriam dicatum Joannes VII decoravit; ut ii fidem faciunt, qui Romanorum horumce Pontificum gesta apud Anastasium literis tradiderunt. Ejus quidem sacelli, quod postremo loco indicavi, musivum spectasse Gregorius II videtur, cum in epistola ad Leonem Isaurum data, qua Principem hunc in sacras imagines debacchantem graviter ac paterne commonet, & ab errore pravaque illa agendi ratione dimovere nititur atque abstrahere, testem appellat Deum ipsum, se ad Divi Petri templum accedentem, ac ejusdem Apostolorum Principis, Virginis Deiparæ, & Jesu Christi Domini nostri picturas contemplantem, ad religionem excitari, & ad pias animi affectiones permoveri. Ita sane Gregorius II sacras imagines propugnat; quod deinde præstitit Hadrianus I in epistola ad Carolum Magnum data, ubi ait, suo adhuc ævo

(a) *De Vatic. Basilic. num.* 116. (b) *Num.* 10.

ævo in Urbe perstitisse basilicas curantibus prædecessoribus suis Silvestro, Marco, & Julio ædificatas, miræ magnitudinis, & depictas *tam in musivo, quamque in ceteris historiis cum sacris imaginibus ornatis*. Ad hæc Vegius, ut ipse testatur (a) in S. Petri templo concham vidit pretiosissimam, nobili & materia (nigri scilicet coloris marmore, alabastrique specie, quod Alabandicum terræ suæ nomine appellant) & arte elaboratam, positam ad os fistulæ, unde aqua derivabatur in baptisterium. Jam vero de inscriptis lapidibus quid loquar? Hujusmodi scilicet monumentis Vaticanum abundasse, facile insinuant codex Virdunensis cœnobii S. Vitoni, liber Chisianæ bibliothecæ MS. ac notatus num. 1133, Petrus Mallius, Maphæus Vegius, Jacobus Grimaldus, Turrigius, Donius & alii, qui multa in veteri templo Vaticano aut circa ipsum posita recitant Epigrammata seu monumenta marmore insculpta. Ad vetustos quod attinet Christianorum sarcophagos itidem ex marmore, atque opere anaglyptico cælatos, ex quibus complura ad sacram antiquitatem spectantia deprehendimus; eos non exiguo certe numero in Vaticano extitisse, probe norunt, qui Bosii, Severani, & Aringhii Romam subterraneam lustrarunt.

III. At rerum, quas hactenus commemoravimus, sive ob materiam, ex qua conflatæ erant, sive ob vetustatem utique pretiosarum, dolendum profecto est quamplurimas intercidisse. Vir ætate nostra plane egregius Ludovicus Ant. Muratorius, de præstantibus quibusdam Imperatoris Caroli M. tabulis seu mensis, quarum una a pio Augusto, ut supra indicavi, Basilicæ Vaticanæ, alia Ecclesiæ Ravvennatensi legata est, verba faciens, appositè inquit (b); *Perchè mai non son giunte fino a dì nostri due sì riguardevoli tavole? Varrebbono ora più che se fossero d' oro, e darebbono un maraviglioso pascolo alla curiosità degli Eruditi*. Profecto sententia hæc bene multis quadrat jam pridem deperditis ejusdem Basilicæ monumentis. Cur autem illa perierint, non una quidem causa est. Edacis rerum temporis longinquitati debemus imprimis militum effrænem licentiam in Romanæ Urbis direptionibus, aliorumque sacrilegorum hominum rapaces manus adjungere. Scio equidem Paulo Orosio teste (c), Vaticanæ S. Petri Basilicæ vasa aurea & argentea, magnitudine pondere ac pulchritudine spectatu digna, quæ Gothis anno Domini CCCCIX Urbem vastantibus, in quadam Ecclesiastica domo apud sacram Deo virginem jam ætate pro-

** 2 ve-

(a) *De reb. ant. memorab. Basil. S. Petri num.* 122. (b) *Annal. Ital. anno* 811.
(c) *Hist. Rom. lib.* 7. *cap.* 39.

vectam custodiebantur, direptionem evasisse Alarico rege curante, qui in Apostolorum templum ea tutissime reportari mandavit. Laudandum sane in rege barbaro, prædæque cupido, religionis officium. Sed posterioris ævi historiam versanti plures occurrunt, qui secus atque Alaricus sese gesserunt. Nam Basilicam Vaticanam, ex qua jampridem, Sergio I Pontifice, Joannes Ravennæ Exarcha res pretiosas ad valorem centum auri librarum abstulerat; dein a Longobardis, quibus rex Luitprandus imperabat, male habitam luget S. Gregorius III in literis ad Carolum Martellum: ideoque haud multos post annos Desiderio altero Longobardorum rege cum exercitu suo Romam appropinquante, Hadrianus I Pontifex Maximus ut Beatorum Apostolorum sacras ædes ab imminenti expilationis discrimine eriperet, earum cimelia, cunctosque ornatus jussit in Urbem introduci *(a)*. Quum enim ætate illa utrumque templum esset extra ejusdem Urbis mœnia, impiorum hominum sacrilegis manibus facile patebat. Ac revera Saracenis patuit, qui utramque Basilicam anno æræ Christianæ DCCCXLV devastarunt, ut Ducum Spoletanorum & Abbatum Farfensium Index *(b)*, aliique veteres scriptores memoriæ prodiderunt. Hinc ut hujusmodi ærumnas Leo IV antistes a Divi Petri sanctuario, quantum fieri posset, in posterum arceret, muris Vaticanum cinxit, & in civitatem Leoninam commutavit, quam ipsi Apostolorum Principi custodiendam tradidit, ac insuper Tiberinam oram turribus communivit *(c)*. Consilium sane prudens: non ideo tamen a flagitiosorum hominum vexationibus immunitatem Vaticana Basilica prorsus obtinuit. Quid enim? nonne sacræ hujus ædis thesaurum Adelbertus Italiæ rex, aliique anno Christi DCCCCLXIII rapuere? *(d)* Nonne ipsam expilavit Franconus ille Apostolicæ Sedis invasor circa annum DCCCCLXXV? Nonne Petrus Leonis, alius contra Innocentium II Pseudopontifex, *aureum Crucifixum, pendentes coronas*, ac ornamenta aurea & argentea, gemmisque distincta inde abstulit? *(e)* Atque, ut alia id genus omittam, nonne milites tum Ladislai regis Neapolis anno MCCCCIX *(f)*, tum Caroli V Imperatoris an. MDXXVII eamdem Basilicam diripuerunt?

IV. Equidem inficias non iverim, absumpta aliqua incendiis, quorum alterum, Divina tamen ope, & Apostolico suffragio extinctum, Glaber *(g)*, & Hugo Flaviacensis Abbas in Chronico Virdunensi

(a) *Apud Anastas. Biblioth in Hadr. I.* (b) *Apud Mabill. to 1. par. 2. Mus. Ital. p. 64.*
(c) *Anastas. in Leone IV.* (d) *Ex Continuatore Reginonis apud Pagium ad an. 963. n. 1.*
(e) *Bernard. Guido in vita Innocentii II.* (f) *Antonius Petri in Diario ad an. 1413.*
(g) *Lib. 2. Histor. cap. 7.*

nensi ad annum Christi DCCCCXCI *(a)* meminerunt; alterum, quo Fridericus Imperator, tempore Alexandri III, facellum S. Mariæ in Turri, quod in veteris Templi Vaticani atrio existebat, cum æneis portis & vicinis porticalibus sacrilege combussit, Cardinalis Nicolaus de Aragonia *(b)*, aliique narrant. Verùm incuria quoque majorum nostrorum fuit aliquando altera causa, cur quamplura Vaticana monumenta perierint. Ad excitandam, quæ nunc cernitur, augustissimam S. Petri Basilicam, primùm veteris Templi a Constantino Magno erecti pars occidentalis, Julio II Pontifice, solo æquata est; tum annis ferme centum exactis, pars altera ad orientem versa, Paulo V jubente, disjecta. De colligendis autem ac inspiciendis, asservandisque antiquitatis ruderibus in posteriori hac demolitione cogitatum ac provisum est quam diligenter; non item in priori. In prædicta siquidem occidentali vetustæ sacræ ædis parte exstabant præter tessellatam absidem alia musiva, Summis Pontificibus Paschali I, Leone III, & Paulo I curantibus, ut supra innuimus, fabrefacta; quorum tamen fragmentum nullum hodie superest, aut vestigium, si imaginem sanctissimi Salvatoris nostri, quæ in B. Petri Confessione adhuc visitur, & unam illam excipias absidem, cujus exemplum dumtaxat sive ectypon authenticum in membrana accuratè delineatum ac descriptum, in archivo Basilicæ hactenus custoditur. Ciboria magnificè ædificata, quæ altaribus in eadem Templi parte collocatis imminebant, sic destructa sunt, ut ne illorum quidem forma coloribus expressa modò remaneat. Frustra impræsentiarum, antiquitatis Studiose, veterem ex marmore suggestum seu ambonem quæsieris haud longe a sacra B. Petri Confessione olim positum *(c)*, in quo Evangelium decantari consueverat, quemve Pelagius I, & Leo III summi præsules, ut sese objectis purgarent criminibus dato jurejurando, ascenderunt: frustra invenire adniterreris, ac venerari cuperes ab aliorum, qui in Domino quievere Fidelium corporibus sejunctas, Gregorii III, & Eugenii item III exuvias; quorum priorem sanctitate, meritisque inter cælicolas præclarum, Martyrologium Romanum IV. kal. Decembris enunciat; posteriorem vero heroica virtute insignem Arnaldus Bonævallis Abbas *(d)*, & Petrus Venerabilis in epistola ad S. Bernardum data *(e)* prædicant, Cisterciense Martyrologium Sanctis adnume-

(a) *Apud Lab. Biblioth. MSS. tom. 1. pag. 158.*
(b) *In Vita Alexandri III.*
(c) *Alpharan. Tabul. Ichnograph. num. 7.*
(d) *Vit. S. Bernardi lib. 2. cap. 8.*
(e) *Epist. 46. lib. 6.*

numerat, ac Scriptor ocularis & synchronus ex nostro Vaticano Clero miraculis, quæ ad ejusdem Eugenii sepulchrum Deus patravit, in charta a Martenio *(a)* edita recensitis commendat. Amborum autem Pontificum corpora in Deiparæ oratorio condita erant, extructo ad ortivam faciem australis parastatæ, quæ veteris Basilicæ arcum triumphalem sustinebat. Hinc haud valde procul, in transversa scilicet navi, cineres quiescebant S. Pauli I, & Urbani II; quorum hic ob egregias plane virtutes ab historiographis celebratur; ille sanctorum catalogo adscriptus in Martyrologio Romano IV. Kal. Julii reperitur: utriusque tamen ossa, posita seorsim atque adservata, frustra investigaveris. Missa facio aliorum summorum antistitum sanctitate insignium, & illustrium virorum ac feminarum corpora, quibus non melior contigit fortuna.

V. Ex illorum autem sarcophagis marmoreis complures quidem ad nos integri pervenerunt: pauci in Vaticana Basilica hodieque asservantur, & in hoc opere delineati conspiciuntur; quos inter ille Junii Bassi Urbi præfecti ceteris præstat. Quærenti verò Agnetis Imperatricis epitaphium, quod cum sepulchro ejus exstabat, Maseo Vegio in vivis agente, scilicet XV Ecclesiæ sæculo, in Vaticano juxta altare S. Petronillæ, marmoreum hunc titulum ostendere nequeo; exscriptum ab eodem Vegio, suæque de S. Petri Basilica historiæ *(b)* insertum, recitare dumtaxat valeo ita habentem: *Anno* MLXXVII *ab Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi, Indictione* I *anno* V *Pontificatus Domni Gregorii Papæ VII, Agnes Imperatrix Augusta post mortem viri sui Henrici Imperatoris II anno* XXII, XIV *die mensis Decembris, animam bonis operibus fæcundam, Lateranis Salvatori suo atque omnium bonorum Deo reddidit: & hic ubi antea imperaverat (c), Clavigero cæli, pro cujus amore ibidem peregrinata fuerat,* V *die mensis Januarii expectans spem beatæ resurrectionis & adventum gloriæ Magni Dei, membra carnis commendavit in pace. Amen.* Multa sane epigrammata sepulchralia Pontificibus Romanis posita exhiberi quidem possunt relata a Petro Mallio in suum librum Alexandro III antistiti Maximo nuncupatum, atque ex Membranaceo Bibliothecæ Palatinæ codice apud Gruterum ad calcem collectionis antiquarum Inscriptionum, & ex aliis auctoribus; verumtamen ea legi nequeunt in vetustis ex jampridem deperditis lapidibus, in quibus sculpta fuerant.

VI. Etsi

(a) *Tom. 6. veter. Script. & monum. col.* 1141. (b) *Num. 95.*
(c) *Baron. ad an.* 1077, *num. 79. legit*, Militaverat *pro* Imperaverat.

VI. Etsi verò pleraque Vaticanæ Basilicæ antiqua, & spectatu digna monumenta partim ex majorum incuria, partim ex hominum malitia, partim ex temporis rerum omnium edacis diuturnitate perierint, multa nihilominus hodie supersunt; quibus illud in primis adnumerari debet Justini Senioris Augusti præclarum sane munus, argentea scilicet crux inaurata *(a)*, gemmis distincta, in aureo circulo particulas de verò Crucis ligno continens, hisque versibus exarata:

Ligno, quo Christus humanum subdidit hostem,
Dat Romæ Justinus opem, & socia decorem.

Sed & alia permanent monumenta, ac ea potissimùm, quæ olim exstabant in ejusdem veteris Templi parte, quam solo æquari Pont. Max. Paulus V jussit ad perficiendam absolvendamque novæ ipsius Basilicæ molem plane augustam. In ea demolitione aliò quidem extra Vaticanum nonnulla sunt delata. Exempla aliquot indicare juvat. Duo simulacra marmorea, quorum alterum S. Petri effigiem, alterum S. Pauli imaginem refert, & ambo Ottonis II Imperatoris sepulchro in atrio antiquæ Basilicæ Vaticanæ olim adstabant, prædictus Paulus V Tusculano Camaldulensium secessui addixit; ut is qui præsentis libri editioni sua cura non parum contulit, Clarissimus præsul Stephanus Borgia nunc a secretis sacræ Congregationis de Propaganda Fide, ex commentario apud Monachos illos asservato, perhumaniter mihi significavit. Musivæ aliquot sacræ imagines, quibus oratorium a Summo Pontifice Joanne VII in nostra Basilica erectum ornabatur, ad Ecclesiam S. Mariæ in Cosmedin translatæ fuerunt, ibique supra januam interius affixæ anno MDCLIX. In antiquo Vaticano choro, qui anno MDCIX dejectus fuit, præter alias picturas conspiciebantur supra Deiparæ imaginem delineati duo Angeli, alter in speciem sonantis lyra, alter fidibus: *Opus Petri de Perusia egregii pictoris*: inquit Iacobus Grimaldus in suo MS. Instrumentorum libro fol. 125, & mox ita subjungit: *Hos Angelos habuit Cardinalis de Montealto pro sacra ædicula in vinea sua ad S. Mariam Majorem.* Tabula marmorea Dominum nostrum Jesum Christum cruci affixum, atque hinc stantem Deiparam, & inde S. Joannem Evangelistam opere anaglyphico repræsentans, anno Domini MDCL ex Cryptis Vaticanis ad S. Balbinæ Ecclesiam, ubi hodieque visitur, delata est, ac antiquitus exstabat in eo Vati-

canæ

(a) *Posticam hujus Crucis partem tabula cælatam exhibet Cl. Paulus Paciaudi in Antiquitatibus Christianis de cultu S. Joannis Baptistæ Dissert. 6. cap. 9.*

canæ Basilicæ altari, quod Petrus Card. Barbus dotaverat, ut ex præsentibus Commentariis ad Tabul. XXXVII intelligimus. Quæ Roberto Malatestæ, Pontificii exercitus Duci & contra Alfonsum Calabriæ Ducem victori, a summo antistite Sixto IV posita fuit *(a)* statua equestris marmorea, in prædicta Basilicæ demolitione sub Paulo V anno Christi MDCVII in Cryptas deportata, ac deinde anno MDCXVI in Scipionis Card. Burghesii vinea ad Portam Pincianam, ut literis Turrigius *(b)* mandavit, collocata est. Una ex musivis Virginis Deiparæ imaginibus in sacello, quod Joannes VII Papa erexit *(c)* existentibus, dono data est Familiæ de Ricciis, Severano teste *(d)*, ut in eorum cappella Florentiæ in Ecclesia S. Marci a Fidelibus coleretur.

VII. Sed multa, quæ eam veteris Templi partem eodem Pontifice Paulo disjunctam ornabant monumenta studiose collecta in sacris custodiuntur Cryptis Vaticanis: qua nimirum appellatione vulgo designatur hypogæum, idest locus ille subterraneus, qui infra novi Templi Vaticani pavimentum proximè subjacet, ac partem non exiguam veteris pavimenti antiquæ Basilicæ complectitur, ideoque priscæ ejusdem sacræ ædis portio est, plurimo sanè cultu dignissima. Et hoc quidem hypogæum, quod ærea tabula ichnographica huic præfationi adnexa delineatum tibi, lector, exhibemus, in duas potissimum partes dividitur: altera sacram B. Petri Confessionem circuit ad Occidentem, Austrum, & Aquilonem: ab ista Summus Pontifex Innocentius IX, Turrigio *(e)* teste, partem secrevit alteram, quæ ad Orientem respicit, tribus parvis navibus distinguitur & extenditur, ac *Cryptæ veteres Le Grotte vecchie*, specialiter nominatur. In ambitu prædictæ S. Petri Confessionis ad meridiem tria extant sacella; quorum unum valde parvum & angustum in his commentariis ad Tabulam II memoratur; ex duobus aliis satis amplis, & in Deiparæ honorem dicatis, alterum Beatæ Mariæ Virginis vulgo *Della Bocciata*, ac etiam *De Febri*, & *De Porticu* dicitur, alterum sub appellatione ejusdem S. Mariæ *Angelorum*, sive *Prægnantium* innotescit, de quibus ad Tab. III. XI. & alias ac potissimum VI & XXIII fit mentio. Sed his perquam longe præstat sacellum & altare subterraneum *sacræ Confessionis B. Petri* vocatum, & ob ejus cineres sub ara ipsa reconditos Fidelium totius Christiani Orbis frequentia & pietate celebratum: quod quidem altare

(a) *Alpharan. Tabul. Ichnograph. num.* 55. (b) *Chrypt. Vatic. pag.* 601.
(c) *Cit. Alpharan. Tabul. num.* 114. (d) *Sette Chiese pag.* 72. (e) *Cit. lib. p.* 284.

tare cum ex temporis diuturnitate fatisceret, Summus Pontifex Callixtus II instauravit consecravitque anno Dñi MCXXIII die festo recurrente Annunciationis Deiparæ; cujus rei memoria literis tradita est a Petro Mallio propè finem libri sui de S. Petri Basilica, & in prisco Vaticano Martyrologio VIII kal. Aprilis adnotata in hunc modum legitur: *Consecratio altaris majoris Basilicæ B. Petri facta a Callixto Papa II cum universo Concilio anno ejus V Indictione I*. In ejusdem altaris mensa exstat sigillum crate ferrea munitum cum Sanctorum Reliquiis, & in lateribus impressæ sunt quinque cruces; aræque ipsi adest picta vetus tabula, quæ Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli imagines præfert. In iis autem, quas paulo ante indicavi, Veteribus Cryptis, ubi cernitur antiquæ Basilicæ pavimentum novo suppositum, tria visuntur altaria, quorum duo marmoreis Jesu Christi Domini Nostri imaginibus Tabula XXXIV illustratis decorantur, alterum picta Deiparæ effigies ornat, ut ad Tab. LXVII videre est.

VIII. Præter vetusta monumenta, quæ in hisce Cryptis custodiuntur, & in libro hoc illustrantur, silentio prætereundum non est, Christinæ Svecorum Reginæ Clar. corpus in eisdem sepultum fuisse: insuper Jacobi III Magnæ Britanniæ Regis, summo Catholicæ Fidei studio inprimis incliti, corpus ibi nunc quiescere; ejusque conjugis Mariæ Clementinæ Sobjeski, sanctarum virtutum christianarum exercitio ac splendore non minus quam regio sanguine admodum conspicuæ, corporis exuvias anno MDCCXXXV fuisse ibidem tumulatas; postea vero indè amotas, positasque in nobili monumento, quod ipsi Reginæ in eadem Vaticana Basilica extructum aspicitur. Conditoria insuper existunt, in quibus reposita est, atque adservatur terra e fundamentis eruta propè Beati Petri sepulchrum *(a)*, cum Paulus V Confessionem ipsius Apostolorum Principis adornavit, & Urbanus VIII quatuor illas admirabiles columnas æreas altaris majoris ciborium sustinentes erexit. Abs re non est hìc meminisse, quod Turrigius *(b)* testis oculatus, de priori effossione ante sacram Beati Petri Confessionem acta enarrat his verbis; *Ivi furono trovati molti sepolcri de' Santi; come ancor io viddi, avendovi visto (mentre vi era presente l' Illmo Sig. Card. Evangelista Palotto Arciprete di questa Basilica, & alcuni Canonici, & altri) un Papa vestito con pianeta e pallio, e dimostrava assai grande statura. Non però fu punto toccato per comandamento de' Superiori, ma subito si ricoprì. Vi furono trovati anco molti cadaveri infasciati con fascie larghe un deto, all' uso antico*

*** *in*

(a) *Turrig. Cr. Vat. pag.* 344. 349. & 361. (b) *Cit. lib. pag.* 61.

in croce. Di più in un bel pilo di tre palmi, un cadavero d' un bambino, che nè anco furono tocchi: & in un' altro, ove era scritto, Linus, e da uno in particolare nè uscì tal odore, che tutti i circostanti l' ebbero per cosa maravigliosa, come mi hanno essi riferito, che vi si trovarono presenti. Fu ben levato un pilo con un corpo dentro, perchè impediva assai, e trasferito nel muro, dietro a quella porta di marmo indorata (a) di che di sopra dicemmo che serviva per il ciborio d' Innocenzo VIII e molta della terra della Confessione vi fu portata. Quamquam verò ea corpora, quæ ex Turrigio mox indicavi, mota non fuerint; alia tamen multa, quæ sub veteri pavimento ac præsertim prope S. Petri altare, in sarcophagis marmoreis vel ex creta confectis, cum crucis, & palmæ insignibus inventa sunt, ad L circiter capsas ossibus plenas, religiose (quemadmodum & terra illa, de qua paulo ante dixi) adjuvantibus nonnullis Basilicæ Canonicis, & Pœnitentiariis delata fuerunt (b) in alia duo conditoria græco vocabulo *Polyandria* nuncupata in ambitu sacræ Confessionis Vaticanæ, hoc titulo apposito: *Huc congesta sunt ossa omnium sancta opinione defunctorum novi gratia templi eruta e loculis suis, ut communi conditorio requiescant. Paulus V. Pont. Max.*

IX. Tribus potissimum inferioris ævi Romanis Pontificibus curæ fuit hoc, de quo agimus, Vaticanum hypogæum adornare. Nimirum Clemens VIII subterraneum B. Petri sacellum seu cappellam superius memoratam e pario marmore ac variorum colorum lapidibus incrustari, atque tabulis auratis Acta & martyrium Apostolorum Petri & Pauli exprimentibus, quarum aliæ e gypso aliæ ex ære constant, decorari mandavit. Paulus V sacram B. Petri Confessionem anno MDCXV, Carolo Maderno ac Martino Ferabosco opus dirigentibus, in ampliorem formam redigi, pretiosis cingi lapidibus, & columnis, metallis, æneisque deauratis statuis duorum Principum Apostolorum egregiè cohonestari curavit. Quadringentos ante annos cratem ex metallo pulchre elaboratam, quæ nunc duabus cancellis æneis inauratis constans obserat eiusdem Confessionis locum sub ara maxima, Innocentius III Summus Pontifex fecerat, ut docent carmina a Panvinio (c) & Severano (d) in hunc modum relata:

Sic cum discipulis bis sex Christus residebit,
Cum reddet populis cunctis quod quisque debebit.

Ter-

(a) *Consule, si lubet, hujus libri Tab.* LXIX & LXXIV *n.3.* (b) *Turrig. Cr. Vat. p.31. & seq. 60. & seq. 444. & 447.* (c) *Lib.3. c.4.* (d) *De VII Urbis Ecclesiis pag.119.*

Tertius hoc munus dat Innocentius unus
Sit comes in vita tibi Petre Coisraelita.

Hi versus olim integri patebant in prædicta crate; hodie vero ejusdem tetrastichi nonnisi verba hæc in secundo antiquiori ex memoratis cancellis incisa facile leguntur: *Residebit, cum reddet populis cunctis quod quisque merebit* ※ *Tertius hoc munus dat Innocentius unus sit comes in vita*. Carmina ista alludere videntur cum ad pervetustam Salvatoris Nostri Jesu Christi imaginem opere musivo confectam, quæ librum apertum gestat, ubi ejusdem Christi Domini ea leguntur verba, *Ego sum via, veritas, & vita, qui credit in me vivet*; tum ad SS. Petri & Pauli effigies ab Urbano VIII ex tessellato opere instauratas, quæ cum prædicta nostri Redemptoris imagine, cui hinc inde adstant, in ipso sacræ Confessionis septo hodieque conspiciuntur. At non modo hanc populorum veneratione celebratissimam Vaticanæ Basilicæ partem iis, quæ innuimus, ornamentis Paulus V auxit; verum etiam alia præstitit: Ejusdem scilicet Confessionis ambitum, & duas ibidem existentes, ut supra diximus, Deiparæ cappellas, alteram *De Febri*, alteram *Prægnantium* appellatam, picturis decoravit, quæ veteris Templi Vaticani structuram, scalas, quadriporticum, sacella, altaria, musiva opera, aliaque ædificia & monumenta, ipso Paulo regnante, disjecta, adjacentis insuper Pontificii Palatii faciem, variasque sacras historias oculis objiciunt. Pictores autem, qui ista coloribus repræsentarunt, Turrigius *(a)* meminit, nempe Joannem Baptistam Ricci Novariensem, qui suæ artis peritiam in duabus Deiparæ cappellis mox commemoratis ostendit, Bartholomæum e Carraria, Bartholomæum Menduzza, Carolum Pellegrini, Cosmum Savelli, Æmilium Bononiensem, Guidum Ubaldum Abbatini, Joannem Baptistam Pianelli, Joannem Baptistam Speranza, Joannem Baccani, Gregorium Grassi, ac Thomam Romanum. Denique Pont. Max. Urbanus VIII Hipogæi Vaticani ornatum complevit, cum ad quatuor latera ambitus sacræ Confessionis totidem altaria in honorem scilicet Veronicæ, S. Andreæ Apostoli, S. Longini, & S. Helenæ erigi, atque cappellaniis ditari voluit, pictisque ab Andrea Sacchi Romano tabulis honestari; quæ diu in ipsis altaribus extiterunt, sed postmodum a Fabio Christophori tessellato opere expressæ, musiva hæc ibi posita sunt, archetypa verò ad Quirinale Palatium delata. Præsto autem

* * * 2 tibi,

(a) *Cr. Vat. pag.* 133. *& seq.*, 328. *& seq.*

tibi, Lector, est Ichnographica Vaticani hujus hypogæi Tabula numeris distincta & explicata, istique Præfationi adnexa, quæ majorem loci notitiam suppeditat.

X. De his, quas paucis mox delineavimus, sacris Vaticanis Cryptis lucubrationes typis jampridem excusas habemus, nimirum alii nonnihil scripserunt, nempe Alverus & Gizius; alii fusiori calamo tractarunt, Turrigius scilicet ac Ciampinus. Gaspar Alverus ea de re egit a pag. 181. ad 204. secundæ partis sui Operis, quod titulo prænotatum, *Roma in ogni Stato*, anno MDCLXIV evulgavit. Epiphanius Gizius Vaticanæ Basilicæ Clericus Beneficiatus, anno MDCCXXI Romæ edidit libellum ita inscriptum: *Breve Descrizione della Basilica Vaticana*, & in duas partes distributum, quarum prior ad augustum novum Templum attinet, posterior monumenta in Cryptis asservata commemorat. Longe tamen hos antecelluit Franciscus Maria Turrigius, utpote qui omnium primus, & majori planè studio, labore, atque eruditione monumenta ista versavit scriptis suis prælo subjectis, ex quibus auctores mox nominati profecerunt. Hic enim patria Romanus *(a)*, & Canonicus Ecclesiæ S. Nicolai in Carcere, non modo singularem diligentiam adhibuit, ut ipsorum nonnulla colligeret ac servanda curaret, ut is non semel testatur *(b)* verùm etiam cuncta illustravit ope Manuscriptorum Jacobi Grimaldi, & Tiberii Alpharani, quos infra commemorabimus. Ac primo quidem de hoc argumento opusculum, paucis videlicet foliis constans, anno MDCXXVIII typis tradidit, inscripsitque: *Sacre Grotte Vaticane*; Deinde anno MDCXXXV alium perquam valde auctum sub eodem titulo librum edidit: demum an. MDCXXXIX iterum in Urbe Roma hic liber cum aliqua est appendice excusus, quam inscriptio sic denotat: *Le Sacre Grotte Vaticane &c: Con aggiunta di correzione, e d' Indice copiosissimo*: atque hac postrema editione semper usi sumus, quoties eumdem Turrigii librum de Vaticanis Cryptis in præsenti nostro volumine allegavimus. Laudandus nunc est egregius præsul Joannes Ciampinus, cui sacræ antiquitatis cultores multum profecto debent, quod evulgandis monumentis, quæ sub fornice novi Basilicæ pavimenti asservantur, operam dederit in suo tractatu de sacris Ædificiis a Constantino Magno extructis. Cum enim plures Templi veteris Vaticani partes, antequam solo æquarentur, ne earum memoria periret, coloribus primum in volumine, quod

(a) *Mandos. Biblioth. Rom. to. 2. cent. 10. num. 34.* (b) *Cit. lib. pag.* 340. 343. 436. 455. 456. 465. & 576.

quod in ejuſdem Baſilicæ Tabulario cuſtoditur, Jacobi Grimaldi Adnotationibus exornatum, accuratè expreſſæ fuerint, & muris poſtmodum in ambitu ſacræ Confeſſionis, ut ſupra dicebamus, depictæ; has potiſſimum picturas ex eo volumine eruditus admodum ille præſul æneis Tabulis incidi, repræſentari, publicamqne in lucem edi curavit explicavitque; & ſi id ipſum quoad alia monumenta, quæ deſtructa non fuerunt, ſed provide in Cryptas delata ut ibi aſſervarentur, ac hodie permanent, præſtitiſſet, nempe ſi veteres lapideas Inſcriptiones juxta caracterum formam, qua exaratæ ſunt, marmorea ſimulacra & ſepulchra, ſarcophagos plurimum antiquos opere anaglyphico elaboratos, ſacriſque hiſtoriis inſignitos, ceteraque id genus, tabulis perinde, in quibus iſta poſſent diſtinctè inſpici, exhibere ſtuduiſſet; nil ferme reliquum eſſet quod ſapientes cuperent. Quod autem Ciampinus prætermiſit, ac fortaſſe Turrigius ob impenſæ gravitatem ne cogitavit quidem, ad hoc Excellentiſſimus Princeps Angelus Gabrieli animum applicuit; magnam ſcilicet antiquitatis rationem fieri debere probè intelligens, quæ in prædicto hypogæo nunc adſervantur opera muſiva, ſtatuæ marmoreæ, pictæ imagines antiquæ (illis nempè omiſſis, quas ex vetuſtis licet exemplis expreſſas Ciampinus, ut innuimus, evulgavit) ſarcophagi inſculpti, anaglypha, inſcripti lapides cum literarum forma, compendiis, nexibus, apicibus, imo ipſis etiam quadratarii ſphalmatibus, quæ in archetypis cernuntur, aliaque nonnulla vetera monumenta, æreis Tabulis ut delinearentur, ſuo conſilio & pecunia effecit, opera uſus Marii Combi cælatoriæ artis admodum periti: Hæ autem Tabulæ, ſupputata tum ea, quæ Cryptarum ſacrarum Ichnographiam exhibet, tum ea, quæ Operis frontem præcedit, ſunt numero octoginta quinque.

XI. Jam verò quoad commentaria ſeu adnotationes, quibus Tabulas explicari illuſtrarique oportebat, cum Horatius Orlandi, vir multa ſane eruditione præditus, a me pluries poſtulaſſet, ut laborem hunc aſſumerem, equidem recuſavi non ſemel, at amico efflagitanti tandem auſcultavi. Rem itaque aggreſſus, quoniam ſingulis prædictis monumentis ſingulæ inſcriptiones ſunt appoſitæ, eorum unumquodque ubi olim exiſteret, vel unde erutum, aut cui foret uſui, opportunè indicantes, has imprimis ob oculos habui, utpote pleraſque exaratas, & ſuis locis muro affixas, tempore Pontificis Max. Pauli V, cujus mandato altera antiquæ Baſilicæ pars diruta fuit; nonnullas verò haud multo poſt, nimirum Urbano VIII anti-

antistite Catholicam Ecclesiam gubernante. Turrigium, qui Jacobi Grimaldi labore multum profecit, sequutus ita sum, ut frequentes ejus digressiones evitaverim; quod in monumentorum expositione minus diligenter ille nonnumquam egit (nam & *quandoque bonus dormitat Homerus*) animadverterim; & non pauca adnotaverim ad monumentorum illustrationem idonea, quæ tum apud ipsum Turrigium & Grimaldum, tum apud Ciampinum & alios desiderantur; quod nosse quisque poterit, si cum eorum auctorum lucubrationibus commentaria hujus libri conferat. Ex prælaudato autem Jacobo Grimaldo Vat. Basilicæ Clerico-Beneficiato rerum antiquarum scientia valde prædito, qui plura volumina de eadem Basilica conscripsit, & die 7. Jan. an. MDCXXIII ex hac vita migravit; uti etiam ex Tiberio Alpharano altero ejusdem Basilicæ Clerico-Beneficiato, qui Tabulam Ichnographicam ipsum Vaticanum Templum vetus novumque præferentem summo plane studio delineavit, additis singularum partium brevibus ac distinctis explicationibus, quibus tamen longè copiosiores in peculiari edidit tractatu, obiitque anno Domini MDXCVI; ex duobus, inquam, his auctoribus sæpe mihi in contexendo præsenti Opere prælata lux est: cumque eorum scripta in archivo Basilicæ Vaticanæ autographa custodiantur, ex his fere testimonia ipsorum recitavi, tametsi prædicta Alpharani Tabula Ichnographica prælo data usus quoque sim, & aliquem Grimaldi locum ex apographo in bibliotheca Excellentissimæ Corsinorum familiæ existente retulerim. Præterea, in veterum monumentorum interpretatione sententiam domesticorum de Vaticana S. Petri Basilica Scriptorum sequi arbitratus sum, ubi nullum satis certum vidi eorum placitis argumentum obsistere. Idcirco explicans inscriptum lapidem, quem secundo loco exhibet Tabula XVII, legi: *Temporibus Domni Hadriani Pape hic* RECVNDILA SVM RELIQVIA *Sancti* SANCTORVM &c. non autem: RECVNDITA SVNT RELIQVIAS SANCTORVM &c. ut Joseph Blanchinus Congregationis Oratorii presbyter doctrina & pietate Clarissimus, mecum olim amice disserens, legendum esse opinabatur. Similiter, Longimanum Urbi Præfectum fuisse anno æræ Christianæ CCCXCIV, in commentariis ad Tabulam XXVII ex Contelorio & Muratorio equidem scripsi: non ideo tamen rejiciendam puto sententiam Cl. Eduardi Corsini, qui in serie Præfectorum Urbis ab se concinnata Urbanam Flavii Macrobii Longimani Præfecturam cum anno CCCCIII (*a*) conjungit. In his, atque id genus aliis, integrum

(a) *Pag.* 314.

tegrum cuique est eligere quod veritati magis conforme existimat; & nos *hanc veniam petimusque damusque vicissim*. Qua ratione monumenta distribuerem, aliquandiu cogitavi, ac tandem decrevi eum sectari ordinem, quo ipsa hodie sunt in sacris Vaticanis Cryptis disposita; etsi aliquando deserere coactus sim, cum scilicet monumenta inter se loco dissita cælator in eadem Tabula nonnumquam conjunxit ac delineavit. Consulto dixi, a me observari hodiernum dispositionis ordinem: horum namque monumentorum aliqua non eumdem semper in eisdem Cryptis locum occuparunt, sed successu temporis alio, non tamen extra ipsarum ambitum, translata fuerunt. Hæc inter adnumerare debemus anaglyphicum lapidem, qui Æterni Patris octo Angelis stipati imaginem refert *(a)* marmoream Alexandri VI statuam sepulchralem *(b)* Sanctorum Petri & Pauli simulacra *(c)*. Insuper unum & alterum aliquandiu in hypogæo extitit monumentum, quod postea delatum est supra novum Basilicæ pavimentum. Hic sane in majoris navis parte ad Aquilonem versa nunc pie marmor asservatur, muroque ibidem affixum jam erat Epiph. Gizii ætate *(d)*, cum hac inscriptione: *Super isto lapide multa corpora Sanctorum martyrio cæsa sunt. Erat in veteri Basilica ad lævam portæ juxta sacellum sanctissimi Sudarii. Anno Domini* MDCVI. At hoc marmor in Cryptis collocatum Turrigius *(e)* jam dudum meminerat. Ex eodem auctore *(f)* discimus, ejus ævo marmor aliud porphyreticum ænea crate munitum cum ei adnexa epigraphe in Vaticano hypogæo extitisse; quod postmodum, antequam tamen Gizius *(g)* suam Templi Vaticani Descriptionem anno MDCCXXI evulgaret, in Australem navis majoris partem delatum, & hic, ubi hodie visitur, religiose positum una cum prædicta Inscriptione sic habente: ✠ *Super isto lapide porfiretico fuerunt divisa ossa Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & ponderata per Beatum Silvestrum Papam sub anno Domini* CCCXIX, *quando facta fuit ī Ecclesia*. Quæ quidem inscriptio, XIV aut ad summum XIII Æræ Christianæ seculo, ut ex characterum forma deducitur, exarata, si de divisione unius corporis ab alio intelligenda sit, verum aliquo modo profert; si vero utriusque corporis scissionem indicare velit, gravibus plane argumentis ex remotiori antiquitate repetitis arguetur falsum enunciare.

XII. De

(a) *Tab. LXXI.* (b) *Tab. XLVII.* (c) *Tab. XXI. & XXII.*
(d) *Brev. Descr. Basil. Vat. pag. 39. & 40.* (e) *Cr. Vat. pag. 59.* (f) *Ibid. pag. 50.*
(g) *Cit. opusc. pag. 39.*

XII. De præsentis autem Operis utilitate præfari supervacaneum duxi; nam ex hisce monumentis res a veteribus gestas, Summorum Pontificum, Episcoporum & Cardinalium, atque peculiarium familiarum historiam illustrari; chronologiæ, disciplinæ Ecclesiæ, & variis antiquorum ritibus lucem afferri, ac Fidei Catholicæ dogmata quandoque etiam comprobari, lectores facile deprehendent: quos admoneri necesse est passim in istis commentariis designatam palmi Romani mensuram, qua in hujus Operis veteribus monumentis dimetiendis usus sum, non architectonicam esse, sed mercatoriam, illa sane longiorem. Qui autem scientia, eruditione, eloquentia, stylo præditi sunt, eos obsecro, ut meum hunc laborem suppleant, ejusque errores corrigant, ac ruditatem expoliant; si quid vero boni deprehenderint, id totum Deo Opt. Max. *Patri luminum* referant acceptum. En Ichnographica sacrarum Vaticanæ Basilicæ Cryptarum Tabula adjunctis explicationibus dilucidata.

ICHNO-

ICHNOGRAPHICÆ CRYPTARUM
TABULÆ EXPLICATIO.

1 *Cappella & Altare sub appellatione Sanctæ Veronicæ, ut in Præfatione n.* IX.
2 *Marmorea S.Jacobi Minoris Statua . Tab.*X.
3 *Christi monogramma Tab.* I *num.* 1, *& alterum ex polyandriis, de quibus in Præfatione num.* VIII.
4 *Peranguſtum ſacellum & Altare* : Il Salvatorino *nuncupatum, ubi anaglypha ex marmore imago Æternum Patrem aut Filium ejus Jeſum Chriſtum repræſentans, ac duo Angeli marmore item inſculpti extant . Tab.* II.
5 *Crux marmorea . Tab.* I *num.* 2.
6 *Deiparæ ſacellum* de Febri *ſive* de Porticu *vocatæ, ut in Præfatione num.* VII. *In hujus cappellæ ſive Oratorii ingreſſu hinc S. Matthei, inde S. Joannis marmorea imago affixa muro eſt. Tab.* XX.
7 *Marmora anaglyptica ſeu phrygia antiquiſſima, duoque pariter marmorei ſarcophagi perquam vetuſti . Tab.* III.
8 *Marmorea fragmenta ſanctionis a S. Gregorio III in Synodo Romana editæ . Tab.* IV *&* V.
9 *B. Mariæ Virginis Altare & imago a Memmio picta, ad cujus latera marmoreæ duorum angelorum effigies adſtant . Tab.*VI. *Item lapides, ſuper quos ſanguinem fudiſſe dicitur ea Deiparæ imago impiè percuſſa . Tab.* VI *&* IX *num.*2. 3. *&* 4.
10 *Benedicti Papæ XII marmoreum ſimulacrum, ac monumentum tecti Baſilicæ ab eo innovati . Tab.* VII *&* VIII *num.*2.
11 *Marmorea Principis Apoſtolorum ſtatua . Tab.*IX.
12 *Muſivum opus, quod Salvatorem Noſtrum Chriſtum, atque hinc & inde Sanctos Apoſtolos Petrum & Paulum exhibet . Tab.*X *n.*1.
13 *Oſtium, per quod fit tranſitus ad ſacram B. Petri Confeſſionem, & cujus poſtes ſunt marmora anaglyptica ſeu phrygia vetuſtiſſima . Tab.* I *num.* 3. *&* 4.
14 *Cappella ſeu Oratorium S.Mariæ* Prægnantium & Angelorum *quoque dictum, ac in Præfatione num.* VII *commemoratum, in cujus ingreſſu ad latera extant ſimulacra marmorea Sanctorum Apoſtolorum Jacobi Majoris & Jacobi Minoris . Tab.* XI *num.*4 *&* 5.
15 *In hac ejuſdem ſacelli parte muro affixi conſpiciuntur lapides præſeferentes Crucem peculiaris formæ . Tab.* XI *num.* 2. *Noſtri Salvatoris imaginem Tab.* XI *num.* 1. *Inſcriptionem de parato ad ſacrum Lanceæ ferrum cuſtodiendum loco . Tab.* XII. *Deiparæ ſtatuam . Tab.* XIII . *Cherubinorum imagines . Tab.* XIV . *Bonifacii PP. VIII ſimulacrum . Tab.* XV . *Epitaphium S. Bonifacio PP. IV poſitum . Tab.* XVI. *Et Crucem ex muſivo . Tab. item* XVI.
16 *Locus, in quo jacuerunt corpora Sanctorum Leonum I. II. III. & IV Summorum Pontificum, ac de eiſdem alio translatis inſcripti lapides . Tab.* XIX. *Ubi & alia extant monumenta : anaglyphum ſcilicet par illis, quæ in Tab.* I *num* 3 *&* 4. *Tab.*III *num.*1.2 *&* 3 *ac Tab.* LXXI *ſpectantur .*

Tres Orationes pro Summo Pontifice Gregorio III. Tab. VIII *num.*1.

Rainaldi Card. Urſini lapis Sepulchralis . Tab. XX.

Muſiva S.Petri Apoſt. imago . Tab. XVIII *num.* 3.

Joannis PP. VII effigies ex muſivo . Tab. XVIII *num.* 4.

Ejuſdem Joannis VII nomen marmore expreſſum . Tab. XVIII *num.* 2.

Picta imago Deiparæ puerum Jeſum geſtantis, cui duo Angeli adſtant . Tab. XVIII *num.* 1.

Marmorea inſcriptio, quæ Jeſu Chriſti Sudarium, ſeu Vultum Sanctum , *Pontifice Hadriano I, reconditum fuiſſe indicat juxta Vaticanos Scriptores . Tab.* XVII.
17 *Altare & picta imago B. Virginis Mariæ* de Prægnantibus *nuncupatæ . Tab.* XXIII *num.* 1. *Ad aræ hujus latera ſpectantur ſimulacra marmorea SS Apoſtolorum Petri & Pauli . Tab.* XXI *&* XXII.
18 *In hac memorati ſacelli parte extant, quæ ſequuntur monumenta : nempe, marmoreum anaglyphicum opus, impium Neronem, Sanctos Apoſtolorum Principes, armatoſque milites exhibens . Tab.* XXIII *num.*2.

Marcelli Subdiaconi Epitaphium . Tabul. XXIV.

Musivum opus, quo Angelus repræsentatur, Tab. XXVI *num.* 2.

S Augustini parva statua marmorea. Tab. XXVI *num.* 1.

Monumentum licentiæ tumulationis in Vaticana Basilica concessæ Petro Exeribuno voluptatis, & Joannæ ejus conjugi a S. Hormisda Pont. Max. Tab XXV.

Titulus sepulchralis Dulciti & Eutychitis Notariorum Ecclesiæ Romanæ, ac Petri Subdiaconi ejusdem Ecclesiæ. Tab. XXV.

Crux parva ex marmore. Tab. XI *num.* 3.

Sepulchralis titulus Joannis Aliciensis. Tabul. XXIV.

19 *Carmina a S.Damaso composita*. Tab. XXVII *num.* 1.

20 *Hic legitur fragmentum sanctionis a Gratiano, Valentiniano II ac Theodosio seniore, aut ab aliis fortasse Augustis editæ*. Tabul. XXVII *num.* 2. *Beatæ Virg. Mariæ imago ex musivo, atque Apostolorum Joannis & Bartholomæi simulacra marmorea existunt*. Tab. XXIX *num.* 5. 6. & 7. *Et quatuor Evangelistæ, ac totidem Ecclesiæ Doctores in forma rotunda marmoribus expressi conspiciuntur*. Tab. XXIX. XXX. & XXXI. *Aliique sunt lapides, quorum unus nomen Jesu figlis designatum exhibet*. Tab. XXX *num.* 3. *Duo autem Angelos totidem adumbrant*. Tabul. XXX *num.* 4. & 5. *Duoque alii sanctos Apostolos Philippum & Jacobum, ut dicitur, repræsentant*. Tab. XXXII *num.* 3. & 4.

21 *Quatuor alia anaglypha ex marmore quatuor Ecclesiæ Doctores præferentia*. Tab. XXVIII. *Bina insuper alia, in quibus binos Angelos seu genios gentilitium quoddam stemma tenentes sculptor effinxit*. Tab. XXXII *n.* 1. & 2. *Effigies capitis S. Andreæ Apostoli; forma columbæ, Spiritus Sancti simbolum; & crux, cui duo Angeli adstant*. Tab. XXXIII.

22 *Cappella & Altare S. Andreæ Apostoli, ut in Præfatione num.* IX.

23 *Janua, per quam fit ingressus ad Cryptas veteres in Præfatione num.* VII. *memoratas*.

24 *Altare, supra quod marmorea Salvatoris nostri imago patet*. Tab. XXXIV. *num.* 1. *Et ante aram ipsam sepulchralia Card. Nardini, & Carolæ Cypri Reginæ monumenta humi jacent*. Tab. XXXVIII.

25 *Mutilum Catelli Epitaphium*. Tab. XVII.

26 *Visitur hic agnus lapide anaglyphico expressus*. Tab. XXXIV. *num.* 3. *Mutila sequuntur monumenta marmorea: scilicet, Donationis Comitissæ Mathildis*. Tab. XXXV. *Narrationis quarumdam visionum*. Tab. XXXVI. *Cappellaniæ a Card. Barbo fundatæ*. Tab. XXXVII. *Atque integrum Amaurici Comitis Montisfortis Epitaphium*. Tab. *item* XXXVII.

27 *Mutilum marmor continens plurium Sanctorum nomina*. Tab. XXXIX. *Ac monumentum de Nicolai Acciajoli pia cura in veterem sanctæ Dei Genitricis imaginem servandam*. Tab. XLI. *Aliusque exigui fragmentum lapidis, aliquot Sanctorum nomina præferentis*. Tab. XL.

28 *Mutilum Epitaphium versibus concinnatum, ac Domitio religione Christiano ab ejus conjuge positum*. Tab. XLII. *Fragmentum alterius epitaphii metro conscripti*. Tab. XL. *Prope extat Jacobi III magnæ Britanniæ Regis tumulus.*

29 *Hic (& in aliis hujus hypogæi locis) servatur terra eruta e fundamentis prope sepulchrum S. Petri, ut in Præfatione num.* VIII.

30 *Ricardi Card. Longolli epitaphium mutilum*. Tab. XLII.

31 *Sepulchralis tabula Card. de Thebaldescis*. Tab. XLIII. *Et Epitaphium Petro Canonicorum Priori positum* Tab. XLIV.

32 *Felicis Diaconi titulus sepulchralis*. Tab. XLV

33 *Gregorii PP. V. sarcophagus & Epitaphium*. Tab. XLVI

34 *Ottonis II. Imp. sarcophagus*. Tab. XLV.

35 *Alexandri PP. VI simulacrum sepulchrale*. Tab. XLVII. *Hinc & inde existunt crustæ seu tectoria, in quorum altero præcordia Benedicti XIII Summi Pontif., in altero Christinæ Suecorum Reginæ condita sunt*. Tab. XLVII. *Muro autem clausus est lapis porphyreticus figuræ orbicularis*, Rota *appellatus*. Tab. LI. *n.* 1.

36 *Hadriani IV Pontificis Romani sepulchrum*. Tab. XLVIII. *num.* 2.

37 *Sarcophagi Summorum Pontificum Pii III.* Tab. XLVIII. *num.* 1. *Et Pii II.* Tab. XLIX *Ac sepulchrale monumentum Francisci Card. Piccolominei*. Tab. L *num* 2. *Hic in pavimento legitur breve Epitaphium Augustino Tudeschino Pii III nepoti positum, relatumque sub finem commentar. ad Tab* L.

38 *Monumenta sepulchralia duo, alterum scilicet Bonifacii PP. VIII.* Tab XLIX. *Alterum Raymundi Zacosta Magistri Ordinis Jerosolymitani*. Tab. L *num.* 1.

39 *Sepulchra Benedicti Gaetani Card.* Tab. LI. *num.* 2. *Jacobi item Gaetani*. Tab. LII. *n.* 1. *Et Pe-*

Et Petri Card. Hispani. Tab. LII *num.* 2.
40 *Nicolai Papæ V. sepulcrum. Tab.* LIII.
41 *Monumentum sepulcrale Pauli Papæ II. Tabul.* LIV.
42 *Julii Papæ III. sarcophagus. Tab.* LV. *n.* 1.
43 *Per hanc viam a Clemente Papa VIII. apertam, ut in sacrarum harumce Cryptarum Tabula Ichnographica anno* 1635. *edita legitur, Summos Pontifices Vaticanum palatium incolentes, orationis causa ad B. Petri Confessionem descendisse, scribit Ciampinus in explicationibus alterius Tabulæ Ichnographicæ sacri ejusdem hypogæi ad num.* 45. *ubi hæc addit*: Quam devotionem nostris temporibus imitatus est Clemens IX.
44 *Sepulcrum Nicolai Papæ III. & Rainaldi Card. Ursini. Tab* LV. *num.* 2.
45 *Item Urbani Papæ VI. Tab.* LVI.
46 *Atque Innocentii Papæ VII. Tab.* LVII.
47 *Marcelli Papæ II. sepulcrale monumentum. Tab.* LVIII.
48 *Innocentii Papæ IX. sepulcrum. Tab.* LXI *num.* 2.
49 *Card. Petri Fonsecæ statua sepulcralis, & epitaphium. Tab.* LIX.
50 *Item sepulcralis inscriptio & simulacrum Card. Ardicini De la Porta senioris. Tab.* LX.
51 *Baptistæ Card. Zeno marmoreum insigne gentilitium. Tab.* LXI. *num.* 1.
52 *Berardi Card. Heruli sepulcrale monumentum. Tab.* LXII.
53 *In hoc cubiculo exstant epitaphia Francisci Bandini Piccolominei Archiepiscopi Senensis. Tab.* LXIII. *num.* 3.

Agnesinæ Columnæ. Tab. LXIV.

Et Joannis Podii Episcopi Bononiensis. Tabul. LXIII. *num.* 1.

54 *Sepulcralia simulacra Maffioli Episcopi Plocensis. Tab.* LXV *num.* 1. *ac Theobaldi Archiepiscopi Bisuntini. Tab.* LXV *num.* 2.
55 *Sepulcralis tabula cujusdam nobilis militis natione Galli. Tab.* LXVI *num.* 1.

Simulacrum sepulcrale Joannis Card. Langrolasii. Tab. LXVI *num.* 2.

Joannis Baptistæ Perbenedicti epitaphium. Tab. LXIII. *num.* 2.

56 *Altare, in quo est marmorea imago Christi Domini brachia extendentis. Tab.* XXXIV *num.* 2.

Ad alterum hujus aræ latus extat tumulus Christinæ Svecorum Reginæ; ad alterum tabula seu mensa cum sustentaculo affabre laborato. Tab. XXXIV. *n.* 4.

57 *Aliud Altare, in quo Deiparæ imago coloribus expressa cernitur. Binique ex marmore Angeli, unus hinc alter inde, ad latera ejusdem aræ adstant. Tab.* LXVII.
58 *Sepulcrale monumentum Card. Ardicini De la Porta junioris. Tab.* LXVIII.
59 *Janua, qua e Cryptis veteribus exitur.*
60 *Cappella & Altare S. Longini, ut in Præfatione num.* IX.
61 *Musiva S. Pauli Apostoli imago. Tab.* LXIX *num.* 1. *Alius Apostoli effigies musivo item expressa. Tab. eadem num.* 2. *Lapisque ita inscriptus*: Huc mulieribus ingredi non licet

Nisi unico die lunæ post Pentecosten
Quo vicissim viri ingredi prohibentur
Qui secus faxint, anathema sunto.

62 *Marmor valvas, binosque Angelos repræsentans. Tab.* LXIX. *num.* 3.

Alterum ex polyandriis, in quo, ut ex Præfatione num. VIII. *constat, multorum sancta opinione defunctorum ossa condita sunt.*

Picta S. Petri Apostoli imago. Tab. LXX *num.* 1.

63 *Anaglyphum B. V. Mariam cum puero Jesu, sanctisque Apostolis Petro & Paulo, ac Cardinali in genua procumbente exhibens. Tabul.* LXXII *num.* 3.

Marmoreæ Principum Apostolorum Petri & Pauli statuæ. Tab. LXX *num.* 2. & 3.

Marmor octangulare, quo Deus Pater Angelis circumdatus anaglyphice adumbratur. Tab. LXXI.

64 *Anaglyphum, quo Evæ creatio ob oculos ponitur. Tab.* LXXIII *num.* 4.

Aliud simile arborem cum serpente preferens. Tab. eadem num. 5.

Simulacra sanctorum Evangelistarum Joannis & Lucæ. Tab. LXXII *num.* 1. & 2.

65 *Alia duo consimilia marmora, quæ SS. Apostolos Petrum & Paulum videntur exhibere. Tab.* LXXIV *num.* 1. & 2.

Marmor valvas exhibens, in quibus superne effigies Salvatoris, ad latera imagines Angelorum conspiciuntur. Tab. LXXIV *n.* 3.

66 *Ostium aliud, quo aditus ad sacram B. Petri Confessionem patet, & cujus postes sunt marmora anaglyphica vetustissima. Tab.* LXXI
67 *Marmoreæ Fidei ac Spei simulacra. Tabula* LXXIII. *num.* 1. & 3.
68 *Anaglyphum Resurrectionem Christi exhibens. Tab.* LXXV *num.* 4. *Supra hoc marmor*

mor antiquissima exstat Deiparæ imago ex musivo. Tab. *eadem num*.2.

Aliud anaglyphum, quo judicium universale repræsentatur. Tab. LXXVI *num*. 1.

Charitatis marmoreum simulacrum. Tabula LXXIII num. 2.

Statua S. Matthiæ Apostoli. Tab. LXXVII *num*. 3.

69 *S. Andreæ Apostoli caput marmore anaglyphico expressum*. Tab. LXXVII *num*. 1.

Aliud simile anaglyphum. *eadem Tab*. *n*.2.

Francisci Piccolominei Archiepiscopi Senensis Inscriptio. Tab. LXXVI *num*. 3.

Christi Domini marmorea imago. Tabula LXXVI *num*.2.

70 *Cappella & Altare S. Helenæ, ut in Præfatione num*. IX.

71 *Oblonga anaglyphici operis tabula marmorea, quæ præsefert tum Christum Dominum B. Petro Apostolo claves tradentem; tum Apostolorum Principem, qui claudum sanat*. Tab. LXXIX *num* 2. & 3.

72 *Par lapis crucifixionem S. Petri Apostoli exhibens*. Tab LXXIX *num*. 1.

Exadverso duobus bis marmoribus spectantur aliquot Apostolorum statuæ. Tab. LXXVII *n*.4. & 5. *ac Tab*. LXXVIII.

73 *Junii Bassi Urbi Præfecti sarcophagus*. Tabul. LXXXI.

74 *Magna marmorea tabula anaglyphice elaborata S. Pauli Apostoli martyrium exprimens*. Tab. LXXX num. 1.

75 *Consimilis tabula lapsum Simonis Magi repræsentans*. Tab. LXXX. *num*. 2.

Duobus bis amplis lapidibus exadverso conspiciuntur aliquot Apostolorum statuæ. Tab. X *num*. 3. & 4. *ac Tab*. LXXVIII.

76 *Aditus ad subterraneum sacræ Confessionis cubiculum & aram ducens, cujus latera forinsecus duo ornant Angeli ex Pario marmore*. Tab. LXXV. *num*. 2. & 3.


77 *Subterraneum sacræ Confessionis Altare, de quo in Præfatione num*. VII.

78 *Sacra B. Petri Confessio, in Præfatione n*. IX. *memorata*.

79 *Hoc schemate designatur humanum corpus exanime hic repertum, quod loco emotum non est*.

80 *Hoc etiam schemate, aliisque similibus signis denotantur nonnullorum, ut credere par est, Sanctorum ossa circa sacram Confessionem prope S. Petri Apostoli cineres inventa; & quo in loco reperta, in ipso item hodie quiescentia, ut in Præfat. num*. VIII. *narratur*.

SACRA-


73
76
72
71
70
69
77
68
78
67
66
65
79
64
80
63
62
57
61
58
56
59
53
55
60
52
54
50
51
49

SACRARUM VATICANÆ BASILICÆ
CRYPTARUM MONUMENTA
COMMENTARIIS ILLUSTRATA.

TABULA I.



Ecenſentibus nobis vetera monumenta in Vaticanæ Baſilicæ hypogæo aſſervata, & eum, uti deliberavimus, ordinem, quo illa ſunt ibi diſpoſita, ſecutis, jucundiſſimum accidit, opus hocce a Chriſti Redemptoris noſtri Nomine feliciter inchoare, ut ad ejus gloriam labor iſte quicumque tandem ſit referatur. Hæc igitur Tabula num. 1. exhibet quadratum lapidem palmi Rom. circiter unius, e veteris Conſtantinianæ S. Petri Baſilicæ ruderibus ſervatum, piæque Fidelium Venerationi expoſitum anno MDCLVII. in ambitu Confeſſionis ejuſdem Apoſtolorum Principis, Meridiem verſus: in hoc autem marmore excalptum apparet Chriſti Domini monogramma, ideſt nota compendiaria ex duabus literis Græcis X, & P, latinè Ch & R, compoſita, qua ejuſdem Reparatoris noſtri nomen, Χριστός, vel prioribus Chriſtianæ Reipublicæ temporibus deſignari conſueviſſe ratum eſt. Julianus Aug. veræ Religionis impius Apoſtata in ſuo *Miſopogone* ſemel, ac iterum de nota X meminit (*a*) eaque Chriſtum ſignificari, ex quibuſdam Chriſtianis interpretibus ſe didiciſſe refert. At luculentius ad rem Euſebius Cæſarienſis labarum deſcribens ſic habet (*b*) Ὑψηλὸν δόρυ χρυσῷ κατημφιεσμένον, κέρας εἶχεν ἐγκάρσιον, σταυρῦ σχήματι πεποιημένον· ἄνω δὲ πρὸς ἄκρω τῦ παντὸς, στέφανος ἐκ λίθων πολυτελῶν καὶ χρυσῦ συμπεπλεγμένος κατεστήρικτο. Καθ' ὗ τῆς σωτηρίυ ἐπηγορίας τὸ σύμβολον, δύο στοιχεῖα τὸ Χριστῦ παραδηλῦντα ὄνομα, διὰ τῶν πρώτων ὑπεσήμαινον χαρακτήρων, χιαζομένυ τῦ P κατὰ τὸ μεσαίτατον· ἃ δὴ κατὰ τῦ κράνυς φέρειν εἴωθε κἂν τοῖς μετὰ ταῦτα χρόνοις ὁ Βασιλεύς; Nempe, Henrico Valeſio interprete: *Haſta longior auro contecta tranſverſam habet antennam inſtar crucis. Supra in ipſa haſtæ ſummitate corona erat affixa, gemmis, & auro contecta. In hac ſalutaris appellationis ſignum, duæ videlicet literæ nomen Chriſti primis apicibus deſignabant, litera P in medio ſui decuſſata: Quaſquidem literas Imperator in galea geſtare poſt hac etiam conſuevit.* Non duas tantum priores, verum etiam Græcas omnes literas, quibus ipſum Chriſti nomen conſtat, in hoc monogrammate S. Paulinus Epiſcopus Nolanus perſpicacia plane ſingulari deprehendit. Hujus præſulis tum eruditione tum Sanctitate conſpicui verba accipe ex Natali XI (*c*) deprompta.

Nunc eadem crux, diſſimili compacta paratu,
Eloquitur Dominum tanquam monogrammate Chriſtum.
Nam nota, qua bis quinque notat numerante Latino,
Calculus, hac Græcis Chi *ſcribitur, & media eſt* Rho,
Cujus apex & Sigma (*d*) *tenet: quod rurſus ad ipſam*
Curvatum virgam, facit O *velut Orbe peracto.*
Nam rigor obſtipus facit I, *quod in Ellade* Iota *eſt.*
Tau idem ſtilus, ipſe brevi retro acumine ductus,
Efficit. Atque ita ſex, quibus omni nomine Nomen
Celſius exprimitur, coeunt elementa ſub uno
Indice, & una tribus formatur littera virgis.

A

Hinc

(*a*) Pag. 94., & 106. edit. Pariſ. 1566. (*b*) Vit. Conſtantin. M. lib. 1. cap. 31. al. 25. (*c*) Verſ. 617., & ſeq. apud clar. Ludovic. Anton. Murator. in Anecdot. tom. 1. (*d*) Equidem *Sigma* legendum puto, non *Signa*.

Hinc ea omninò rejicienda est interpretatio, qua imperiti nonnulli idem monogramma explicant, *Pax Christi*, sive *Pro Christo*: Perperam quidem, literæ enim illæ Græcæ sunt, non Latinæ. Verum & ex prolatis Eusebii, ac Paulini testimoniis non obscure intelligitur quam ineptum sit illud Jacobi Basnagii Viri cæteroquin docti commentum, quo novator iste intemperantis critices æstu percitus in sua Historia Judaica (a) auctiore ab se reddita Anno Domini MDCCVI. notam, seu signum, de quo agimus, Ethnicis etiam commune fuisse censet. Non ego pluribus errorem hunc refellam, hac enim provincia egregie functus est vir clar. Dominicus Georgi prolixa Dissertatione De Monogrammate Christi Domini inscripta, editaque Romæ MDCCXXXVIII. Ipsum autem Christi monogramma non modo, ut supra vidimus a Constantino Augusto in galea, & labaro expressum fuit, verum etiam in Christianorum Veterum anulis aliquando, ac sæpe numero in eorum lucernis, atque sepulchris designatum uterque Bosius, Antonius scilicet & Jacobus, Aringhius, Lipsius, Gretserus, Fabrettus, Bonarotius, aliique observarunt.

Quæ in præsentis Tabulæ num. 2. repræsentatur Crux marmorea, altitudine palm. VIII. latitudine V. semis, in summitate anterioris faciei Basilicæ Vaticanæ veteris olim existebat; nunc vero in sacræ Divi Petri Confessionis meridionali parte anno Christi MDCVI. ibi muro affixa occurrit. Transversa hujusce Crucis extremitas dextera in rotundam definit figuram, qua cornu quoque lævum, & rectæ hastæ supremum, si bene video, sculptor finivit, ut operi venustatem adjungeret. Nam etsi in superiori, & sinistra extremitate alii duo circulares ornatus, utpote qui jamdudum interciderint, modo non appareant, eorum tamen vestigia dignoscuntur. Jacobus Grimaldus in suo Instrumentorum libro manuscripto, qui in Vaticanæ Basilicæ Archivio custoditur, Crucem istam commemorans, ad oram pag. 87. sic notat: *Socculum tenens crucem sculptum erat certis literis Græcis gentilium sepulchri Flaviæ Agrippinæ: & inversæ erant deorsum, ac partim mutilatæ pro faciendo dicto socculo, quas excipere non curavi, cum essent Gentilium*. Nihilominus in eadem paginæ ora hæ græcæ literæ exaratæ conspiciuntur.

ΘΥΚ
ΑΒΙΑ ΑΓΙΠΠΙ
ΝΑ ω ΝΗΔΥ
Μω
ΕΥΘΕΡω
ΙΝΙΑ

Hæc Grimaldus, prædictæ S. Petri Basilicæ Clericus Beneficiatus, qui tunc aderat, cum frons ipsius Vaticani Templi veteris, ad absolvendum, perficiendumque novum dejiciebatur. Ejusdem Crucis antiquitatem ex Divi Silvestri I. Romani Pontificis ævo Turrigius (b) repetit. Fides sit penes auctorem. Opus illud fieri potuit curante aliquo e Silvestri successoribus, quos inter Gregorius IX. prædictam Templi Vaticani frontem exornavit; qua de re legesis Ciampinum in Tractatu de sacris ædificiis a Constantino M. extructis (c) ejusque confer Tabulam IX., ubi eadem Crux, quamquam haud satis accurate delineata cernitur. Recitatam Turrigii opinionem libens, ac securus amplecterer, si Crux ipsa gemmarum insignibus distincta foret, vel coronata. Cum etenim Constantinus Augustus post partam de Maxentio Tyranno victoriam sanctissimæ Crucis virtute, ad hujus cultum, & venerationem ubique terrarum propagandam miro studio exarserit; & in ipso Palatii introitu, Eusebio Cæsariensi teste (d) in ædificio omnium excellentissimo in maxima tabula, quæ in medio laquearis inaurati expansa erat, Dominicæ Passionis insigne ex lapillis pretiosis cujusque modi, auroque multo polite elaboratis confectum, figendum curaverit; tunc nostræ salutis trophæum ex auro, margaritis, gemmisque effigiare, aut corona redimire solemne fuit, ut Crucis fontium olim suppliciis infamatæ ignominia per gemmas, & coronam abstergeretur, & per hanc rursus indicaretur victoria, quam Crux peperit Christo, & paritura est omnibus Christum sequentibus, crucemque cum ipso ferentibus. Hujus instituti meminit Prudentius

(a) Lib. 3. cap. 23. §. 3. (b) Crypt. Vatic. pag. 67. (c) Cap. 4. pag. 38. (d) In vita Constant. lib. 3. cap. 49.

tius (a) in hac ad Romanam urbem apostrophe:

Agnoscas Regina libens mea signa necesse est,
In quibus effigies Crucis, aut gemmata refulget,
Aut longis solido ex auro præfertur in hastis.

Testes quoque sunt tum absis veteris Templi Vaticani jampridem excisa, tum illa Basilicæ Liberianæ hodie dum superstes, utraque (b) enim Crucem gemmarum insignibus decoram exhibet, qualis etiam visitur in sarcophago marmoreo Probi Anicii, & Probæ Faltoniæ in eodem Vaticano Templo, ut alia monumenta prætercam. Cruces autem coronatas repræsentant nummi Imperatorii, Theodosii scilicet junioris, Eudociæ uxoris ejus, Valentiniani III., Pulcheriæ Augustæ, Leonis, Majoriani, Zenonis, & aliorum apud Levinum Holsium, Antonium Augustinum, Gretserum, atque Du-Cangium; S. item Paulinus Nolanus, & musivæ absides S. Clementis, aliarumque Basilicarum, ut observat Conradus Janningus Bollandi continuator (c) cui etiam videtur usus coronandi Crucem superne, paulatim desuevisse postquam sæcolo VIII. aut IX. cæpit humana Christi imago Cruci affigi: deinceps enim quanto rarius, ut ille prosequitur (d) crux tali modo coronata, tanto frequentius conspicitur coronatum Crucifixi caput; adeo ut sub idem tempus corona e fastigio crucis ad caput in cruce pendentis Christi, tanquam ad locum digniorem credi possit translata fuisse, coronæ gloriæ, & honoris succedente tristi corona spinarum.

Jam verò quod attinet ad alia duo marmora num. 3. & 4. signata, hæc sunt opere anaglyptico elaborata, in altitudinem palmorum VIII. latitudin. vero palmi unius, & semis. Joannis VII. Summi Pontificis sacellum, de quo alibi dicemus, cohonestabant, nunc vero laterales constituunt partes ostii, per quod ex Vaticanæ Confessionis ambitu ad meridiem vergente fit transitus ad ipsius sacræ Confessionis centrum: varii generis belluarum figuris, venatoribus, arborum frondibus, foliisque insignita, venatum exprimunt, eademque, si Turrigius consulator adeo vetusta censeri debent, ut duo annorum millia superent. Adeas Tabulam III. num. 1. & seq.

TABULA II.

IN veteris Basilicæ Vaticanæ transversa navi ad Austrum Joannes Cajetanus S. Theodori Diaconus Card. ex inclita Ursinorum Familia, qui anno Domini MCCCXXXV. ex hac vita migravit (e) sacellum in Deiparæ honorem, teste Tiberio Alpharano (f) extruxit, ac honorifice dotavit. Julio II. Pontifice, cum sacræ Vaticanæ ædis majori parte hæc etiam Cappella solo æquata est, Altare vero illuc translatum, obi erectus paries novam a veteri Basilicam sejungebat (g) appellatumque titulo *Sanctæ Mariæ de pragnantibus*, quia gravidæ mulieres se illi enixe commendantes, voti compotes fiebant (h) itemque *Beatæ Virginis in Cælum Assumptæ* nomine vocitatum (i). Ad hanc igitur Aram, quod in præsentis Tabulæ nom. 1. exhibetur simulacrum marmoreum extitisse, paulo inferius producenda inscriptio luculenter admonet. Sacrum istod monomentum opere anaglyptico elaboratum palmos rom. IV. altum, III. semis latum hoc tempore in ambitu sacræ Confessionis Beati Petri ad latus meridionale in sacello plane angusto visitur; ac imaginem præfert humana forma, barba valde prolixa, capot diademate cinctam, & tunica, atque amplo admodum pallio indutam, quæ in modum benedicentis effert dexteram digitis anolari, & mi-

(a) Contra Symmachum lib. 1. (b) Priscam Vaticanam absidem vides apud Ciampin. in cit. Operis Tab. XIII. (c) Tom. 6. p. 2. Junii, Differt. intercal. IV. de Cruce &c. n. 307. seq. (d) Ibid. num. 309. (e) De quo infra dicemus. (f) Tab. Ichnograp., & in Opusc. MS. ad n. 18. (g) Alpharan. ibid. num. 41., & 43. (h) Idem ad cit. num. 18. (i) Pompej. Ugon. Station. XI. pag. 98.

& minimo inclinatis, cæteris erectis, læva autem librum expansum tenet; duo insuper Cherubim extant dextrorsum unus, sinistrorum alter, uterque sex alis instructus.

Num vero imago hæc æternum Patrem, an Filium ejus Christum Dominum repræsentet, haud prorsus liquet. Turrigius (a) & hunc sequutus Epiphanius Gitius (b) effigiatam in hujusmodi lapide Primam Augustissimæ Triadis Personam contemplantur: insculptum namque marmor oculis objicere videtur senis formam, qua Deus olim Danieli apparuit. Humano quidem vultu Æternum Patrem a vetustioribus Christifidelibus expressum fuisse, affirmare nolim. Picturam hujusmodi antiquiora Christianæ Reipublicæ monumenta non exhibent. In Ecclesia Nolana Sæculo IV. imago Sanctissimæ Triadis, ut ex Divo Paulino (c) intelligimus, his plane symbolis delineata fuit:

Pleno coruscat Trinitas mysterio;
Stat Christus amne, vox Patris cælo tonat,
Et per Columbam Spiritus Sanctus fluit.

Ex quo docemur per ea verba e rutila nube erumpentia, *Hic est Filius meus dilectus*; sive per manum e nube prodeuntem, quæ digitum in Christum intenderet, aut ei coronam porrigeret, ut ex eodem Paulino absidam memorati templi Fundanæ urbis describente colligitur, Deum Patrem fuisse designatum. Quem tamen posteriori ætati humana figura, sub senis nimirum effigie (quo schemate Divina æternitas, judicii gravitas & maturitas denotantur) haud incongrue licuit exprimere ex Danielis Cap. VII. vers. 9. & 13. quo in loco *Antiquus dierum* eidem Prophetæ sese aspiciendum obtulisse narratur. Me non latet, Nicephorum Callistum (d) inter Jacobitarum errores recensere, quod illi Patris, & Sancti Spiritus formarent imagines. Nil mihi curæ est quid hac in re Auctor ille sentiat. Profecto si neget Patrem, & Spiritum Sanctum iis licite exprimi signis, quibus vel Personarum proprietas aliqua ostendatur, vel Personæ illæ apparuerunt; in eo plurimum aberrat: si autem censeat earumdem Personarum essentiam, qualis in se est figurari non posse, nec imagine ulla adumbrari, quod Tridentina Synodus (e) vult Populum edoceri; id bene habet, & cuncti fatentur orthodoxi. Neque effingi debent Divini Patris, ac Sancti Spiritus imagines ab Ecclesia insuetatæ, quas prosequitur, ac improbat Ayala in tractatu *Pictor Christianus* inscripto (f) & Molanus in historia sacrarum imaginum, & picturarum. Ad manus præterea est eximia Benedicti XIV. Pontificis Maximi Epistola ad Josephum Episcopum Augustanum Landgravium Hassiæ anno MDCCLV. data, in qua sapientissimus Pontifex solidis plane argumentis fas non esse demonstrat, Spiritum Sanctum sub speciosi adolescentis, aut viri forma depingi; aut Sanctissimam Trinitatem sub specie Hominis tres facies, vel unius viri capita duo; & in medio eorum Columbam habentis figurari: ac statuit tres Personas Vivificæ Triadis non aliter coloribus exprimendas esse, quam sub eo aspectu, & iis figuris, quibus se conspiciendas hominibus præbuerunt.

Hæc adnotanda existimavi ob argumenta, quibus videri potest, in nostro marmore non ante sæculum Ecclesiæ XIV. cælato Æternus Pater fuisse expressus. Sed apposita eidem marmori inscriptio, quam recitat quidem Turrigius (g) mihi tamen reperire non licuit, sic habet: *Christi Salvatoris imago marmorea extans olim ad Altare B. Virginis in Cœlum Assumptæ, erectum a Card. Joanne Cajetano Ursino Bonif. VIII. Nepote.* Rursus hoc Altare supra quod sacra hæc effigies muro affixa est in parvo illo ac perangusto sacello paulo ante memorato, Salvatoris nomine hodie insignitur, & vulgo *Il Salvatorino* nuncupatur (h). Imaginem sane Christi Domini, qui carnem nostram induit, vel primis Ecclesiæ temporibus in humana facie proponi consuevisse, tum ærea statua pio studio mulieris a fluvio sanguinis curatæ apud Cæsaream Philippi illi erecta, quam Eusebius Cæsariensis (i) meminit, tum cæmeteriales tabulæ, musiva, aliaque opera Christianorum vetustissima palam faciunt. Cum autem Redemptor noster

(a) Crypt. Vatic. pag. 60. (b) Descript. Basil. Vatic. pag. 54. (c) Epist. 12. (d) Hist. lib. 18. cap. 53. (e) Sess. 25. (f) Lib. 2. cap. 3. (g) Cr. Vat. pag. 60. (h) Sindon. Descript. Altar. & Reliq. Basil. Vatic. pag. 141. (i) Hist. lib. 7. cap. 14. al 18.

ster trigesimo tertio, aut ineunte trigesimo quarto ætatis anno mortem oppetierit; cur in hoc lapide, & aliquando in aliis etiam priscis monumentis, uti in tabula apud Ciampinum (*a*) ubi Jesus in Cœlum assumptus cernitur, & in vetustiori marmore apud Aringhium (*b*) senis faciem refert? Hac forma Pictores aliqui, Sculptoresque Christum effingentes, vel in eo versabantur errore, ipsum Cruci affixum fuisse anno humanæ Vitæ suæ fere quinquagesimo, ut in S. Irenæi lib. 11. contra hæreses (*c*) legitur, aut quadragesimo sexto, quemadmodum nonnulli putabant, quos S. Augustinus (*d*) refellit; vel innuere intendebant, plurimis illum ac immanibus ærumnis, doloribusque confectum, immature, & ante tempus quasi consenuisse; vel tandem oscitanter, aut juxta eorum placitum sub hujusmodi figura eumdem delinearunt. Certe habita ætatis ratione, qua Salvator noster suum in hoc Mundo cursum consummavit, perperam quidem specie senis exprimitur. Nam S. Lucas qostquam narravit susceptum a Christo Baptismum, mox ait (*e*) Ἀυτὸς ἦν ὁ Ἰησῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ὢν, Ipse Jesus erat quasi annorum triginta cum inciperet Doctorem agere, & prædicare verbum Dei. Suscepto autem Baptismate cælestis Doctrinæ prædicationi, ut ex evangelica historia colligitur, tres annos, totidemque menses impendit; quibus expletis, sese pro humani generis Redemptione hostiam in Ara Crucis obtulit: ac proinde aut trigesimo tertio anno inchoato (*f*), aut ineunte trigesimo quarto ætatis anno, mortalis vitæ suæ curriculum absolvit; quod posterius Ven. Card. Baronius (*g*) argumentis comprobat, tametsi Ecclesiastici scriptores nonnulli sint aliter opinati.

Jam vero, quoad alia in exculpto hoc lapide notatu digna, nil in præsentiarum dicam de tunica, & pallio, quibus indutum aspicitur simulacrum, quoniam de his alibi erit sermo. Sculptor autem, qui ad sacram hanc imaginem duos effigiavit Seraphinos, singulisque alas omnino sex aptavit, eam videtur mente revolvisse visionem, qua Isaias (*h*) Dominum vidit solio excelso insidentem, & juxta illud duos seraphim stantes utrumque sex alis instructum. Hic vero senarius alarum numerus juxta S. Dionisium, seu verius alium Auctorem libri de Cælesti Hierarchia (*i*) designat, seraphinos maxima præ aliis Angelis agilitate, ac vi motiva præditos esse, perfectissimaque cognitione, & amore in Deum tendere. Sed mystice de sex Alis, quas quilibet Fidelium, ac in primis Prælatorum, habere debet, S. Bonaventura libellum concinnavit.

Codice demum, quem sacra Icon manu læva tenet, Turrigius illum repræsentari censet, qui in Apocalypsi (*k*) dicitur *Liber Vitæ*, Divinæ scilicet prædestinationis, ubi illi dumtaxat conscripti sunt, quos Deus misericors absque meritorum prævisione ad æternam vitam, & beatitudinem elegit, ac destinavit. Nullus quidem in Deo proprie dictus liber invenitur, ubi prædestinatorum catalogus sit descriptus: sed ipsius prædestinationis notitia, qua nimirum Deus novit electos ab se ad vitam æternam, *Liber Vitæ* metaphorice appellatur, ducta sane ex rebus humanis, similitudine, in quibus illud fieri consuevit, ut qui ad aliquid eximium eliguntur, in libro conscribantur: de quo argumento si plura quispiam scire cupit, is S. Thomam Aquinatem (*l*) consulat. Hæc sint ad Turrigii opinionem dicta; Cæterum Christus Dominus in antiquissimis tabulis pictus, aut sculptus frequentissime cernitur cum volumine, quod manu gestat, quove novæ legis editionem ab eodem peractam Redemptore nostro, qui est lux Mundi, & via, veritas, ac vita, significari sentiunt Eruditi (*m*).

Volumen autem in nostro marmore, & in aliis multis longe vetustioribus monumentis expansum apparet, quia ut animadvertit Guillel. Durandus in Ration. lib. 1. cap. 3. Christus Apostolis impertiit Divinarum intelligentiam scripturarum, & Fidei Misteria, quæ in his antea sub umbris latebant, revelavit. Potest etiam volumen hujusmodi ad eum referri librum, quem in Joannis Apocaly-

(*a*) De sac. Ædific. Constantin. Tab. 34. pag. 182. (*b*) Tom. 2. Rom. Subterr. lib. 4. cap. 25. pag. 165. (*c*) Cap. 22. (*d*) De Doctr. Christ. lib. 2. cap. 28. (*e*) Evang. cap. 3. vers. 23. (*f*) Graves. de myster. & annis Christi dissert. 15. §. 2. (*g*) Ad Ann. Chr. 34. n. 146. & seqq. (*h*) Cap. 6. (*i*) Cap. 4. & 13. (*k*) Cap. 20. vers. 12. (*l*) Summ. part. 1. quæst. 24. (*m*) Aring. Rom. Subter. lib. 6. cap. 16.

calypsi cap. 5. non alius nisi Agnus occisus, idest Christus reserare valuit.

Ad marmora quod attinet binos Angelos exhibentia, ut in præsentis tabulæ n.2. & 3. videre est, mensura sunt palmorum 11. Rom. & opere anaglyptico elaborata: Sepulchrum Card. Berardi Heruli olim ornabant(*a*) nunc vero in ambitu Confessionis Beati Petri in parvo sacello, quod supra commemoravimus, aspiciuntur. Juvenili autem facie repræsentantur, quia nunquam senescunt; inquit prælaudatus Durandus loco cit.

TABULA III.

Joannes VII. in Romanum Pontificem Anno Domini DCCV. electus *fecit Oratorium S. Dei Genitricis intra Ecclesiam B. Petri Apostoli* (in ea scilicet inferiori parte Templi, quæ ad Boream vergebat, ut apud Alpharanum (*b*) videre est) *cujus parietes musivo depinxit: illicque auri, & argenti quantitatem multam expendit, & venerabilium Patrum dextra, lævaque vultus erexit*: Verba sunt libri Pontificalis, sive Anastasii Bibliothecarii (*c*). Hoc Sacellum antiquitus ornabant, quæ num. 1. 2. & 3. hic delineantur anaglyphici operis marmora, & in Capella *S. Mariæ Porticus* sive etiam *de Febri* nuncupatæ sub pavimento Basilicæ hodie visuntur cum Inscriptione hujusmodi: *Phrygia ista marmorea cum aliis hic circumstantibus erant in Sacello Joannis VII.* Primum in latitudin. palm. Rom. 11. in longitud. palmor. fere 12; duo altera in lat. palm. 1. cum quadr. in longitud. circiter 4. extenduntur. Remotissimam vero antiquitatem redolent, quam Jacobus Grimaldus in MS. Opere de Sudario seu Veronica pag. 24. ex Peritorum judicio, & post eum Turrigius (*d*) a duobus annorum millibus repetendam existimarunt: quæve in iis occurrunt imagines hieroglyphicæ, ex ethnicorum sunt mythologia expressæ.

Quod num. 4. notatur monumentum, sepulcralis est Arca marmorea, longa palmos Rom. VIII. alta supra II., dum ad perficiendam novi Templi Vaticani fabricam fundamenta foderentur Anno Domini MDCVII. ut scribit Turrigius (*e*) reperta, & in sacris Cryptis in Deiparæ sacello superius laudato, ubi hodiedum visitur, collocata. Nullis insculptis imaginibus insignitur, nullo titulo, aut alio signo distincta apparet. Hinc etsi non paucos in Vaticano Cæmeterio repertos sarcophagos, Aringhus, aliique Romæ subterraneæ Auctores tabulis edi curaverint, hunc tamen prætermiserunt. Sed nec alium recensent Sarcophagum in præsenti Tab. sub num. 5. delineatum, & in commemorato Sacello existentem. Hic palm. Rom. II. cum dimidio in altum, in longum vero pal. VIII. semis protenditur; atque a Jacobo Grimaldo in suo Instrumentorum libro MS. (*f*) hac illustratur adnotatione. Die 5. Junii MDCVII. in navi Sanctissimi Crucifixi ad Meridionalem partem veteris Ven. Basilicæ (*g*) *fuit repertum Vas, sive Concha marmorea e pario marmore candidissimo, & splendenti lumen intus ponendo, sana, & integra . . . cum quatuor faciebus Leonum, in quo erat corpus defuncti satis integrum, sed tactum dissolvebatur, linteis instar puerorum colligatum, pedibus versis ad Orientem: super operculo legebantur hæ litera cum signo palmæ*:



CONSTANTI LO
CVS QVI ADVC COS
TAT

Fuit repositum in arca marmorea prope Altare SS. Leonum sub fornice novi pavimenti, & Concha supradicta nobilissima asservata sub dicto fornice. Nihil dicam de veteri more, apud Judæos, & Christifideles olim usitato, fasciis nimi-

(*a*) Turrig. Cr. Vat. pag. 59. & 60. (*b*) Tab. Ichnogr. n. 114. (*c*) In Joanne VII. (*d*) Cr. Vat. pag. 484. seq. (*e*) Cr. Vat. pag. 67. ,& 109. (*f*) Pag. 160. Autographi, quod in Vaticanæ Basil. tabulario adservatur. (*g*) Alphar. Tab. Ichn. pag 54.

nimirum obducendi, adinstar puerorum, hominum cadavera, quemadmodum videre est in priscis bene multis ab Aringho prolatis sarcophagis, in quibus Laxarus virtute Christi ad vitam revocatus inter alias sacras historias repræsentatur. At insalutata dimittenda non est Palma illa, quæ in sepulcrali hoc marmore efficta cernitur. Hujusmodi signo aliquando Christianum Virum nullo martirio affectum denotari, Turrigius (a) observavit: ac postmodum Daniel Papebrochius (b) censuit solum palmæ ramum in Christianorum tumulis martyrii indicium non esse; in quam sententiam ivit quoque Mabillonius tum in Diario Italico (c) tum in ea, quam sub nomine Eusebii Romani scripsit Epistola (d) *de cultu Sanctorum ignotorum ad Theophilum Gallum*: utrobique enim sicut pro certis martyrum indiciis existimat vitrea Vasa sanguine intincta, vel instrumenta Martyrii, vel inscriptiones antiquas martyrium attestantes; ita palmas, columbas, Christi monogramma, oves, & Cruces sepulchris appositas, symbola esse, quæ Christianas virtutes designant, luculentissime asserit. Sed Alexander Plovvierius *in Apocrisi*, seu Responsione (e) ad prælaudatam epistolam, & Marcus Antonius Boldettus (f) in Papebrochium, & Mabillonium acuerunt calamum, ac multa protulere argumenta, quibus evincere conati sunt, palmam tumulis Fidelium incisam, per se solam, nimirum ab ampulla sanguine tincta, aliisque id genus passionis pro Christo toleratæ certis indiciis sejunctam, martyrium dissignare. Utraque pars suffragari sibi contendit decretum, quod Sacra Congregatio Indulgentiis, & Sanctorum Reliquiis præposita Anno MDCLXVIII. die 10. Aprilis edidit. Aliter enim Decreti hujus tenorem Boldettus, aliter Papebrochius recitat. Apud hunc declarationis ejusdem forma est hujusmodi: *Palmas, eisque junctum vas sanguine tinctum habendas esse pro signis certissimis* verarum Reliquiarum. Boldettus vero affirmat, Decretum ipsum fuisse conceptum his plane verbis. *Cum de notis disceptaretur, ex quibus veræ Sanctorum Reliquiæ a falsis, & dubiis dignosci possint; eadem Sacra Congregatio re diligentius examinata, censuit, Palmam, & vas illorum sanguine tinctum pro signis certissimis habenda esse. Aliorum vero signorum examen in aliud tempus rejecit*.

Hoc certe est genuinum Sacræ Congregationis Decretum totidem quippe verbis semel, atque iterum legitur Tomo 13. Resolutionum ejusdem Congreg. pag. 67., & 71., ut mihi testatus est Rmus Præsul Antonius Eugenius Vicecomes olim eidem Congregationi a Secretis, plurima eruditione sacra præsertim, excultus, qui a me rogatus pro ea, qua pollet humanitate, ipsemet sacræ Congregationis Regesta consuluit. Ergo ne Decretum hujusmodi intelligendum est juxta Boldetti sensum, nempe unicum Palmæ signum certam esse Martyris notam? Ergo ne ita disjunctive accipiendum, ut nullo pacto copulative sumi queat, ac proinde nulla ratione possit cum Mabillonii opinione conciliari? Expendat quisquis velit rationum momenta, quæ prædicti Auctores in medium adducunt, ut propriam sententiam quisque veram demonstret. Unum ego, ad rem quod attinet, hic animadvertam, scilicet ex Palma illa huic Sarcophago insculpta nullum Martyrii certum indicium fuisse deprehensum. Quare Constantium in eo marmore tumulatum, nec Grimaldus, ut ex ejus verbis paulo ante datis liquet, nec Turrigius (g) *Martyris* titulo appellarunt; & supra eamdem arcam in sacris Cryptis collocatam positum fuit hoc lemma: *Constantii Dei famuli sepulchrum*. Inferre hinc licet, juxta Grimaldi, ac Turrigii mentem, Palmæ ramum eidem tumulo incisum fuisse ad designandam certe vel felicem Christiani hominis, ac virtutum cultoris conditionem juxta illud Psalmi XCI verf. 13. *Justus ut palma florebit*: vel victoriam de consuetis animæ hostibus, Mundo nimirum, Carnis oblectamentis, ac Dæmone, quibus Homo impetitur, relatam. Quæ autem in anteriore sarcophagi facie imago apparet, hæc sane ipsum refert Constantium; quemadmodum in aliis nonnullis sepulchralibus monumentis, defunctorum, qui in illis con-

(a) Cr. Vat. pag. 108. seq. (b) Act. SS. Bolland. in Comment. Lucifer. Calaritan. die 20. Maii. (c) Mus. Ital. pag. 12. (d) §. 3. (e) Num. 4. (f) *Osservazioni sopra i Sacri Cimiterj* lib. 1. cap. 44. 45. &c. (g) Ait hic Cr. Vat. pag. 67. *Un certo Costanzo*.

conditi fuerunt, cælatæ effigies occurrunt. Tunica, & Pallio ipse indutus cernitur: Etsi autem satis exploratum non sit, num Christiani omnes pallio Philosophico passim uterentur, an quorumdam tantum sive Christianorum, sive Ethnicorum peculiare esset vestimentum, posteriorem hanc sententiam Salmasio (*a*) tuente, priorem illam Beato Rhenano (*b*) ac Dionysio Petavio sub ementito Antonii Kerkoetii nomine (*c*) propugnantibus; Eruditorum tamen nullus plane in controversiam vocat, plurimos Christifideles vestem hujusmodi gestasse: quin & mulieres eadem quandoque usas fuisse, evincit picta tabula a S. Asterio Amaseæ Episcopo (*d*) explicata, in qua Virgo, & Martyr Euphemia coram Judice adstans veste pulla, & *pallio philosophiam professa* exhibebatur. Ad inscriptionem quod attinet, nempe: *Constanti locus, qui aduc constat*: postremum hoc verbum pro *constat* ab cælatore positum, alludensque ad Constantii nomen, designat fortasse, aut locum firmiter sepulcro addictum, aut Constantium coram Deo, & apud homines quoque ob virtutum famam vivere.

TABULA IV. & V.

Bina hæc inscripta marmora quæ ære delineata nunc proponuntur in Basilicæ Vaticanæ hypogæo ad meridiem in Cappella *S. Mariæ de Febris*, vel *de Porticu* nuncupatæ asservantur. Ea S. Gregorius III. in Deiparæ Sacello ab se in eadem Basilica extructo, ut infra dicemus, collocari jussit.

Literis profecto exarata sunt, quæ hodie dum patent omnino, & optime internoscuntur, non *jam pene exesis*, ut perperam traditur in quadam animadversione, quæ subjicitur pag. 218. tomi VIII. Conciliorum Labbei Venetæ Editionis, ubi de Synodis, Gregorii III. Pontifice, in Urbe congregatis agitur. Mutilus est uterque lapis: & quum aliquanto auctior apud Turrigium (*e*) legatur, ex eo supplementum, charactere tamen, uti vocant, *cursivo* distinctum, hic describo ac refero una cum iis quæ in utroque lapide, qui modo superest, revera extant.

. . . .

Petro Theophanio Sergio Jordan*e*
sev Johanne adstantibvs qvoqve dia-
conibvs Moscho archidiacono Zaccharia
Johanne Theophvlacto atqve Gemmvlo
vel cvncto clero antefatvs domnvs Gre-
gorivs Apostolicvs Papa dixit Redvco ad
animvm sanctissimi fratres mei qvalia mihi
& qvanta mirabiliter Christvs Devs noster con-
tvlerit bona & qvomodo me indignvm ad
tanti apicis *fastigium* sva pietate dignatvs fverit
evocare & stvpesco nihil alivd valens
retribvere potentiae ejvs nisi solas age-
re gratias & indefinenti prece gloriosvm
ejus conlaudare nomen. qvis enim vt ait
propheta loqvatvr potentias Domini avditas

faciat

(*a*) Not. ad lib. Tertulliani de pallio. (*b*) Not. ad eumd. Tertull. librum. (*c*) Animadversion. ad Notas Salmasii in ipsum Tertull. lib. (*d*) Enarrat. in Martyr. S. Euphemiæ Tom. 1. Actuar. Combefis, & apud Ruinart. Act. Mart. pag. 431. Edit. Veron. (*e*) Cr. Vat. pag. 70. & seq.

faciat omnes lavdes ejvs vel qvid retribvam
Domino pro omnibvs qve retribvit mihi calicem
Salvtaris accipiam & nomen Domini iuvocabo .

. . . .

. . . .

. . . *tiſſimi epiſ. et. vener.* . . . . . .
Hoc quod a veſtro ſe. . . . . . .
intuitu prævifum aul. . . . . . :
omnium conditoris & . . . . . .
ejus placeat ut fieri di. . . . . . .
trac *ſalu.* . . . .
Gregorivs *ſanctiſſimus* . . . . . .
Apoſtolicvs *Papa dixit* . . . . . .
Sanctiſſimi inten*tio mea e.* . . . . . .
poſitioni ea qvae a n*obis Chriſti* . . . .
qvoram (*a*) Beati Petri apo*ſtoli* . . . . .
ſvb interdictv anath*emate* . . . . . .
ſanctiſſimi epiſcopi & vener*abiles presby*-
teri reſpondervnt Gra*to duci* . . . . .
*in*terdictv Apoſtolicae a*uctori* . . . .
haec qvae ſalvbri cons*ideration.* . . .
viſa ſvnt ſtabiliri deb*eant neve*
qvis avdeat exſiſtere *temerator*
Gregorivs ſanctiſſimvs ac *Beatiſſimus apoſ*-
tolicvs Papa dixit ſi qv*is contra*
privilegij definitionem v*enire temptave*-
rit anathema ſit & reſ*ponderunt om*-
nes tertio anathema *ſit*
Gregorivs gratia Dei epiſ*copus ca*-
tholicae atqve apoſt*olicae Ur*-
bis Romae hvic privileg*io*
atque de. . . . .

Prior Tabula aliquot presbyterorum & diaconorum nomina, atque exordium alloqutionis Gregorii III. ad Synodum continet; poſterior autem anathema complectitur in eos indictum, qui privilegii definitionem in tabulis deſcriptam violaverint. Hanc definitionem (aut ſi mavis *privilegium* ſeu veriùs decretum) conciliarem fuiſſe, plane liquet percurrentibus tabulas ipſas, ſeu potius fragmenta, eaſdemque conferentibus cum actis, quæ ſuperſunt aliarum veterum Romanarum Synodorum. Eam inſuper a S. Gregorio III. fuiſſe editam, nonnulla ſatis produnt argumenta conjunctim ſumpta: I. ſcilicet Gregorii Papæ nomen, aliaque Presbyterorum, & Diaconorum, quos ſub Pontifice Gregorio III. vixiſſe conſtat, nomina in eiſdem lapidibus cælata: II. inferius recitandum Libri Pontificalis, ſive Anaſtaſii teſtimonium, ex quo monemur, hunc ſummum Antiſtitem Synodale Decretum ſuum *tabulis lapideis* inſcriptum, in Oratorio ab ſe intra Vaticanam Divi Petri Baſilicam extructo poni curaſſe: III. quod nulla alia Gregorii Papæ Conſtitutio Synodalis tabulis lapideis exarata in eodem ſacro Templo reperitur, niſi ea quæ in hiſce fragmentis indicatur. Jure itaque prædictam definitionem Gregorio III. pari conſenſu attribuunt viri illi eruditi, qui binos hoſce lapides meminerunt. Attamen, cum utrumque marmor ita truncatum ſit, ut ex eo deprehendere non liceat, quænam ſit definitionis illius materies; neque ulla ſuppetant Synodorum a Gregorio III. coactarum geſta, quæ cum gemino hoc fragmento collata, rem illuſtrare poſſent; in deſignando ejus conſtitutionis, ſive privilegii, argumen-

(*a*) Ideſt, coram.

mento iidem auctores in eamdem sententiam non omnes conveniunt.

In priori lapide, seu fragmento partem Bullæ, sive Constitutionis a Gregorio III. adversus sacrarum Imaginum oppugnatores editæ; in posteriori autem portionem gestorum Synodi ab eodem Pontifice habitæ contineri, Turrigius (*a*) scribit. Vir egregius, & solertissimus Antiquitatum indagator Joannes Ciampinus, qui utrumque marmor (*b*) exhibet, in primo memoriam Synodi in Vaticana Basilica Anno DCCXXXII. a Gregorio III. contra negantes sacrarum Imaginum cultum celebratæ; in secundo *monumentum Concilii habiti ante Divi Petri Corpus*, asservari existimat. Epiphanius Gizius (*c*) bina hæc fragmenta non aliud esse putat, nisi partem gestorum Synodi, quam adversus ipsos Iconomachos idem Pontifex ad Principis Apostolorum Confessionem coegit. Is vero, quem initio commemoravimus, ad Labbei Concilia Scholiastes affirmat, duobus hisce lapidibus acta misere mutilata geminæ Synodi a Gregorio III. habitæ inscripta esse; in priori nempe marmore gesta Concilii, ubi Gregorii Romanæ Ecclesiæ Presbyteri (hic ad Leonem Isaurum cum literis Supremi Pontificis impium Augustum ab errore evocare satagentis, missus, illas Imperatori coram tradere ex humano timore neglexit) causa discussa est; in posteriori autem lapide gesta Synodi, in qua hæresis Iconomachorum damnata, & in contumaces anathema pronunciatum fuit. Clar. P. Joannes Dominicus Mansi in Supplemento, quod ad Concilia Veneto-Labbeana concinnavit, nullum de posteriori marmore verbum facit, sed prius tantummodo fragmentum ex Ciampino refert (*d*); ac sentit fragmentum istud ad Synodum a Gregorio III. Anno Domini DCCXXXI. in exordio sui Pontificatus celebratam, ubi de memorata Gregorii Presbyteri causa prolatum fuit judicium; non autem ad alteram Synodum postea celebratam Mense Novembri prædicti Anni, in qua sacris Imaginibus cultus contra Iconoclastas decretus est, pertinere: idque sibi persuasum habet, tum quia Summus Antistes in ipso priori fragmento gratias Deo agit ob collatam sibi Pontificiam Dignitatem; tum etiam quia ibidem non legitur nomen Antonii Patriarchæ Gradensis, qui non primo Concilio, sed certe secundo interfuit, ut ex Gregorii Papæ III. ad ipsum Gradensem Patriarcham Epistola (*e*) & ex Pontificalis Libri verbis paulo infra proferendis facile evincitur.

Recitatis aliorum sententiis, antequam mentem meam aperiam, nonnulla adnotari debeot. Nimirum sæpe laudatus Gregorius III. congregatis ad Beati Petri Cineres diversarum Urbium Episcopis, cunctoque Romano Clero Iconoclastas anathemate percutit: compluribus etiam Sanctorum Reliquiis, quas variis ex locis colligendas curavit, pereleganti Oratorio ab se ad ortivam faciem australis parastatæ, sustinentis arcum principem, seu triumphalem Vaticanæ Basilicæ, extructo, honorifice collocatis; conciliari Decreto sancivit, ut in eo Sacello a Monachis trium Monasteriorum (hæc Monasteria, nempe SS. Joannis & Pauli, S. Stephani Catagalla patritia, & S. Martini, proxima erant Vaticano Principis Apostolorum templo, ut apud Alpharan. (*f*) videre est) eidem Basilicæ quotidie inservientibus, solemnes eorumdem Sanctorum vigiliæ celebrarentur, & a Presbyteris hebdomadariis Divina agerentur Mysteria; atque hoc decretum in prædicto Oratorio tabulis lapideis inscribi mandavit. Hæc omnia in Libro Pontificali narrat Gregorii III. biographus, cujus verba sunt hujusmodis: *Pontifex* (Gregorius III.) *Synodale Decretum cum sacerdotali conventu celebravit coram sacrosancta Confessione Sanctissimi Corporis Beati Petri Apostoli, residentibus cum eodem Summo, & Venerabili Papa Archiepiscopis, idest Antonio Gradensi Archiepiscopo, Joanne Archiepiscopo Ravennæ cum cæteris Episcopis hujus Hesperiæ partis Numero XCIII., seu Presbyteris Sanctæ hujus Apostolicæ Sedis, astantibus Diaconibus, vel cuncto Clero, nobilibus etiam Consulibus, & reliquis Christianis plebibus simul; decrevit, ut siquis deinceps antiquæ consuetudinis Apostolicæ Ecclesiæ fidelem usum contemnens, adversus eamdem Venerationem sacrarum Imaginum ..... depositor, atque destructor, & prophanator, vel blasphemus extiterit, sit extorris a Corpore, & Sanguine Domini Nostri Jesu Christi*,

(*a*) Cr. Vat. p.68. seq. (*b*) De sacr. ædif. Constant. cap.4. sect.15. pag.101. seq. (*c*) Brev. Descr. Bas. Vat. pag.56. seq. (*d*) Tom.1. pag.543. (*e*) Apud Ughell. Ital. sac. to. 5. p.1090. nov. Edit. (*f*) Tab. Ichnograph. lit. a, b, h.

sti, *vel totius Ecclesiæ unitate*, *atque compage*. Et infra de eodem Summo Antistite sic habet: *Fecit quoque Oratorium intra eamdem* (Vaticanam) *Basilicam*, *juxta Arcum principalem in parte virorum*, *in quo recondidit in honorem Domini Salvatoris*, *Sanctæque ejus Genitricis*, *Reliquias Sanctorum Apostolorum*, *vel omnium Sanctorum Martyrum*, *& Confessorum*, *perfectorumque justorum toto Orbe terrarum requiescentium*. *Quorum festa vigillarum a Monachis trium Monasteriorum illic servientibus quotidie per ordinem existentibus cum Natalium Missis in eodem loco celebrari instituit*, *& in Canone Missæ illud adjecit a Sacerdote dicendum*: *Quorum solemnitas hodie in conspectu tuæ Majestatis celebratur Domine Deus noster*, *in toto Orbe terrarum*. (Verba hæc in Canone Missæ habentur in pervetusto sacramentario Vaticanæ Bibliothecæ cod. 3548., ut refert clar. Georgius tom. 3. Liturg. Rom. Pont. Dissert. 3.) *Quam institutionem in eodem Oratorio in tabulis lapideis* (hoc præcipue notandum) *conscribere fecit*. Denique idem Scriptor vitæ S. Gregorii III. sub finem de ipso Pontifice ait: *Et hoc constituit* (*ut servata sunt secundum constitutum*, *quod a Collegio Sacerdotum coram sacro Corpore B. Petri factum est pro celebrandis solemniis vigiliarum*, *atque Missarum Domini Jesu Christi*, *Sanctæque ejus Genitricis*, *Sanctorumque Apostolorum*, *vel omnium Sanctorum Martyrum*, *perfectorumque justorum toto Orbe terrarum requiescentium*) *ut in Oratorio nomini eorum dedicato intra Ecclesiam B. Petri Apostoli sub arcu principali*, *a Monachis vigiliæ celebrarentur*, *& a Presbyteris hebdomadariis Missarum solemnia*. Quod pluribus exequutus est Liber Pontificalis, idipsum paucis digessit Walfridus Strabo, qui in lib. de Reb. Ecclesiast. cap. 22. ita loquitur de Gregorio III. Pontifice: *Faciens Oratorium in Basilica Beati Petri in honorem omnium Sanctorum*, *& quotidiana ibidem Officia*, *ac Missas in eorum venerationem constituens celebrari*, *pariter instituit in Canone a Sacerdote dicendum*: Quorum solemnitas hodie in conspectu tuæ Majestatis celebratur Domine Deus Noster in toto Orbe terrarum: *quod quia specialiter ad illam pertinet celebritatem non est Canoni*, *qui generaliter dicitur*, *adnotatum*. Hoc Oratorium indigitat Alpharanus (*a*) ac meminit qui Sæculo XII. floruit Petrus Mallius Basilicæ Vaticanæ Canonicus in opusculo (*b*) de eadem Basilica, ubi memoriæ prodit, Gregorium III. in eo Sacello præter alia Sanctorum Apostolorum, Martyrum, & Confessorum sacra pignora, Corpus etiam Sancti Gabini, recondidisse; ac ita subjungit: *Tempore Domini Eugenii III. Papæ*, *quando ejus præcepto ereximus istud Altare ibi* (in prædicto Oratorio) *duo Altaria ibi erant*; *Altare videlicet S. Gabinii Presbyteri*, *ad quod Sardinia*, *& Corsica tributum annualiter mittebant*, *& Altare Beatæ Mariæ semper Virginis*, *quod prænominatus Dominus Gregorius Papa III. fecerat*, *& consecraverat*. *Sub quibus Altaribus invenimus tres sepulturas* (scilicet, ni fallor, tres loculos sacra lipsana Sanctorum ibi reposita continentes) *ferro*, *& plumbo optime ligatas*: *quæ etiam Altaria Cancellis æneis circumdedit*. His præmissis, gesta Synodalia hisce marmoribus inscripta spectare mihi videntur ad conciliare Decretum, seu *privilegii definitionem* in Vaticana Basilica habitam, qua Gregorius III. constituit, ut in honorem Domini Nostri Jesu Christi, & Beatissimæ ejus Genitricis, atque Sanctorum Apostolorum, ac Martyrum, perfectorumque justorum toto terrarum Orbe requiescentium, sacræ vigiliæ a prædictorum trium Monasteriorum Monachis, & Missarum solemnia a Presbyteris hebdomodariis in Oratorio illo celebrarentur. Ita plane sentio, partim quia S. Gregorius III. teste ejus vitæ Scriptore, ut supra vidimus, suum hoc synodale Decretum *in eodem Oratorio in tabulis lapideis* conscribi mandavit, partim quia in Vaticana Basilica nullum aliud marmor, quod conciliarem Gregorii III. sanctionem præferat, nisi geminum hoc fragmentum reperitur.

Accedit quoque testimonium Maphæi Vegii Sæculo XV. Scriptoris clarissimi, qui de S. Stephani veteri templo post Vaticanam Basilicam sito verba faciens hæc habet (*c*): *Neque vero licet multis in locis antiquis de eo mentio fiat*, *aliquid tamen vetustius legi*, *quam duas tabulas marmoreas positas in utroque latere Oratorii S. Mariæ in Cancellis*, *quarum Auctor Gregorius III. Videmus ibi nonnulla*, *quæ infra eum ad Oratorium ipsum vetustum* (*ventum*) *fuerit*, *dicemus statuisse observanda a Congrega-*

B 2 *tioni-*

(*a*) Tab. Ich. num. 38. (*b*) Cap. 6. al. 2. (*c*) Lib. IV. de Rebus antiquis memorabilibus Basilicæ S. Petri num. 112.

tionibus trium Monasteriorum apud Basilicam S. Petri positis, ipsique servientibus; Sanctorum scilicet Joannis & Pauli, S.Stephani, & S.Martini. Neutrum itaque fragmentum ad eam pertinet Synodum, in qua Gregorii Presbyteri causa a Gregorio Papa III. suum Pontificatum inchoante discussa est. Nec me movent allata superius Clar. Mansii argumenta. Nam summus Antistes non solum initio recens acceptæ supremæ dignitatis, sed etiam per totum tempus, quo Christianam Rempublicam administravit, plurima in se Dei beneficia generatim innuere, & collatam sibi Pontificiam Dignitatem specialiter commemorare poterat; quemadmodum reapse præstitit Innocentius III. Anno sui Pontificatus Octavo, cum pro Vaticana S. Petri Basilica Sanctionem (*a*) excudit, in cujus proœmio eumdem Apostolorum Principem sic alloquitur: *Cum diligenter attendo, quid Ego tibi, Beatissime Petre, valeam retribuere pro omnibus, quæ tu mihi tribuere voluisti, nihil prorsus invenio præter solum Devotionis affectum, quia tua sunt universa quæcumque videor obtinere, sive plenitudo spiritualium, sive temporalium amplitudo. Per te namque mihi divinitus est concessa non tam terreni, quam cælestis Regni potestas. Summi Pontificatus auctoritas, & dignitas Apostolici Principatus &c.* Argumento altero minus moveor. Sicut enim in Synodorum Actis primo recensentur Episcopi, deinde Presbyteri, tum Diaconi; ita in prioris marmoris superiori parte nomina Episcoporum, qui in Concilio sederant, procul dubio exarata fuerunt. Verum hæc pars intercidit, adeo ut fragmentum, quod superest, ab aliquot presbyterorum nominibus incipiat. Igitur inferre non licet, ab hac Synodo, cujus gesta misere truncata in binis hujusmodi fragmentis leguntur, Antonium Patriarcham Gradensem absuisse, quia ejus nomen in eisdem non apparet. Si enim valida esset hujuscemodi ratio; ex eo quod nullius Episcopi, nisi Gregorii Romani Pontificis, nomen in eisdem lapidibus modo occurrat, affirmare quis posset, nullum Episcopum huic Synodo interfuisse; quod oppido falsum esse, cuique patet posterius fragmentum percurrenti, ubi *Sanctissimi Episcopi respondisse* perhibentur.

Ad Turrigii, Ciampini, & Gizii superius recitatam sententiam, quod attinet, in hanc ego quondam pedibus ivi: sed nunc verosimiliorem censeo eam opinionem, quam paulo ante gravi, ni fallor, fundamento innixam proposui; tametsi utraque hæc sententia sit affinis, & invicem conjuncta. Nam exortæ Iconomachorum hæresis occasione, catholici Præsules sacris Imaginibus venerationem non modo decreverunt, sed aliis quoque rationibus ad sanctorum cultum confirmandum mentem intenderunt. Id palam facit Romanæ Synodi Anno DCCLXIX. sub Stephano III. Papa congregatæ Actio IV; quæ *de Veneratione sacrarum Imaginum* inscribitur, & sic habet: *Si ad Sanctorum consortium venire optamus; profecto hic omnia in honorem Sanctorum, sive Reliquias non solum Corporum, sed & vestimentorum, sive Basilicas nominibus eorum memoratas, seu etiam imagines, & vultus illorum in quolibet loco depictos celeberrimo honore venerari debemus*. Item. *Pavendum est, ne sub iconum occasione ad pejora sese status malæ assertionis erigat, & Corpora Sanctorum, & Reliquias Martyrum adorari tanquam membra Domini, ac venerari prohibeat*. Propterea Stephano III. ita decernenti Sanctus Gregorius III. ante annos circiter octo supra triginta exemplo præiverat, cum sacrarum Imaginum cultum non modo vindicare studuit, verum etiam collectis Sanctorum Reliquiis, eisque decentius reconditis, sacras vigilias, ac Missarum solemnia in omnium Sanctorum honorem peragenda esse constituit. Id anno æræ Christianæ fortassis DCCXXXI. Gregorius Pontifex sancivit non in ea quidem Synodo, in qua Gregorius Presbyter ob male gestam legationem increpitus, decretam depositionis pœnam vix evasit, sed in alio posteriori Concilio, in quo sacrarum imaginum cultus est constitutus, & Iconomachi anathemate percussi sunt. Utramque Synodum vulgatus Anastasius (*b*) commemorat, & unam ab altera luculentissime discernit. Priorem Gregorius III., qui Mense Martio anni DCCXXXI. Christianam Rempublicam gubernandam suscepit, paulo post initum Pontificatum celebravit; posteriorem vero ad Kalendas Novembris decimæ quintæ Indictionis (hæc pro illius ævi more incæpit a Septembri Mense anni 731.) habendam indixit, ut ex ejusdem Pontificis Epi-

(*a*) In Vatic. Basil. Bullar. Tom. 1. pag. 83.

(*b*) In Gregorio III.

Epiſtola ad Antonium Archiepiſcopum Gradenſem data (*a*) perſpicue deprehendimus. Si quis vero Synodum, in qua ſacræ vigiliæ, & Miſſarum ſolemnia in omnium Sanctorum honorem decreta ſunt, ab aliis duobus commemoratis Conciliis ſecernendam eſſe; & poſt annum DCCXXXI. ab ipſo Gregorio III. celebratam fuiſſe malit, equidem id aſſerenti non contradico, & rem aliis, ſi libeat expendendam relinquo. Attamen Frontonis opinionem, quæ, ut mihi videtur gravi fundamento fulcitur, ſilentio haud prætaribo. Is (*b*) nimirum aliique cum ipſo viri plane docti Andreas Sauſsay, Franciſcus Pagius (*c*) & Meratus (*d*) ut Bonifacio IV. inſtitutionem Feſti omnium Sanctorum Martyrum attribuunt, ſic originem ſolemnitatis omnium generatim Sanctorum tum Martyrum, tum Confeſſorum, tum aliorum, non ex Gregorio IV. ut nonnulli exiſtimarunt, ſed ex prælaudata Gregorii III. Conſtitutione repetendam judicant. Certe hanc ſententiam, præter Uſuardi Martyrologium, aliaque argumenta, duo Libri Pontificalis, ſive Anaſtaſii loca ſuperius recitata, quidquid a nonnullis ſecus judicatum eſt, innuere videntur.

Jam vero reliqua circa utrumque marmor notatu digna paucis perſequamur. Quæ ſub initium prioris fragmenti occurrunt quinque propria nomina, ſcilicet, Petrus, Theophanus, Sergius, Jordanus, & Joannes, hæc ſane Presbyteros totidem Urbis Eccleſiarum Titulares deſignant, qui Synodo ſub Gregorio III. interfuerunt, iiſdemque anno Chriſti DCCXLIII. in altera Synodo a S. Zacharia Pontifice habita conſederunt, ut hujus Concilii geſta (*e*) palam faciunt. Mox in lapideo fragmento ſequitur: *Adſtantibus Diaconibus*: In Conciliis namque Epiſcopi, & Presbyteri ſedebant, Diaconi vero ſtabant ex veteri Eccleſiæ more, quem ipſa Conciliorum acta paſſim teſtantur. Moſchus, qui hic Archidiaconi titulo decoratur, Romanæ Synodo (*f*) anni DCCXXI. Gregorio II. Summo Antiſtite, inter Diaconos ſubſcribit; idemque eſſe fertur (*g*) ac Moſchus Diaconus Sedis Apoſtolicæ in Urbana S. Ceciliæ Eccleſia ſepultus, cujus Epitaphium in ejuſdem Templi Porticu viſitur; quod cum Floravantes Martinellus haud ſatis fideliter exhibeat (*h*) non abs re eſt hoc in loco reducere.

Sepulcrum, qui (ſic) *in hanc ædem* (ſic) *venerandæ Chriſti*
Martyris Ceciliæ ſitus (ſic) *eſt, in quo & quieſcit in pace*
Moſchus umilis Diaconus Sanctæ Sedis Apoſtolicæ,
Omnes expoſcens, ut pro me Dominum exoretis quatenus
Ejuſdem Sacratiſſimæ Virginis intervenientibus meritis
Cunctornm conſequi merear indulgentiam delitorum. (ſic).

At quia epitaphium hoc Moſchum *Diaconum* vita functum profert, noſter autem lapis Vaticanus Moſchum *Archidiaconum* viventem commemorat; ſacrum hunc miniſtrum ab illo ſecernendum puto, ita ut alius fuerit Moſchus Archidiaconus, alius ille, qui in S.Cæciliæ tumulatus eſt: ſicque ſuſpicor donec res majori in lumine collocetur. Cæterum Zacharias, qui poſt Moſchum inter Diaconos recenſetur, is eſſe creditur (*i*), qui S. Gregorio III. in Reipublicæ Chriſtianæ adminiſtratione proxime ſucceſſit eruditione, & Sanctitate conſpicuus. *Theophilactus*, & *Gemmulus* pariter inter Diaconos adfuerunt prælaudato Concilio Romano (*k*) ſub eodem S. Zacharia Pontifice. Præterea Gemmuli binæ ad S.Bonifacium Archiepiſcopum Moguntinum Epiſtolæ nimirum CXLVIII., & CXLIX. inter Bonifacianas noſtra etiam ætate perſtant. Notet, ſiquis velit, particulam disjunctivam *vel* pro conjunctiva *Et* ſemel, & iterum in hoc lapide uſurpatam:

Jor-

(*a*) Apud Ughellum nov.edit. Venet. in Gradenſib. tom. 5. col. 1090. (*b*) Not. in Kalendar. Romanum ad diem 1. Novembris. (*c*) In Breviar. ad Vit. Bonifacii IV. (*d*) Obſervation ad Gavant. in Rubric. Breviar. ſect. 7. cap. 13. (*e*) Apud Labb. tom. 8. Concil. col. 289. vide etiam col. 300. 306., & 307. (*f*) Apud eumd. Labb. ibidem col. 186., & 190. (*g*) Turrig. Cr. Vat. p. 70., & Florav. Martinell. Rom. Ethn. Sacr. p. 85. (*h*) Loc. citat. (*i*) Turrig. loc. cit. (*k*) Apud Labb. tom. 8. col. 289.

Jordane, seu, (nempe *&*) Johanne Gemmulo, vel (idest *&*) *cuncto Clero*. Barbarismi hujus exempla ad manus sunt in iis, quæ supra dedimus Anastasii locis, & suppetunt frequentissima apud vetustos Auctores, qui iis temporibus vixerunt, cum Barbarorum illuvies Latinum idioma jam vitiaverat. Quoad orthographiam, mirum non est, si in primo lapide *Theophvlacto* pro *Theophylacto* exaratum invenitur: græcum namque *y* Latini vertebant in V ob horumce elementorum affinitatem seu consonantiam; scribebantque, exempli gratia, *mvrra*, pro *myrra*, & *Pvrrus*, *Phrvges*, pro *Pyrrus*, *Phryges*, Cicerone teste in *Oratore* num. 160. Sed & loco literæ *c* sæpe *qv* usurpabant, ut eruditi grammatici ostendunt, & apud Gruterum Inscript. pag. DCCCI. n. 5. *Liqvebit* pro *Licebit* reperimus: hine pariter in altero nostro lapide: *Quoram* pro *Coram* exaratum legimus. In allocutionis autem exordio versus 2. Psalmi cv. paulo aliter recitatur, quam nunc in latinis Psalterii versionibus legitur, & Gregorius III. maxima a Deo beneficia sibi collata commemorans proximi Præcessoris sui S. Gregorii exemplum imitatur, qui simili fere prooemio usus est in privilegio (*a*) lapidi pariter insculpto, quo oliveta multa Sanctis Apostolis Petro, & Paulo ad parandas eis lampades, addixit. Idem exemplum Innocentius III. ut supra vidimus, ac deinde Gregorius IX. (*b*) sequuti sunt: Demum in posteriori fragmento animadvertere licet pervetustum Romanæ Ecclesiæ morem ad Beati Petri Corpus plerumque Synodos celebrandi; quod non obscure innuit S. Leo Magnus (*c*) decernens, binos quotannis Episcoporum debere esse conventus in Urbe *coram Beatissimo Apostolo Petro*, & alia antiqua monumenta in Bullarii Vaticanæ Basilicæ priori volumine (*d*) indicata luculentissime demonstrant. Hæc de inscriptis lapidibus, seu fragmentis inscriptorum lapidum, quos Gregorius III. in superius laudato Oratorio a se in Vaticana Basilica extructo collocari mandavit. Ii sane Vegii ætate, ut vidimus, integri patebant: quapropter Julio II. Pontifice, quando ea veteris Basilicæ pars, in qua extabant, solo æquata fuit novi Templi erigendi causa; marmora illa frangi quidem contigit, & magna ex parte intereidere. Utinam ipsa ad nostram usque ætatem non mutila, sed intacta pervenissent; aliquot Synodalia haberemus gesta in Urbe sub eodem Gregorio III. quæ in Conciliorum collectionibus desiderantur. Ceterum cum verba, *tissimi episc.* &c., quæ charactere, uti appellant, cursivo sub initium explicationis harumce Tabularum IV. & V. ex Turrigio describenda curavimus, & ante hunc auctorem Jacobus Grimaldus in ms. volumine Instrumentorum fol. 171. retulerat, in præsenti marmore non existant, imo nec eisdem locum esse possit; lapis iste censendus est aliam perpessus fuisse mutilationem post ipsius Grimaldi ævum, quasi non satis ea fuisset, quam in prima antiquæ S. Petri Basilicæ demolitione subiit: tunc enim, ut reor, insigne monumentum ad fabriles usus fuit immaniter detruncatum, & altera quidem pars ad instruendam frontem altaris S. Mariæ de Febribus, altera vero ad vetus pavimentum sternendum adhibita: prius autem fragmentum anno 1608. comparuit, dum ara illa dissecraretur, ac posterius in prædicto pavimento repertum est anno 1618., ut laudatus Grimaldus testis oculatus narrat.



TA-

(*a*) Apud. Vat. Basil. Bullar. to. 1. pag. 7. (*b*) Ibi. pag. 113. (*c*) Epist. 4. al. 16. ad universos Siciliæ Episcopos cap. 7. (*d*) Pag. 1., & seq.

TABULA VI.

Quam præsens Tabula exhibet, Sanctissimæ Deiparæ imago a Simone Memmio Senensi Pictore haud ignobili coloribus expressa fertur. Hinc de sacri hujus monumenti vetustate fas est aliqua ratione decernere: Memmius enim floruit XIV. Ecclesiæ Sæculo, a Francisco Petrarca, qui eodem tempore claruit, cum laude commemoratus (*a*) quod celebris Lauræ vultum pictura affabre delineasset. Illa autem Beatæ Mariæ Virginis imago sita olim erat, Alpharano teste (*b*) *in intercolumniis Porticus in pariete vetustissimo instar Sacelluli exstructo a facie Orientis*. Inde anno MDLXXIV., Summo Pontifice Gregorio XIII. mandante (*c*) in veteris Basilicæ Vaticanæ secretarium (sacrum nempe ædificium, quod ad australem partem ejusdem Porticus extructum ad lævam erat ingredientibus ipsam S. Petri Basilicam, ut prælaudatus Alpharanus (*d*) accurate indigitat) translata fuit, ac reposita in abside sinistrorsum Altaris *S. Mariæ de Febribus* nuncupati (*e*). Novi Templi Vaticani perficiendi causa Secretario diruto, Deiparæ effigies, de qua loquimur, in sacras Cryptas delata est, atque in ambitu Confessionis Principis Apostolorum ad latus Meridionale collocata, addito hoc Epigrammate, quod marmore incisum legitur:

Santissima hæc Deiparæ Virginis imago, ut antiqua habet traditio, inter columnas Porticus veteris Basilicæ impia manu in facie percusia, sanguinem fudit supra tres istos lapides ferrea crate munitos, ex ædicula S. Mariæ de Febribus, ad quam sub Gregorio XIII. ex Porticu translata fuerat, e ruinis servata anno MDCVIII. hic reponitur, Paulo V. Pontifice Maximo. Post annos viginti tres, die scilicet XXI. Februarii anno MDCXXXI., Turrigio teste (*f*) eidem Imagini dignior locus decretus, constituta nimirum est ad Altare Sacelli, quod extat in prædicto venerandæ Confessionis ambitu, appellaturque *S. Mariæ de Febri*, ac etiam *Della Bocciata*.

Prior titulus aliæ vetustiori Imagini Virginis Deiparæ, quæ hodie in Basilicæ Sacrario colitur, proprie convenire censetur: Qua de re consuli potest vir diligentissimus Raphael Sindonius in Descriptione historica Altarium, & Reliquiarum Vaticani Templi (*g*). Posterior denominatio, *Della Bocciata* sacræ Effigiei indita fortassis est, quod globulo lusorio impie percussa sanguinem effudisse dicitur; ut ex recitata inscriptione liquet. Tres lapides, quos eo sanguine fuisse aspersos idem Epigramma refert, juxta ipsam imaginem in prælaudato Sacello hodieque custodiuntur ferreis cratibus muniti; horumque schemata loco haud satis congruo ab Sculptore delineata in hujus Operis Tabula IX. num. 2., 3., & 4. conspiciuntur. Prodigiosa id genus facta in Ecclesiæ historia non semel occurrunt. Unum, quod nunc mentem subit, perstringam. Sarracenus quidam in S. Theodori imaginem intorsit sagittam, qua dextero picturæ brachio vulnerato, inde sanguis emanavit. Rem in loco, qui Carsatas dicitur, a Damasco quatuor passuum millia dissitus, accidisse ex Anastasio Sinaita tradit S. Joannes Damascenus in Oratione III. de imaginibus: additque se eamdem iconem sagitta percussam, vulnus, & sanguinis vestigia spectasse; ac sua ætate multos ejus prodigii testes oculatos fuisse superstites. Hæc de Sanctissimæ Virginis Mariæ puerum Jesum læva tenentis Effigie, quæ in muro coloribus adumbrata, lata est palm. Rom. III. semis, altitudine vero palm. IV. superat. Juxta eam Simonem Memmium superius commemoratum Sanctos Apostolos Petrum, & Paulum, ac insuper Vaticanæ Basilicæ Sacristam lampadis lumen resoventem pinxisse, scribit Turrigius (*h*) qui tamen addit, tres hujusmodi Imagines periisse.

Infe-

(*a*) Italic. Epigrammat. vulgo Sonetto 58., & 59. poeticar. Petrarcæ operum ex edit. Lugdun. Guillelm. Rovil. ann. 1564. (*b*) In MS. num. 136. (*c*) Turrig. Cr. Vat. p. 33. (*d*) Tab. Ichnograph. lit. dd. (*e*) Alphar. cit. in ead. Tab. Ichn. num. 146. (*f*) Cr. Vat. pag. 133. (*g*) Pag. 86., & seqq. (*h*) Cr. Vat. pag. 134.

Inferior hujus Tabulæ pars geminas repræsentat angelorum effigies ex pario marmore anaglyphice expressas, quæ nunc ad prædictam Deiparæ imaginem conspiciuntur, olim vero Berardi Card. Eruli sepulcrum exornabant: pares occurrunt Tabula II., aliæque duæ infra.

TABULA VII.

BENEDICTUS XII., Jacobus Furnerius seu de Furno antea appellatus, & in Romanum Pontificem anno salutis nostræ MCCCXXXIV. electus, hic exhibetur barba tonsa, ac facie admodum pingui & succulenta, qualis revera fuisse dicitur ab auctore coævo in ms., quod Turrigius meminit (a). Pluviali indutus apparet, ac manicis seu chirothecis dextram, lævamque contectus; & hac quidem geminam tenet clavem; illa vero, cujus digitus anularis splendet anulo, benedicit: capite tiaram gestat, duabus tantum coronis, quas regna vocant, ornatam. De hujusmodi coronamentis alibi (b) disserimus. Ad Pontificalem anulum quod attinet, memoriæ succurrit epistola seu decretum (c) S. Bonifacii Papæ IV. in Romana Synodo anno DCX. promulgatum, ubi de monachis *anulo Pontificali subarratis*, id est ad episcopales infulas evectis mentio injicitur. Claves, quas tum præsens Benedicti XII. statua marmorea, tum alia Bonifacii VIII. inferius exhibenda gestat, supremam illam indicat solvendi ac ligandi potestatem, quæ a Christo Domino collata beato Petro Apostolorum Principi, Petri successoribus inest tantæ dignitatis heredibus. Paschalis II. in summum antistitem electus, baltheo succingitur cum septem exinde pendentibus clavibus, & septem sigillis, *ex quo sciat, se secundum septiformem Spiritus Sancti gratiam, Sanctarum Ecclesiarum, quibus Deo auctore præest, regimini in claudendo, aperiendoque tanta ratione providere debere, quanta solemnitate id quod intenditur, operatur*: Verba sunt Pandulphi Pisani, illius ætatis scriptoris, in libro de Romanis Pontificibus. Eandem spiritalem auctoritatem sub clavium symbolo vidit Cencius Camerarius in suo Romano Ordine cap. 48. num. 79., ubi inter alios ritus de Summi Pontificis electione morem recenset tradendi electo claves Lateranensis Basilicæ, & Palatii; *quia*, inquit, *specialiter Petro Principi Apostolorum data est potestas claudendi, & aperiendi, & ligandi atque solvendi, & per ipsum Apostolum omnibus Romanis Pontificibus*. Hinc Romanæ Ecclesiæ vetusta insignia claves sunt; quod luculentissime evincitur ex antiquæ Basilicæ Vaticanæ musiva abside apud Ciampinum in lib. de sacris ædificiis a Constantino Magno extructis cap. 4. sect. 2. In hujus quippe absidis inferiori parte figura humana aspiciebatur, facie ac vestitu decora, & explicatum vexillum duabus intertextis clavibus distinctum gerens, atque sub ea imagine legebantur hæc verba: *Ecclesia Romana*. Plura in hanc rem monumenta profert V. Cl. Garampius pag. 107. & seqq. eruditissimæ lucubrationis, quam Italico idiomate concinnavit, inscripsitque, *Illustrazione di un antico sigillo della Garfagnana*, in quo Romanus Pontifex binas gestans claves repræsentatur uti in hoc simulacro, quod ipse auctor æri perinde incisum, eidemque lucubrationi adnexum publica luce donavit.

Quamquam Benedictus XII. Avenione in Cathedrali Ecclesia fuerit tumulatus, in Vaticana tamen S. Petri Basilica, cujus tectum renovavit, marmoreum hocce simulacrum jure meritoque promeruit: quod in ima ejusdem veteris Basilicæ parte supra altare, *Mortuorum* appellatum, quondam existebat, Pontificem ipsum sedentem referens; ejusque sedes, si Turrigium (d) audiamus, ea ipsa est, quà modo insidet marmorea Principis

(a) Cr. Vat. pag. 128. (b) Tab. LVI. (c) Ap. Holsten. Collect. Rom. par. 1. p. 243. & ap. Labb. Concil. (d) Cr. Vat. p. 73.

cipis Apostolorum statua in cryptis Vaticanis. De simulacri autem Sculptore, Baldinuccius (a) ex Julii Mancini manuscripto asserit, Paulum Senensem Benedicti X. (verius XII.) imaginem expressisse, eodemque summo præsule mandante, Vaticani Templi tecta reparasse. In vetusta quidem Basilica huic Pontificis statuæ adpositum (b) legebatur epigramma alià Tabula dandum; in quo Benedicti XII. nomen, ejusque patria, tectorumque instaurandorum cura memorantur, ac spatio interjecto, hæc minoribus literis exarata prostant: *Magister Paulus de Senis me fecit*. Quibus sane verbis ipsa Pontificis marmorea effigies, cui adjacebat inscriptio, per prosopopœjam loqui fingitur, suumque auctorem, sive opificem, Paulum videlicet Senensem indicare. Id certe apud veteres factitatum. In tintinnabulis, quæ ad Sacrarum Majorum Reliquiarum Ostensionem in Vaticana Basilica pulsantur, post Nicolai V. Pontificis nomen, & æræ vulgaris annum MCCCCL., sic legitur: *Crescentius de Perusio me fecit* (c).

In hujus Operis variis locis sermo est de vestibus, queis marmorea ista effigies ornatur; hodieque extat in subterraneo Sacello Beatæ Mariæ Virginis, *Della Bocciata*, ac etiam *de Febri*, nuncupato, in ambitu Sacræ Vaticanæ Confessionis ad Meridiem.

TABULA VIII.

QUOD hic exhibetur num. 1. marmoreum vetus monumentum, Turrigii diligentiæ debemus acceptum referre; nam in tredecim fragmenta comminutum, is (d) triduano labore concinnavit. Cum tamen hac solertia haud obstante, alicubi adhuc mutilum sit, nonnulla enim fragmenta penitus interciderunt; idcirco quæ desiderantur, charactere, uti vocant, cursivo supplenda curavimus in hunc modum:

„ Exaudi nos, Omnipotens & Miseri-
„ cors Domine, *ut famulum tuum* Grego-
„ rium Tertium, quem tua gratia jussit
„ *esse Pastorem, per hæc*, *quæ* agimus, æter-
„ næ beatitudini, & consortio Tuo *aggre-*
„ *ges eique pro* Catholica Fide Religionis
„ Christianæ præmia vitæ æternæ, *&* re-
„ frigerii cum Fidelibus Tuis præpares
„ Mansionem. Per *Dominum nostrum Jesum*
„ *Christum* &c.

„ *Hæc*, Domine, oblata sanctifica, &
„ animam Famuli Tui Gregorii Maculis
„ emunda, & perpetuæ vitæ facias esse par-
„ ticipem.

„ Domine, indulgentia Tua animam fa-
„ muli Tui Gregorii Corporis, & Sangui-
„ nis participatio sacra saginet, & sempi-
„ terna redemptione muniat „.

Tres hujusmodi orationes neque in libris Sacramentorum Sanctæ Rom. Ecclesiæ a Vener. Card. Thomasio editis, neque in Sacramentariis, Gregoriano, alioque vetustissimo, quod vir clariss. Joseph Blanchinus evulgavit, reperire mihi licuit. Paulo post ejusdem Gregorii III. obitum, qui contigit die XXVIII. Novembris anno DCCXLI., preces istæ, ut quidem vero simillimum est concinnatæ fuerunt: quo autem tempore usurpabantur, summus hic Pontifex certe nondum erat Sanctorum fastis adscriptus. De ipso Bedam, Usuardum, Adonem, aliosque recentiores agere, Baronius (e) observat. Sed Venerab. Annalista interpolatis horumce auctorum Martyrologiis usus est. Beda sane in suo Martyrologio neutiquam potuit S. Gregorium III. recensere, utpote in Domino Defunctum aliquot post annos, quam ipse Venerab. Beda ad cœlos migravit; mortem enim Bedæ anno æræ vulgaris DCCXXXV. contigisse, recte Pagius ad annum DCCXXXI. ostendit. Nec Sancti hujus Romani Pontificis no-

C men

(a) Notiz. de Profess. &c. dal 1300. al 1400. p. 32. (b) Turrig. ibid., & Ugon. Station. p.99.
(c) Turrig. ibid. p. 383. (d) Cr. Vat. p. 86., & 87. (e) In not. ad Martyrol. Rom. die 28. Novembris.

men recensetur aut in genuino Adonis Martyrologio, quod nuper Cl. Dominicus Georgius edidit, aut in Usuardi Martyrologio pariter genuino, quod Sollerius Bollandi continuator publici juris fecit (*a*) sed tantum in hujusce Martyrologii Usuardini Auctario apud eumdem Sollerium ex mediæ notæ codicibus Albergensi, & Danico ad diem XXVIII. Novembris legitur in hunc modum: *Romæ S. Gregorii III. Papæ, & Confessoris*. Quorsum hæc? An Gregorii III. Sanctitas in dubium revocatur? Minime gentium. Solummodo videtur mihi, summus hic Antistites sero, ac nonnisi post aliquot annorum centurias ab ejus obitu in Tabulas Ecclesiasticas Sanctorum relatus fuisse. Cœterum tanti Pontificis virtutes satis perspectas habemus ex locupletissimo teste, nimirum ejus vitæ Scriptore (*b*) qui in Gregorio III. præter summam sacrarum rerum scientiam cum Græcæ Linguæ peritia conjunctam, eximiam laudat mansuetudinem, insignem animi demissionem, atque modestiam, qua supremam Romani Pontificis dignitatem invitus adiit, plurimum in animarum salute procuranda zelum, pro Catholicæ Fidei defensione adversus præsertim Leonem Isaurum, aliosque sacrarum Imaginum Impugnatores robur invictum, singularem Evangelicæ paupertatis dilectionem; in Captivos, Orphanos, Viduas, cunctos demum Egenos beneficentiam plane mirabilem; ac ut alia silentio prætercam, spectatissimam ejus pietatem, ac religionem, qua bene multam auri vim in sacris Ædibus extruendis, instaurandis, ornandisque impendit. Hæc profecto, quæ Auctor æqualis, vel certe suppar memoriæ prodidit, affatim Gregorii III. sanctimoniam demonstrant. Pontificis defuncti Corpus in Vaticana S.Petri Basilica, eodem biographo teste tumulatum fuit. Petrus Mallius postquam disseruit de nobili Oratorio, curante summo ipso Antistite in Basilica eadem erecto, & a nobis superius (*c*) commemorato, mox ita subdit: *Hic itaque Summus Papa Gregorius III. requiescit in loco illo, ubi nunc felicis memoriæ Beatus Eugenius Papa III. requiescit: ubi etiam ad honorem ejusdem Gregorii Papæ fuit erectus arcus optimo musivo depictus, & permansit arcus ille usque ad tempora Domini Eugenii III. Papæ. De quo habemus in Epitaphio ejusdem Gregorii hunc versum.*

TERTIUS HIC PAPA GREGORIUS EST TUMULATUS.

De prædicto Oratorio, eadem quæ Mallius, narrat Vegius (*d*) additque, S. Gregorii III. & Eugenii item III. Corpora simul tumulata jacere *ante Ostium* Sacrarii a dextera parte introitus; tum ait, Sepulcralem Gregorii III. Inscriptionem mox recitatam, erectumque illi arcum ex Musivo, a Mallio indicatum, periisse. Ad S. Pontificis tumbam marmor, quod relatas præfert orationes, olim fuisse collocatum conjicere fas est; tametsi de antiquo hujusce lapidis situ Turrigius ita loquitur, ut rem haud satis perspicuè indigitasse videatur; sic enim inquit: *Vedesi una pietra dove sono intagliate tre Orazioni fatte per l' Anima di Gregorio III. in S. Pietro al suo Sepolcro, e stava sotto il suo Altare*. Nunc certe marmor extat sub Vaticanæ Basilicæ pavimento in Sacello S. Mariæ Prægnantium nuncupato, & in altum pal. Rom. II. semis, in latum vero totidem plus minus extenditur.

Marmor inscriptum, quod in hac ænea tabula num. 2. exhibemus, in Sacello Sanctæ Mariæ *de Febri* ad Australem partem ambitus Confessionis Beati Petri asservatur; altum est palm. Rom. IV. latum vero totidem, & sic habet:

Benedictus Papa XII. Tholosanus fecit fieri de novo tecta hujus Basilicæ sub anno Domini MCCCXLI.

Magister Paulus de Senis me fecit.

Epigramma istud procul dubio spectavit auctor vitæ Benedicti XII. apud Balutium (*e*): cum enim asseruerit, Pontificem hunc ruinosa Ecclesiæ S.Petri tecta reparasse; mox ut narrationi fidem conciliet, ita inquit: *Prout ad ejus memoriam perpetuam in ea* (Sancti Petri Basilica) *literis grossis, & patentibus scriptum reperitur*. Tales profecto sunt literæ præsentis tituli commemorantis innovationem tectorum Basilicæ curante Benedicto XII. pera-

(*a*) To.VI. Junii Polland. part. 1., & 2. (*b*) Apud Anastas. Bibliothecarium. (*c*) Tab.IV. & V. (*d*) Num. 130., & seq. (*e*) Vit. Papar. Avenionens. tom. 1. col. 200.

ractam; singulæ enim palm. Romani quartam partem altitudine exæquant. Quod autem de Pontificis Patria adfirmat Inscriptio, id bene concinit cum prælaudata ejus vita, in qua Benedictus XII. fuisse dicitur *Natione Tolosanus de loco Savarduno Appamiarum Diœcesis*. Nam quo tempore ille natus est, Savardunum in Pago Tolosano continebatur, licet postea, cum Bonifacius VIII. Episcopatus Cathedram in Urbe Appamiarum locavit, ad aliam Diœcesim pertinere cœpit, ut Baluzius (*a*) notat.

Jam vero licet instaurandis amplissimæ Vaticanæ Basilicæ tectis Romani Præsules, Gregorius Magnus (*b*) Honorius I. Sergius I. Hadrianus I., & Leo IV. (*c*) animum applicuerint, neque curam hanc multi ex iis, qui deinde sequuti sunt, Pontifices neglexerint; gravi tamen negocio adversus temporis injurias haud satis consultum. Quam fœda etenim anno Christi MCCCXX. fuerit illius tecti facies, ex duabus Joannis XXII. Epistolis, altera hoc ipso anno, altera insequenti exarata (*d*) perspicue intelligimus. En literarum textus: *Trabes ejusdem Basilicæ, super quibus structuræ Tectorum consistunt in suis capitibus, quæ parietibus incumbere dignoscuntur, tanta sunt vetustate consumptæ, & etiam putrefactæ; quod illa lignamina super dictis trabibus contignata versus majorem, & altas portas ejusdem Basilicæ propter defectum ipsarum trab um non absque ruinæ periculo plicata sunt, & etiam inclinata; ita qu d non absque deformitate ipsius Basilicæ aliis suppositorum lignaminum sustentationibus fulciuntur: Ac præter dictas trabes dicuntur adhuc esse octo aliæ principales similibus defectibus subjacentes, licet earum defectus, parietum, & aliorum suppositorum lignorum velamine occupati, palpari nequeant, vel sic evidenter oculis apparere In eadem etiam Basilica versus locum, qui dicitur Sanctæ Mariæ pregnantium, unde itur ad Canonicam, quatuor caballaturæ lignorum incurvatæ similiter fore dicuntur*. Ita Joannes XXII. ex relatione a Canonicis S. Petri Avenionem transmissa. De re itaque vehementer sollicitus Pontifex multa parat ad amoliendum ruinæ periculum. Innovandis scilicet trabibus, ac tignis, Basilicæ tectum sustinentibus, tria florenorum aureorum millia suppeditat, redituſque addicit, ac proventus oblationum aræ principi Divi Petri a Fidelium turba impositarum, & ad Sedem Apostolicam pertinentium; Universis Christicolis, qui ad Vaticanæ Basilicæ reparationem subsidium contulerint, unum annum de injunctis peccatorum pœnis relaxat; datisque plurimis ad diversos literis (*e*), instaurationis negotium, cui totus incumbit, quantocius perficiendum Magistro Joanni Provinciali, Sancti Petri Canonico, Guillelmo Gervasii Canonico S. Ceciliæ, & Angelo de Tineosis Episcopo Viterbiensi, ac suo in Urbe Vicario inprimis demandat.

Has inter curas quamquam annos fermè quatuordecim Joannes Pontifex absumserit, sui tamen voti compos factus non est: imo æræ vulgaris anno MCCCXXXIII. quum ventorum impetu aliquot Basilicæ trabes corruissent (*f*) pejorem effecerunt sacræ ædis conditionem. Benedictus XII. qui post Joannem vita functum Christianam Rempublicam administrandam suscepit, vel ab ipsis Pontificatus primordiis, nimirum in primo Consistorio XII. Kal Januarii habito, mandavit, ut S. Petri Basilica, & Lateranensis, aliæque Urbis Ecclesiæ, ac Palatia reficerentur, & ad fabricam donavit quinquaginta millia Florenorum: quod legimus in hujus Pontificis vita, quæ apud Balutium (*g*) est ordine tertia. Sed minimè dubitandum, quin ille præ cæteris ædibus studium in Vaticano Beati Petri Sanctuario potissimum collocaverit. Edito enim Diplomate pridie nonas Martii anno salutis MCCCXXXV., qui Pontificatus sui primus numeratur, ea executioni mandari jussit, quæ ejus Præcessor de instauranda Principis Apostolorum Basilica decreverat. Primum igitur pecuniarum, quæ in Templi reparationem Joanne Pontifice, erogatæ fuerunt, administratores rationem reddere coegit; tum novum in eamdem rem peculium, reditus scilicet ex Vaticanis oblationibus, & flore-

(*a*) Ibid. col. 796. (*b*) Ex hujus Pontificis literis 24, 25., 26., & 27. lib. XII. Indictione V.
(*c*) Apud Anastas. Bibliothecar. in Pontificum istorum vitis; & quoad Hadrianum I. vide & Epistolam 65. Codicis Carolini. (*d*) Bullar. Vatic. Basil. tom. I. pag. 256., 259. (*e*) Ibid. a pag. 259. ad 287. (*f*) Ibid. pag. 286. (*g*) Vit. Pap. Avenion. tom. I. col. 219.

florenorum aureorum quinque millia (a) ex Apostolicæ Cameræ proventibus a Stephano Lasciutio Patrimonii Divi Petri in Thuscia, & Romanæ Ecclesiæ Thesaurario curatis impendi voluit; alios item Florenos auri bis mille haud multo post elargitus fuit (b) & iis, qui fabricationi subsidium contulissent, centum dierum Indulgentiam impertivit (c).

Instaurationis Provinciam Joanni Piscis Rectori Ecclesiæ de Esculenchis in diœcesi Narbonensi, viro plane solerti dedit, quem propterea ad Urbem misit, ac deinde Basilicæ Altararium designavit (d). Hic studiosè opus incœpit, parique diligentia est prosequutus, ac utique consummasset, nisi ejus industriam, atque sedulitatem mors intercepisset: Anno quippe Domini MCCCXXXVIII. e vivis abiit, postquam Divi Petri Sanctuarium magna ex parte reparavit, & ad alterius partis refectionem necessaria acquisivit ligna plurima, pro quorum facili, ac libera ex Brutiis, ac aliunde ad Urbem translatione Benedictus XII. ad Robertum Siciliæ Regem, atque alios literas conscripsit. Altararii munere (principis aræ Vaticani Templi is erat Custos, qui dona ad ipsum Altare Deo, ejusque Apostolo Beato Petro oblata, atque ad Sedem Apostolicam spectantia colligebat) Petrum Canonicum Atrebatensem Summus Pontifex decoravit; eumque, ac Thomam Giuraudum laicum Avenionensem perficiendæ sacræ ædis instaurationi præfecit; utrique insuper stipendium, Thomæ scilicet dimidium Floreni aurei, Petro autem unum Florenum aureum singulis diebus erogandum constituit (e). Duobus itaque millibus, ac quingentis Florenis aureis a Benedicto XII. iterum suppeditatis (f) paratisque trabibus, quarum nonnullæ palmos centum triginta tres longitudine porrigebantur (g) opus reparationis promotum ulterius est, & ad perfectionem redactum.

Ex illius ætatis ms. Codice Turrigius (h) enarrat Innovationi tectorum Basilicæ præfuisse Ballum de Columna, artis Architectonicæ peritissimum, ac Fabros tunc in Orbe celebres; quos inter Nicolaus Angeletto nuncupatus ex Vetralla oppido, & Paulus Senensis præstantiores erant; omnium autem summam pecuniarum, quas in hujusmodi instaurationem Benedictus XII. impendit, subducto calculo, octoginta Florenorum aureorum millia confecisse. Illud etiam ex memorato Codice, eodem Turrigio teste, observatione dignum est, quod cæteris tecti veteris trabibus ea sane præcellebat, quæ notata literis CON, forsitan Constantini Augusti Nomen, interprete ipso Turrigio, indicantibus, crassitie decem pedes exæquabat; quæve in complures Tabulas dissecta partim novæ contignationi aptata fuit, partim a Nobilibus Romanis nonnullis Religionis ergo, extruendis ad eorum usum mensis est adhibita. Permagnæ molis hoc lignum cum e tecto esset jamjam demittendum, aliquantum tremuit; tum Ballus, quem supra laudavimus, stans in peristylio, adeo pavit, ut statim incanuerit ea capitis parte, qua trabs illa ruitura videbatur. Hactenus Turrigius ex veteri scriptore, quem is Synchronum dicit. Post diutinos demum labores novum Basilicæ tectum anno Christi MCCCXLI. absolutum fuisse, facile ostendi potest ex ipsa, quam tractamus Inscriptione, atque ex ordine Chronologico Epistolarum Benedicti XII., quarum illæ, quæ a sui Pontificatus exordio ad annum MCCCXL conscriptæ sunt, frequentissime instaurationis negotium urgent, non item aliæ, quæ posterioribus annis datæ fuerunt. Cæterum quoad postremam Inscriptionis partem, nempe *Magister Paulus de Senis me fecit* significare hæc videtur Paulum hunc non tam reficiendis Basilicæ tectis, quam Benedicti XII. Pontificis effigiei marmoreæ exprimendæ, cui quidem Statuæ Epigramma ipsum in veteri Basilica appositum fuit, operam dedisse ut ad Tabulam VII. præmonuimus.

TA-

(a) Bullar. cit. tom. 1. pag. 295. (b) Ibid. pag. 298. (c) Ibid. pag. 301. (d) Ibid. pag. 291. (e) Ibid. pag. 309. seq. (f) Ibid. pag. 318. 323. (g) Severan. de VII. Eccles. pag. 127., & Turrig. Cr. Vat. pag. 72. (h) Lib. cit. pag. 127.

TABULA IX.

IN Sacellum S. Mariæ de Porticu nuncupatum ad hypogei Vaticani Meridionalem partem, Summo Pontifice Paulo V., translata est marmorea Divi Petri Statua apprimè vetus, quæ inter columnas porticus antiquæ Basilicæ supra valvas æreas olim extitit, & in hac tabula delineata cernitur. Primo, ut nonnulli putant, consularem virum repræsentavit: & caput quidem, brachium dexterum, manumque lævam adjuncta esse constat. Alta est palmos Rom. fere sex, & Apostolorum Principem exhibet solio insidentem, tunica, pallioque indutum, dextera elata benedicentem, sinistra duas Claves gestantem; soleatum denique, ac barbatum, sicut in aliis monumentis videre est: æneoque diademate inaurato caput ejus cingitur. De prædictis indumentis hic non est cur agamus, cum alibi rem explicaverimus. Memoriam nunc subit, quod de Pio II. Pontifice Maximo celeberrima pompa venerandum S. Andreæ Apostoli caput ad Vaticanam Basilicam deferente in ejusdem Pii Commentariis (a) quondam legi, nempe: hic summus Antistes Sacrum Verticem gestans, ubi ingressus fuit ipsius Basilicæ Atrium, Divi Petri Simulacrum, de quo loquimur contemplatus, tanquam statua ipsa ob Andreæ germani Fratris adventum lætabunda fleret, collacrimatus est; duorum Fratrum, qui se jampridem non vidissent concursum, atque complexum mente revolvendo. Turrigius (b) usum commemorat tum eam statuam olim in S. Petri Festo Pontificalibus ornandi vestibus; tum etiam pium Fidelium morem, ipsius simulacri protensum dextrum pedem osculantium: quo in loco idem Auctor scite observat, Orthodoxos ad præstandum obsequii, obedientiæ, & subjectionis argumentum erga S. Matrem Ecclesiam, & Jesu Christi Vicarium, vetustiori etiam ætate pedem Romani Pontificis osculari consuevisse: & in rem hanc opportune Libri Pontificalis, sive Anastasii Bibliothecarii testimonia suppeditat. Ibi enim legimus id observantiæ genus Valentino, & Leoni IV. in Romanos Antistites electis fuisse exhibitum; & hoc ipsum Benedicto Papæ III. a suis adversariis præstitum. Imperator item Justinianus II., *Augustus Christianissimus cum Regno in capite sese prostravit, pedes osculans Pontificis* Constantini, qui anno æræ Christianæ DCCVIII. in S. Petri Cathedram evectus est: eodemque honore Siginulphus, Beneventi Princeps Sergium II. Romanum Antistitem fuit prosecutus, quum *solo prostratus, pretiosos ipsius pedes humiliter osculatus est*, ut vulgatus Anastasius enarrat (c) Sic etiam Luitprandus Langobardorum Rex S. Gregorium II., Rachis item Rex Langobardus S. Zachariam, Carolus M. Hadrianum I. Ludovicus Lotharii filius Sergium II. Stephanus Hungariæ Rex Benedictum VIII., Fridericus I. Alexandrum III. Sigismundus Imperator Eugenium IV. Fridericus III. Imperator Nicolaum V. Carolus VIII. Galliarum Rex Alexandrum VI. Carolus V. Imperator Clementem VII. aliique Principes Viri Romanos Pontifices osculo pedum coluisse ab historiographis referuntur. Ad hæc, Eugenio III. Papæ in Urbem revertenti maximam Populi frequentiam occurrisse, ejusque pedes fuisse osculatam, in hujus Summi Præsulis vita (d) Cardinalis Aragonius tradit. Consule, si lubet, Josephi Stevani Valentini librum de osculatione pedum Summi Pontificis &c. Coloniæ anno MDLXXX., ac Romæ MDLXXXVIII. editum. Sed ut ad S. Petri Statuam redeamus, ipsam circumstant ornatus marmorei, ac musivi, columnæ quatuor modicæ altitudinis, ac duo parva simulacra, totidemque lapidei Leones, qui Urbani VI. Papæ Sepulcro adjacebant, vigilantiam Symbolicè designantes; hinc valvis Templorum, ac Palatiorum, quasi vigiles, & custodes adpingi consueverunt, quemadmodum Florus Apollo in suis Hieroglyphicis (e) adnotavit. Cathedra huic simulacro Principis Apostolorum accommodata,

(a) Lib. 8. (b) Cr. Var. pag. 73. seq., & 157. (c) In Sergio II. Sect. 488. (d) Apud Muratorium tom. 3. Script. Rer. Ital. pag. 439. (e) Hierol. 19.

data, ipsa eadem est, cui Statua Benedicti XII. Pontificis, de qua nos alibi (a) diximus, imposita olim cernebatur. Ex duabus autem Statuis palmos Rom. fere III. altitudine exæquantibus, altera quæ ad S. Petri dexteram sita est, Angelum repræsentat; altera vero sinistrorsum collocata Apostolorum quempiam refert, tunica, & pallio amictum; atque explicatum volumen gerentem. Antiqui enim libros, Chartas Pergamenas, & hujusmodi in gyrum complicare, atque ad cylindri similitudinem convolvere solebant; qualis certe erat ille *involutus Liber*, cujus Ezechiel Prophets (b) meminit. Hinc Libri *volumina* appellati, & scripturis nonnullis *Rotulæ* nomen quoque inditum: hinc etiam latina phrasis *libros evolvere*, idest aperire, sive complicatos explicare; quemadmodum Apostolus hic insculptus codicem explicat, qui Sanctum Jesu Christi Evangelium, aut Apostolicas Epistolas significat (c).

Ima hujus tabulæ pars exhibet tres illos lapides, supra quos sanguinem fudisse dicitur Virginis Deiparæ imago impie percussa, de qua videsis Tabulam VI.

TABULA X.

PErvetus monumentum, quod in hac Tabula num. I. indicatur, tessellato opere elaboratum est, & altitudine palm. Rom. fere VII., latitudine vero palm. VIII. protenditur. Olim in veteris Basilicæ Vaticanæ atrio, quod *Paradisum* dicebant, supra Ottonis II. Imperatoris nobile Sepulcrum extabat; quam quidem rem innuunt cum posterioris ævi Scriptores, tum veteres, quos inter Ditmarus in Chronici sui lib. 3. sub finem narrat, eumdem Ottonem Augustum in urbe Roma e vivis migrasse, tumulatumque *ubi introitus Orientalis Paradisi Domus Sancti Petri cunctis patet Fidelibus, & imago Dominica honorabiliter formata venientes quosque stans benedicit*. Ibidem sane musivum ipsum, Domini Nostri Jesu Christi, Sanctorumque ejus Apostolorum Petri, & Pauli præseferens imagines, persistebat, cum Venerabilis Card. Baronius res anno æræ vulgaris CMLXXXIII. gestas literis mandabat; quo in loco (d) observat, suo adhuc tempore perseverasse antiquum morem illum, ut qui prædictum Atrium ingrederetur, genuflectens Orientem versus oraret, non ut Solem Orientem superstitiose coleret, quemadmodum illi factitabant, quos S. Pontifex Leo Magnus (e) redarguit, sed ut ab eo, qui repræsentatur in imagine benedicente, ab ipso, inquam, Salvatore benedictionem acciperet. Verum paulò post in ejus Atrii demolitione sacræ illæ imagines diligenter a muro avulsæ, *& tabulis gypso conglutinatæ*, inquit Jacobus Grimaldus testis oculatus (f) *latæ fuerunt in quoddam cubiculum Fabricæ juxta Sacellum SS Leonum, ubi nunc fit Capitulum Canonicorum*: ac tandem in subterraneo ambitu sacræ Confessionis Divi Petri ad meridiem affixæ muro sunt, ubi egregium plane monumentum hodieque asservatur; jamque existebat anno Domini MDCXXV. ut ex Nicolao Alemanno, qui eo anno suam de Lateranensibus parietinis doctissimam edidit Dissertationem, facile (g) intelligimus.

Idem musivum, curante primum ipso Alemanno (h) deinde Joanne Ciampino (i) tabulis incisum, publici juris factum est. Sed intercedit discrimen aliquod inter ectypon, quod Auctores isti effici curarunt, & exemplar, seu archetypum ipsum, quod modo cernitur ex parte reparatum, quodve in hac tabula repræsentamus. Nam apud Alemannum, & Ciampinum, pallium S. Pauli supra ejusdem Apostoli caput reflectitur, dexteraque ipsius vacua prorsus est, ac

(a) Tabula VII. Consuli etiam potest Ciampinus de Sacr. ædific. Tab. XVIII. lit. B. (b) Cap. 2. vers. 9. (c) Consulendus Guillelmi Durandi locus ad Tab. X. recitatus. (d) Num. 15. (e) Serm. 26. in Nativit. Domini. (f) Instrum. pag. 143. (g) Pag. 88. ejusd. Dissert. (h) Ibid. (i) De Sacr. Ædif. Tab. XXIV.

ac S. Petrus dextera Crucem tenet: in reparato autem monumento & Pauli caput detectum aspicitur,& ejus dextera gladium gestat, ut notat etiam Turrigius (*a*) nec quidquam apparet in S. Petri dextera. Quid igitur? Alemannus ne, an potius monumenti instauratores allucinati sunt? Præstat si bene arbitror, Alemanni rerum antiquarum peritissimi sequi fidem, præsertim quod laudatus Grimaldus musivum contemplatus, ac inspiciens, ita illud, nulla omnino facta mentione de Pauli dextera gladium gerente, indicata vero Cruce Divi Petri, describit (*b*): *Imago Salvatoris in habitu coloris castanei obscuri elevata manu benedicentis, pollice cum anulari conjuncto, ut in antiquis musaicis, & picturis cernitur; sinistra vero amplectebatur S. Petrum, qui Crucem in una, & tres claves in altera manibus tenebat. A dextris Salvatoris S. Paulus habens Scripturæ Rotulum.*

Christus Dominus, ac uterque Apostolus tunica,pallioque induti pro more exhibentur. Redemptor Noster diademate, seu corona gloriæ caput redimitus lævam supra D. Petri humeros extendit, ad proprium vero pectus effert dexteram, cujus pollex, & anularis curvati, ac inter se commissi, tres alii digiti erecti conspiciuntur in eumdem plane modum, quo dextera ipsius Salvatoris Nostri musivo expressa fuit in abside veteris Basilicæ Vaticanæ, & in aliis, quæ Turrigius (*c*) indigitat, priscis monumentis, in fronte scilicet ejusdem antiquæ Basilicæ, in abside Ecclesiæ S. Pauli, in sacris veteribusque ædibus S. Peregrini, Cæciliæ, ac S. Urbani in Via Appia. Ea quidem digitorum dispositione, qua Ciampinus Græcarum formam literarum *IC* & *XC* (latine *Iesus Christus*) deprehendere sibi visus est; Turrigius, idemque Ciampinus actum benedicentis more Græcorum designari judicant. Interpretatio hæc displicet Conrado Janningo Bollandiano, qui schemate illo gestum docentis, & instruentis repræsentari censet (*d*); quamvis demum plausibilius dici posse opinetur, eam manus compositionem æque Latinorum esse, ac Græcorum, si non potius Latinorum: tres autem digitos erigi in Cœlum, ut eo cogitationes nostras dirigamus ad contemplandam SS. Trinitatem; digitumque anularem, ac pollicem supremis articulis inter se contingentes conficere litteram *O* aut anulum æternitatis hieroglyphicum ad significandum, bona, quæ in Cœlis reposita sunt, æterna fore, spemque illa consequendi per Benedictionem Divinam impertiri, vel augeri hominibus.

Sancti Pauli effigies prolixam de more barbam gerit; tunica, & pallio sic induta apparet, ut juxta prælaudatum Alemanni exemplar, superior pallii pars verticem quoque Apostoli contegat; caput diademate redimitum est, dextera ad pectus elevatur, sinistra volumen ad cylindri formam tenet. Guillelmus Durandus (*e*) scribit, Patriarchas, & Prophetas pingi cum rotulis in manibus; & ex Apostolis quosdam cum Libris, quosdam vero cum rotulis, seu voluminibus; ac hujus rei eam profert rationem, quod scilicet *ante Christi Adventum Fides figurativè ostendebatur, & quoad multa in se implicita erat: ad quod ostendendum Patriarchæ, & Prophetæ pinguntur cum rotulis, per quas quasi quædam implicita cognitio designatur. Quia vero Apostoli a Christo perfecta edocti sunt; ideo Libris, per quos designatur congrua perfecta cognitio, uti possunt. Sed quia quidam illorum, quod didicerant, ad Doctrinam aliorum scriptis redegerunt; ideo illi congrue tanquam Doctores cum Libris in manibus depinguntur, sicut Paulus, Evangelista, Petrus, Jacobus, & Judas. Alii verò qui nihil stabile, seù ab Ecclesia approbatum scripserunt, non cum Libris, sed cum rotulis in signum suæ Prædicationis pinguntur.* Equidem Durando ita asserenti suffragari in cunctis haud possum. Paulus enim, qui ad Ecclesiam erudiendam bene multa literis tradidit, tum in hoc musivo, tum in aliis vetustis monumentis volumen, non librum gestans exhibetur.

Imago etiam S. Petri nitet diademate; tunica, pallioque cingitur; & antequam Musivum instauraretur, dextera gerebat Crucem, ut in antiquis non nullis Christianorum sarcophagis cernitur: quæ sane Crux designare videtur Martyrii genus ab eodem Apostolorum Principe pro Fide consummati. Petrus enim *Dominicæ passioni adæquatus est*, nempe uti Christus Dominus, Cruci suffixus; Paulus vero *Joannis exitu*, idest eo-

(*a*) Cr. Vat. pag. 75. (*b*) Loc. proxime cit. (*c*) Pag. 154. (*d*) Tom. 6. Junii par. 2. pag. 135. & 136. (*e*) Rat. Div. Off. lib. 1. cap. 3. num. 11.

eodem supplicii genere, quo S. Joannes Baptista (*a*) gladio scilicet, *coronatus* fuit, ut inquit Tertullianus (*b*) & vetustissima Ecclesiæ habet traditio.

In ejusdem S. Petri læva circulus inspicitur, ex quo tres pendent claves. His profecto præter geminum ligandi, solvendique jus aliud quoque indicatum vidit Alemannus in prælaudata de Parietinis Lateranensibus Dissertatione (*c*), ubi sententiam suam explicat in hunc modum: *Scilicet senserunt* (majores) *potestatem illam, quæ ad continendam in Officio Christianam Rempublicam Petro concessa est, jure suo longe, lateque manare, extendique, cum opus est, ad civilem quoque statum temperandum; qui tum optime temperatus, ordinatusque putatur, cum ne latum quidem unguem a pietate discedit, qua una, & uno animorum bono civile omne negotium metitur Christiana Religio. Tertia igitur clavis munus est illud, quod ex ligandi, atque solvendi jure consequitur, nempe sæcularia ad spiritualia dirigendi*. Huc sane Alemannus refert illud Leoniani triclinii emblema, quo per imagines tum Divi Petri sedentis, ac tres Claves sinu suo gestantis, vexillumque Carolo Magno tradentis, tum ipsius Caroli Regis coram Apostolorum Principe genibus innixi, factam a Leone III. Petri Successore translationem Imperii Occidentalis ex Græcis ad Francos, non obscure innui judicat: ac præterea ex vetusto Bibliothecæ Vaticanæ Codice sign. num. 699. aliam exhibet effigiem S. Petri Clavem triplicem tenentis: suamque memorati emblematis interpretationem ex recuso hic a nobis monumento, quod extabat, ut prædiximus ad Ottonis II. tumulum, confirmat; ratus inde colligi Petrum tergeminas Claves gerentem depingi consuevisse sub Ottone Magno Augusto proximo Ottonis II. Præcessore, cum a Joanne XII. Romano Pontifice ad Germanos translatum est Imperium. Alemanni Sententiæ refragantur Eruditorum nonnulli, quos inter Clariss. Viri Antonius Pagius (*d*) & Joseph Simonius Assemannus (*e*) censent in triclinii Leoniani Musivo non collatum Carolo Magno Imperium, sed eum Romanæ Ecclesiæ constitutum fuisse Defensorem, ipsique vexillum patriciatus Romanorum missum, repræsentari; quod in eo emblemate Carolus Regis quidem non Imperatoris titulo decoratur. Nostra hic non interest hujus controversiæ examen; ac proinde ad Theophili Raynaudi opinionem de ternis clavibus Petro appictis recitandam progredimur. Scriptor ille ex ternario numero consummationem undequaque absolutam designante colligit, triplici ea clavi perfectam potestatis Pontificiæ plenitudinem insinuari: & huc plane eos revolvi existimat, qui pro triplici actu potestatis intervenientis ad plene, & integre obeundam totius Ecclesiæ præfecturam, triplicem S. Petri clavem secernunt, idest Scientiæ, Potentiæ, & Jurisdictionis; ad quod explicandum sic mentem suam aperit (*f*): *Ad clavem primam pertinet reseratio, sive propositio veræ Doctrinæ. Eam quippe propositionem Christus ipse Lucæ II. expressit nomine clavis scientiæ, cum dixit* Væ vobis Pharisæi, qui accepistis clavem scientiæ; *idest, quibus in vestro supremo capite data est potestas directiva, seu legislativa, & consequenter correctiva delinquentium. Ad clavem tertiam pertinent functiones aliæ in rectione adæquata inclusæ, quibus & dispensationes, & Sacramentorum administrationes, ac hujusmodi alia continentur. Et juxta hoc ut significaretur, omnes has inadæquatas potestates integrasse unam plenam S. Petri potestatem in universam Ecclesiam, olim* (*seclusa etiam clave Inferorum, quam Ecclesiæ præter claves vitæ tribuit creditus Augustinus Homil. 2. in Apocal.*, *ea, inquam, clave seclusa, quæ a Deo non est collata, sed ab unoquoque sibi perverse fabrefacta*) *ternæ claves S. Petro appingi solebant*. Hæc Raynaudus. Illud sane certum est quam maxime, tribus clavibus amplissimam S. Petro potestatem a Christo collatam insinuari; numerus namque ternarius est perfectionis, & clavium Symbolo potestatem designavit ipse Christus Dominus eumdem B. Petrum allocutus iis verbis (*g*): *Tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum, & in Cœlis*. Cæterum, ut nonnulli ve-

(*a*) Matth. cap. 14. (*b*) Lib. de Præscript. hæret. cap. 36. (*c*) Pag. 86., & 87. (*d*) In Crit. Baron. ad Ann. Chr. 796. (*e*) In Excerptis de Sacris Imaginib., quæ paucos ante annos prodierunt adnexa Dissertat. Alemanni de Parietin. Lateran. edit. Rom. 1756. pag. 153. (*f*) Tom. 10. Operum, In Corona aurea super Mitram Rom. Pontif. prænot. 4. (*g*) Matth. cap. 16. v. 19.

veteres Ecclesiæ Scriptores adnotarunt, quam potestatem Christus a Patre accepit cum per humilitatem assumptæ humanitatis datum fuit ei nomen, quod est super omne nomen, ut in Nomine Jesu omne genuflectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum (*a*), eamdem suis largitus est Præsulibus cum adversus Ecclesiam portas inferi minime prævalituras promisit (*b*), ac Petro claves tradidit Regni Cœlorum. *Cui ergo portæ Inferi non prævalebunt, & cui ligandi, atque solvendi in cœlo, & in terra privilegium traditur, constat quia ET COELO, ET TERRÆ, ET INFERNO PRINCIPETUR. Cum ergo Pontifex superliminare futuræ ecclesiæ virga pastorali ter percutit, ostendit quia sibi COELI, ET TERRÆ, ET INFERI POTESTAS CEDIT.* Ita S. Ivo Carnotensis in sermone de Sacramentis dedicationis Ecclesiarum apud Hittorpium (*c*); eademque sententia est vetusto Auctori Operis inscripti *Gemma Animæ* (*d*). Igitur cum trinæ hujus potestatis meminerint diserte veteres, ad eam respexisse mihi videntur, qui Apostolorum Principem tres claves gestantem effinxerunt. Quod si rem mysterio vacare, & ad pictoris arbitrium referre quis velit, non repugno: nam extant quoque monumenta, in quibus Sanctus Petrus eum una tantum clave repræsentatur, ut videre est in veteri plumbo penes eximium præsulem Stephanum Borgiam, & in vetusto signo apud Cl. Ant. Franc. Gorium in Florileg. Noctium Corytan. (*e*), atque id ipsum præferunt signa Romanorum Pontificum Victoris II., & Alexandri item II. a Ciaconio (*f*) prolata, ac vetustus lapis apud prælaudatum Alemannum (*g*). De his verò satis.

Nonnulla opus est nunc dicere de antiquo sane ritu, quem in hoc musivo, uti in aliis etiam monumentis observare est, Paulum scilicet a dextris, Petrum vero a sinistris collocari. Hunc morem primatui Divi Petri nil prorsus afferri detrimenti, plane constat, & concors est omnium orthodoxorum sententia: Sed in reddenda ejus consuetudinis ratione varii varia opinantur, adeo ut veritas haud satis perspicua sit. Quas viri docti proferunt rationes, paucis recensere juvat. Prima est, quod in rebus sacris lævam dextera digniorem Judæi, Græci, ac Romani existimarint. Qui causam hanc vel primi excogitarunt, vel suo calculo comprobavere ad Synodos provocant, propterea quod in Concilio Nicœno I. Eusthatius Antiochenus Episcopus primus ad dexteram sedebat, Osio, aliisque Sancti Silvestri Legatis sedentibus ad sinistram non secus ac in Concilio Calcedonensi Legati Sancti Leonis Papæ ad lævam, Dioscorus vero Alexandrinus Patriarcha ad dexteram: In sexta demum Synodo a sinistris Imperatoris sedebant Romani Pontificis Legati, in dextris Macharius Antiochenus, & Georgius Constantinopolitanus. Præterea Sophronius Hierosolymitanus Antistes, in Encomii, seu Commentarii ab eo de SS. Martyribus Cyro, & Joanne concinnati fragmento, quod legitur Act. IV. Concilii Nicœni II. (*h*), visam ab se in splendido quodam templo pictam tabulam commemorat; in cujus medio Christus Redemptor noster, ad lævam Gloriosissima Deipara, ad dexteram S. Joannes Baptista repræsentabantur. Nec alia desunt argumenta, quæ ad rem confirmandam Antonius Nebrissensis exposuit in explicatione 1. locorum Sacræ Scripturæ (*i*). Contra vero, dexteram ubivis gentium potiorem, nobilioremque fuisse habitam, Allatius (*k*) & alii demonstrare adnituntur. Sane Christus Dominus in extremo atque universali Judicio statuet oves a dextris, hædos a sinistris (*l*): & ordo Romanus I. (*m*) apud Mabillonium Episcopos a dextris Pontificis, Presbyteros vero ad ejus sinistram sedentes exhibet. Attamen fieri potuit, ut læva aliquando honoratior, digniorque reputata fuerit: & hoc fortassis nomine Principem Apostolorum Petrum a sinistris Pauli collocatum in vetustis Imaginibus intueamur. Cui minus ratio hæc arridet, is alteram accipiat, quam Vener. Card. Bellarminus (*n*) ita explicat: Paulus plus Ecclesiæ profuisse videtur, quam Pe-

(*a*) Ad Philipp. cap. 2. v. 9., & 10. (*b*) Matth. cap. 16. v. 18. (*c*) Collect. SS. Patrum, & Veterum Scriptor. de Divinis Officiis, ac Ministeriis pag. 419. edit. Rom. ann. 1591. (*d*) Lib. 1. cap. cap. 151. (*e*) Cap. 8. p. 81. (*f*) Vit. Pont. & Card. tom. 1. col. 807. & 833. (*g*) Pag. 68.
(*h*) Apud Labb. tom. 8. Conc. col. 1405. edit. Venet. (*i*) Cap. 39. (*k*) De Eccles. Occ. & Or. Conf. lib. 1. c. 6. num. 7. & seq. (*l*) Matth. cap. 25. (*m*) Num. 4. (*n*) De Rom. Pontif. lib. 1. cap. 27.

trus, plures enim ex Gentibus ad Christi fidem adduxit, plures Provincias summo cum labore peragravit, plura scripta, eaque utilissima nobis reliquit: Ecclesia vero in colenda Sanctorum memoria respicit gradum honoris, quem in terris habuerunt, ac utilitatis, quam posteris attulere. Cum autem grati animi causa eos honoret, illis majorem defert cultum, quibus plus debet. Certe Stephanus, & Laurentius Diaconi tantum erant, quorum ille Sancto Jacobo Episcopo, & Apostolo, iste Divo Sixto Summo Pontifici ministravit; & tamen Ecclesia magis honorat Stephanum, quam Jacobum; magis Laurentium, quam Sixtum; quia clarissima horum Diaconorum Martyria toti Ecclesiæ mirificè præluxerunt. Pari ratione S. Hieronymus, & S. Thomas Aquinas simplices Presbyteri fuerunt; Antonius, Benedictus, Franciscus ne Presbyteri quidem; & tamen ab Ecclesia, quoad cultum attinet, multis Sanctis Episcopis, & Martyribus, ac summis etiam Pontificibus præponuntur, quoniam illi scriptis libris, isti Ordinum Religiosorum institutione plurimum Ecclesiæ profuerunt. Tertia ratio est, quod Paulus Gentium Apostolus fuit constitutus, Petrus vero Judæorum: his autem ob ipsorum perfidiam rejectis, ex Gentibus collecta est Ecclesia, istæque Judæis meritò antepositæ. Quartam rationem suppeditat post Divum Petrum Damianum S. Thomas (a) qui ideò in plumbeis Pontificiorum Diplomatum signis Apostolum Petrum dexteram, Paulum vero sinistram tenere affirmant, quia hic a Christo gloria immortalitaris donato, ille ab eodem Servatore nostro adhuc mortalitatis carne circumdato ad Apostolatus officium selectus fuit. Quæ sane ratio ex eo roboratur, quod per sinistram vita hæc præsens, & caduca, per dextram vero cœlestis atque perpetua designatur, ut S. Gregorius Magnus animadvertit (b). Quinta ratio est quia Paulus fuit ex Tribu Benjamin, in quo etiam typice est præmonstratus (c). At Hebraice Biniamin latine sonat, *Filius dexteræ*; idemque, Divina Scriptura teste (d) a Joseph Patriarcha aliis fratribus fuit honore prælatus. Huic rationi, quæ S. Petri Damiani est in Epistola ad Desiderium Abbatem (e) bene concinunt carmina exarata in argenteo numismate in Basilicæ Lateranensis Ciborio, ubi Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli capita adservantur tali inter se ordine posita, ut Paulus ad Petri dexteram cernatur; Dysticon autem sic habet:

Cedit Apostolicus Princeps tibi Paule; vocaris
Nam DEXTRÆ NATUS, vas, tuba clara Deo.

Sexta ratio petitur ex Petri humilitate, atque modestia plane maxima, ad quam significandam is, licet Apostolici Senatus Princeps, a sinistris collocetur. Septima ratio nonnullis ea est, quod cum Paulus Petro præponitur, significari potest hos Apostolos esse meritis æquales perinde ac, dum sacri Codices (f) nobis insinuant, Christum ad dexteram Patris sedere, de Filii cum Patre æqualitate admonemur: Huc etiam referri possunt aliquot monumenta, quæ Petrum a dextris, Paulum a sinistris exhibent præsertim fragmenta vitrea, apud Boparotium (g) & Boldettum (h). Nimirum hunc ordinem in collocandis utriusque Apostoli signis observarunt teste Mucantio (i), Nicolaus IV. Bonifacius VIII., Nicolaus V., Pius II., Sixtus IV., aliique Romani Pontificis; observavit & vetus Auctor pictæ tabellæ, quæ in Vaticana Basilica inter Sanctorum Reliquias religiose custoditur, & ad S. Silvestri Summi Pontificis ætatem pertinere nullo satis gravi testimonio dicitur; observarunt demum alii, ut antiqua evincunt exempla ab Allatio (k) relata. Hac ritus varietate, & inconstantia Bellarminus indicari putat, gloriosissimos Christianæ Fidei Principes, vel pares esse inter se vel certe ignorari, uter alteri præstet. Profecto S. Leo Magnus (l) de utriusque meritis, atque virtutibus ait, *nihil diversum, nihil debemus sentire discretum; quia illos & electio pares, & labor similes, & finis fecit*

(a) In Epist. ad Galat. cap. 1. lect. 1. (b) Hom. 21. in Evang. (c) S. Augustinus serm. 4. de Sanctis. (d) Gen. cap. 43. v. 34., ac 45. v. 22. (e) Inter illius opera tom. 3. pag. 265.
(f) Marci cap. 16. v. 19. (g) Observat. in fragm. vitr. pag. 77. (h) Observat. in Cœmet. pag. 191. 194. 201. &c. (i) In opusculo infra cit. (k) Ubi supra num. 8. (l) Serm. 1. de nat. Apost.

fecit æquales. Id tamen orthodoxus quisque non ita debet accipere, ut Paulum censeat Petro æqualem sine illius subordinatione, & subjectione eidem Summo Religionis Hierarchæ Petro, in supremæ potestatis jure, & Universæ Ecclesiæ regimine: hanc quippe sententiam Innocentius X. ann. 1647. proscripsit. Eam etenim æqualitatem constituere licet in diverso prærogativarum genere, quo & alter alterum antecellit, & propriam uterque prærogativam possidet numeris omnibus absolutam. Sic Divus Maximus (*a*) dum Petro clavem potentiæ, & Paulo clavem sapientiæ traditam esse dicit; etsi in hoc majorem sapientiam, in illo tamen majorem potestatem agnoscit. Sed in ordinem regrediamur.

Denique, rationem hucusque traditis prorsus dissimilem Antonius Caracciolus (*b*) excogitavit. Is nimirum e sculptorum, Pictorumque oscitantia, atque imperitia morem, de quo agimus, profluxisse autumat. Sed opinionem hanc quisque reiiciet animum advertens ad remotissimam ritus vetustatem, quo S. Paulus a dextris Divi Petri depingi, aut cælari consuevit. Numquid enim una cum Pictoribus, Sculptoribusque cæcutiere tot sapientissimi Catholicæ Ecclesiæ Antististes, qui morem, si Caracciolum audiamus, inconsulte, ac imperite inductum neutiquam castigarunt? *Durum est valde*, inquit S. Petrus Damianus in prælaudata Epistola, *ut opinemur, quia tam egregium, tamque famosum Apostolicæ dispositionis ordinem inconsulte, atque inconsiderate devota Deo, ac Religiosa vetustas admiserit. Neque enim credendum est, ut Constantinus Imperator, imo Papa Silvester, totque post eos Principes, & Sacerdotes in Ecclesiasticæ disciplinæ pervigiles, atque solertes, hunc ordinem tantorum Principum negligendum ducerent, si increpationi aliqua dignum existimarent*. Explodenda itidem Sententia Paridis de Graffis, qui apud Allatium (*c*) censet, Benedictinæ Familiæ Monachos, Ostiensem Divi Pauli Basilicam incolentes, nimio ejusdem Apostoli tutelaris amore abreptos, primos fuisse qui Gentium Doctorem ad Pauli dexteram collocarint. Non ita sane existimasset Paris, si inter alia mouumenta S. Benedicti ætate vetustiora vel semel inspexisset aut in Vaticano Templo marmoreum Probi Anicii, & Probæ Faltoniæ sarcophagum, ubi Paulus dexteram, Petrus verò sinistram tenet; aut pervetus musivum arcus principalis, seù triumphalis in Ostiensi Sancti Pauli Basilica, ubi eadem ipsorum Apostolorum observatur positio. Cæterum quas ex Divo Petro Damiano, Card. Bellarmino, Mucantio sacris cæremoniis Præfecto in libello, quem de Imaginibus Petri, & Pauli Gregorio XIII. nuncupavit anno Domini MDLXXIII., & ex aliis qui ad propositam quæstionem dilucidandam insudarunt, superius recitavi rationes, nec securus amplecti velim, nec temere ausim refellere. Alia mihi ratio aliquando in mentem venit; sæpe forsitan veteres in assignanda dextera tanquam nobiliori, digniorique loco, ad intuentium potius, quam ad objectorum dexteram respexisse: quod si veritati consonum est, in hoc musivo, aliisque idgenus monumentis nobilior locus Petro decerni ur, qui ad aspicientium dexteram constituitur. Postremam hanc rationem, quam a viris doctissimis Leone Allatio (*d*), Petro de Marca (*e*) & Philippo Bonarotio (*f*) traditam, postea animadverti, prolatis aliis verisimiliorem puto, probabilioremque censeo. Hæc de egregio plane vetustatis monumento, ex quo confectum est exemplum anno Domini MDCCIX. in pinacotheca Vaticana collocatum.

Quæ in hac ipsa ærea tabula sequuntur figuræ, II., III., & IV., marmoreas exhibent trium Apostolorum statuas in altitudinem palm. Rom. paulò supra quinque, olim Ciborium ornantes, quod Sixtus IV. Pontifex supra sacrosanctum Altare Beati Petri magnificè constituerat, ut alibi dictum est. Ex tribus hisce simulacris prius Jacobum minorem, alias Ἀδελφόθεον hoc est *Fratrem Domini* nuncupatum refert juvenili ætate, atque imberbem, nec non cæsarie oblonga: de ipso enim Hegesippus apud Eusebium (*g*) ait *Comam nunquam totondit*. Extat modo hæc Statua in abitu Confessionis B. Petri ad Meridiem. Quod proxime sequitur

(*a*) Serm. ult. de SS. Petro, & Paulo. (*b*) Apud Allatium supra cit. num. 3. (*c*) Loc. sup. cit. num. 13. (*d*) Loc. cit. cap. 6. (*e*) Differtat. de Primatu S. Petri num. 21. ap. Baluz. (*f*) Observat. in Vitr. pag. 77. (*g*) Hist. Eccles. lib. 2. cap. 23.

quitur fig. 3, simulacrum brachio dextero truncatum, est S. Thomæ Apostoli: Librum sinistra gerit, indicium, ni fallor Evangelii ab eodem Parthis, Medis, Persis, Bactris, Hyrcanis delati, ut S. Gregorius Nazianzenus (*a*), Origenes apud Eusebium (*b*) aliique veteres fidem faciunt: in eodem ambitu Confessionis ad Occidentem nunc prostat. Quo etiam in loco posita fuit Divi Jacobi Majoris, nempe Zebedæi, Statua, quam figura IV. repræsentat. De Apostolorum vestibus taceo, quoniam hac de re alibi sermo est.

TABULA XI.

Mutilum, quod hic sub numero I. aspicitur marmor operis Anaglyptici altum palmos III. circiter, latumque totidem, ad Card. Heruli Episcopi Spoletani anno reparatæ salutis MCCCCLXXIX. defuncti sepulcrum, de quo infra, olim extabat, nunc sub templi pavimento in sacello *S. Mariæ Prægnantium*, sive *Angelorum* nuncupato asservatur. Salvatorem Nostrum Jesum Christum exhibet Cherubinis circumdatum, dextera benedicentem, indice, & medio erectis, cæteris inclinatis anulari conjuncto cum pollice; ac læva clausum librum tenentem: Hic si Turrigio (*c*) credimus, volumen illud significat, quod septem obsignatum sigillis Agnus idest Christus aperuit, quemadmodum in S. Joannis Apocalypsi (*d*) legimus. At librum quoque Evangeliorum legem scilicet a Christo Domino latam, congruenter denotare potest; dummodo hæc Imago Salvatorem Nostrum refert, ut Turrigius, & Grizius (*e*) existimant; quamquam Inscriptio iconi eidem apposita nihil de hac re decernit, sed tantum habet: *Hæc imago erat ad Sepulcrum Card. Heruli*. Si quis vero in ea prolixam barbam contemplatus, decori senis vultum agnoscat, ac proinde Divini Verbi Æternum Patrem insculpto hoc lapide repræsentari velit, is Tabulam II. adeat, ubi similis plane effigies reperitur, atque explicatur.

In prælaudato sacello S. Mariæ Prægnantium alia quoque existunt lapidea monumenta, quæ hic num. 2., 3., 4., & 5. notantur. Horum priora duo cruces totidem exhibent unius circiter palmi, quarum altera formæ octangularis penè similis ei est, qua Melitenses Equites insigniuntur, & cujus Mysteria Guillelmus Caorsinus, incliti Ordinis Hospitalariorum Equitum S. Joannis Hierosolymitani ad Innocentium VIII. legatus, in allocutione, sive oratione coram ipso Summo Pontifice habita pluribus explicavit, ut apud Bosium (*f*) videre est. Consulat lector peculiarem Dissertationem titulo hoc prænotatam. *La Sacra Croce dell' Eminentissimo Ordine di S Giovanni Gerosolimitano*, & appendice auctam, quam Clariss. Domnus Joseph Jacobus Testaferrata ex Marchionibus S. Vincentii Ferrerii, amicitia mihi junctus, pro ea qua pollet ingenii perspicacia, & ea qua præstat multiplici eruditione concinnavit; primusque omnium, quod sciam, de Crucis illius origine, & forma ipsius octangula sermonem habuit. Duo hi lapides ubinam fortuito reperti fuerint, ex Inscriptionibus monemur: titulus namque inscriptus Tabulæ num. 2. signatæ sic habet: *Hæc crux MDCVIII. egesta fuit palmis* XXX. *dum fundamenta anterioris faciei fierent*. Inscriptio alteri Cruci posita est hujusmodi; *Eruta* (crux scilicet) *a fundamentis veteris Basilicæ sub Paulo V. P. M.* Quis verò eorumdem insculptorum lapidum usus, plane incompertum.

Quæ autem sequuntur duo simulacra, palmos fere V. alta, lata II. cum quadr. Nicolai Quinti Summi Pontificis Sepulcrale Monumentum ornabant. Utrumque marmor cœlatum est, & altero quidem sub num.

(*a*) Orat. 25. (*b*) Hist. lib. 3. cap. 1. (*c*) Cr. Vat. pag. 76. (*d*) Cap. 5. (*e*) Descript. Basil. Vat. pag. 62. (*f*) Histor. Relig. Meliten. lib. 14. ad ann. 1485. part. 2. pag. 399.

num. 4. Sanctum Jacobum Zebedæi, sive Majorem, Altero sub num. 5. Divum Jacobum Fratrem Domini, seu Minorem exhiberi, appositæ Inscriptiones innuunt, ac Turrigius (a) Gizziusque (b) tradunt. Neuter Apostolus est barbatus, sed ambo tunica, & pallio induti, librumque gestantes apparent: de quo abitu pluries alibi dicimus.

TABULA XII.

Quod Sanctus Gregorius III. in Vaticana Basilica, ut ad Tabulas IV., & V. præmonuimus celeberrimum, erexit sacellum, plurimisque Sanctorum reliquiis ditavit, post plures annorum centurias vetustate pene attritum Innocentius VIII. reficiendum atque ornandum suscepit eo sane consilio, ut sacrum lanceæ ferrum, quo Christi redemptoris nostri latus patuit, ibi honorifice asservaretur: cumque morte interceptus id perficere non potuerit, curam hanc demandavit nepoti suo, Cardinali scilicet Laurentio Cibo; qui patrui optimi jussa & vota adimplens, partim pecunià a Summo Pontifice relictà, partim proprià memoratum sacellum, præcipue vero sacram illius aram in Deiparæ honorem a S. Gregorio III. constructam & dedicatam instaurari, ac super altare (c) ciborium ex marmore, opereque admodum sumptuoso ad prædictum lanceæ ferrum ea qua decet religione custodiendum excitari curavit. Hæc prodit inscriptus lapis quem præsens Tabula exhibet, hæc enarrat Alexandri VI. diploma anno MCCCCXCIX. editum, & Basilicæ Vaticanæ Bullario (d) adnexum, ubi prælaudatus Innocentius VIII. morti proximus Cardinalibus Laurentio Cibo & Antoniotto Pallavicino mandasse legitur, *ut Altare Beatæ Mariæ situm in dicta Basilica, plurimorum Sanctorum Reliquiis ornatum & decoratum, & illius structuras & adificia desuper consistentia præ nimia vetustate quasi consumpta & deformia, instaurari & reparari facerent; & pro instauratione & reparatione hujusmodi faciendis certam tunc expressam pecuniarum summam reliquit & legavit, quam præfatus Laurentius Cardinalis dicti Innocentii prædecessoris secundum carnem nepos, etiam pia devotione ductus, postmodum propria pecunia auxit, ac Altare structuras & adificia hujusmodi cum cancellis aneis in utroque latere dictis Altaris & pavimento musivo instaurari & reparari, nec non tabernaculum pro Eucharistia, & ciborium super eodem Altare ex marmoreis lapidibus opere admodum sumptuoso pro ferro lanceæ, quo unus militum Passioni Domini Nostri Jesu Christi intereſſentium illius latus preciosissimum aperuit, ad eundem prædecessorem a Magno Turcarum tyranno per ejus proprios oratores e Constantinopoli Urbe misso, cum ea qua decet reverentia conservando fabricari . . . fecit.*

Hic sane diplomatis Alexandri Sexti locus præsentem illustrat inscriptionem, de qua animadvertendum præterea est, Altare illud, quod Gregorius III. in Dei Genitricis honorem posuerat ac dedicarat, postea, Eugenio item III. Catholicam Ecclesiam gubernante, prorsus innovatum fuisse; cujus rei locupletissimum habemus testem Petrum Mallium, qui in libro de Vaticana Basilica (e) postquam oratorium a prædicto Sancto Gregorio Pontifice erectum & magna Sanctarum Reliquiarum copia ditatum, novamque aram commemoravit, mox ita prosequitur: *Tempore Domini Eugenii III. Papæ, quando ejus præcepto ereximus ibi istud Altare* (en recens ara duodecimo excitata Ecclesiæ Seculo, quo Mallius vitam agebat) *duo Altaria ibi erant: Altare videlicet Sancti Gabinii Presbyteri, ad quod Sardinia & Corsica tributum annualiter mittebant; & Altare Beatæ Mariæ semper Virginis, quod prænominatus Dominus Gregorius Papa III. fecerat & consecraverat.* Verbum illud præteritum *erant* profecto denotat, quo tempore hæc Mallius literis

(a) Lib. cit. pag. 134. (b) Lib. cit. pag. 61. (c) *Ciborii* vocabulum explicatur Tab. XVI. sub finem, partes vero in hujus Operis decursu exponuntur. (d) Tom. 2. pag. 291. (e) Cap. 2.

teris consignabat, Deiparæ Altare, quod Pontifex Gregorius extruxerat, fuisse jam una cum alio Sancti Gabinii disjectum, ut etiam Vegius (a) apertissime affirmat. Res igitur ita se habet: Sanctus Gregorius III. aram Deiparæ primus posuit dicavitque; tum Eugenius III., & exactis fere quinquaginta annis supra trecentos Laurentius Cibo renovarunt. Pontifice Maximo Julio II., cum veteris Basilicæ pars solo æquanda esset, in aliam, quæ diu remansit, partem delatum fuit Altare istud, & Sacro Oleo delibutum anno 1548. duodecimo Kalend. Aprilis; cujus quidem consecrationis memoriam vetusto Martyrologio, quod in Archivio Capitulari Vaticano asservatur, adjunctam legimus.

Jam verò Laurentius in volumine Descendentiæ Canonicorum & Beneficiatorum Vaticanæ Basilicæ *Mari Cibo* nominatur: fuit enim ex Nobili Januensi Familia *de Mari*, ex qua etiam Innocentii VIII. mater; atque agnomen *Ciborum* assumsit ob ea, quæ ab hoc Pontifice obtinuit beneficia; nam inter Canonicos illos ab anno 1477. ad 1481. extitit, Archiepiscopatu Beneventano auctus est, ac deinde in Cardinalium San.Rom. Eccl. Collegium cooptatus. Ut autem Innocentii Patrui sui mentem omni ex parte exequeretur, insignem prædicto Altari dotem addidit, quatuor nempe Sacerdotes, *Capellanos Innocentianos* appellatos, qui sexagesies Missæ sacrum quolibet anni mense ibi peragerent, optimis prædiis aliisque bonis magna pecuniarùm vi coemtis, & eorum sustentationi attributis, instituit, habitu Beneficiatorum, & loco post ipsos proxime in Choro exornavit, ac ibidem, dum Missa & Vesperæ celebrantur Dominicis & Festis diebus, præsto esse voluit. Quæ quidem & alia a Laurentio Card. Cibo confecta fuisse, prædictum Alexandri VI. Summi Pontificis diploma satis declarat: Nonnulla de eo Ughellus in Episcopis Prænestinis, Naulensibus, & Beneventanis, multa Ciaconius (b); uterque autem scriptor ipsum laudat ingenio & virtutibus præstantem. Notandus denique titulus, quo Bajazetes in hoc lapide insignitur, scilicet *Turcarum Maximus*: alibi enim Turcarum Princeps a Christianis *Tyrannus* fere dicebatur; cumque in Summi Pontificis Innocentii VIII. Epitaphio, quod in Vaticana S. Petri Basilica hodieque cernitur, Bajazeto attributus fuisset *Imperatoris* titulus, huic deleto vocabulum *Tyrannus* postea substitutum est: quæ sane mutatio in sepulcrali eo lapide adhuc patet. De tabernaculo sive ciborio ad custodiendum sacræ lanceæ ferrum, infra opportunius. Duo reliqua sunt, quæ observari possunt: I. Inscriptum lapidem terminat undequaque anaglyphum opus accurate confectum: II. Forma literarum, quibus hoc epigramma exaratum fuit anno 1495., vetus Romana est, alia certe ab ea, quam *Gothicam* vulgo dicunt; Seculo enim XV. ad exitum vergente bonæ artes, simulque Orthographia, reviviscere jam inceperant.

TABULA XIII. & XIV.

Simulacrum, quod Tabula XIII. exhibet, in prædicto *Sanctæ Mariæ Prægnantium* facello adservatur. Ex candido marmore est, altum palm. Rom. fere tres, ac Deiparam refert una cum puero Jesu, qui membranam explicatam, volumen scilicet, manu læva gestat. Hanc Beatæ Virginis statuam pallâ & stola more honestarum matronarum, sculptor, uti videtur, indutam voluit: quo habitu matrona ab Horatio (c) describitur; *ad talos stola demissa, & circumdata palla*: &c. complures feminæ insignes tum in statuarum collectione a Dominico de Rubeis edita, & ab equite Paulo Alexandro Maffeo illustrata, tum alibi occurrunt. Palla supra caput revolvitur: & quidem velato capite Sanctam Dei Genitricem præter alia vetusta monumenta repræsentat carneola, quæ frontem ornat Dissertationis Philologicæ in nonnulla

(a) De reb. Basil. S.Petrii lib. 4. (b) Tom. 3. col. 124. & seq. (c) Lib. 1. Sat. 2.

nulla Musei Victorii sacra monimenta anno 1751. editæ. Stola sive talaris tunica loris aut nodulis seu fibulis ad pectus colligatur; & ad hujusce vestis oram collum versus apparet, ni fallor, subuculæ indicium. Quod autem puer Jesus læva manu tenet explicatum volumen, qua specie Divinum Redemtorem Nostrum in antiquis tabulis pictum & sculptum intueri licet, novam a Christo legem conditam, & revelata hominibus ab eodem fuisse mysteria designat; qua de re adisis Tabulæ II. explicationem prope finem. Ceterum ut hoc Deiparæ simulacrum concinne elaboratum est, sic remotam antiquitatem haud redolet: & quamquam ejusdem Sanctissimæ Virginis, Divinum infantem suum brachiis complectentis, effigies in sacrorum cœmeteriorum cubiculis non semel sit obvia, ut Bonarotius (*a*) ac Boldettus (*b*) advertunt, quorum hic Deiparam ipsam in antiquo vitro auro depictam una cum puero Jesu repræsentat (*c*); hujusmodi tamen imago in veteribus monumentis ante exortam Nestorii hæresim frequens non est. Profecto insculptum marmor istud extabat olim, Turrigio teste (*d*), in Vaticanæ Basilicæ Sacrario ad ornatum sacelli Sanctissimæ Trinitati in Sanctorum Cosmæ & Damiani honorem dicati, quod Pauli Antonii Scocchi picturis decoratum hodieque existit, & sub cujus pavimento cadavera Beneficiatorum prædictæ Basilicæ tumulantur.

Circa laudatum simulacrum Cherubim tres, totidem candidis marmoribus opere anaglyptico & non pœnitendo cælati, singuli palm. 1. semis, & in Tabulam XIV. incisi conspiciuntur.

TABULA XV.

Quod in hac Tabula exhibetur Bonifacii VIII. Pontificis Maximi simulacrum, sub pavimento Basilicæ in Capella Sanctæ Mariæ Prægnantium nuncupatæ hodie cernitur, inibi positum anno Domini MDCV. (*e*) olim vero in Sacello ad honorem S. Bonifacii Confessoris, atque Pontificis in veteris Basilicæ Vaticanæ Orientali parte ab laudato Bonifacio VIII. magnifice erecto (*f*) existebat. Illud eadem pene forma ut hic delineatum præsul Clarifs. Joseph Garampius ad calcem supra laudatæ Illustrationis ~~vetusti Garfagnanæ~~ sigilli edidit: Marmoreum est, & ex opere Anaglyphico, cadente XIII. Ecclesiæ Sæculo, aut ineunte XIV. elaboratum & palmos Rom. circiter v. in altitudinem extensum; manicis seu Chirothecis dexteram, quæ tamen partim fracta est, lævamque contectas habet; hac binas tenet claves, geminæ scilicet ligandi, atque solvendi potestatis indices; illa verò benedicentis actum præsefert: capite regnum gestat duobus coronamentis distinctum; ex quo idem Bonifacius tiaræ Summi Pontificis secundam coronam addidisse creditur, qua de re infra differemus. Pluviali demum induitur, quod Cappam veteres appellarunt, & idem atque illa procul dubio est. *Cappa* inquit Honorius Augustodunensis (*g*) *habet in supremo caputium, ad pedes pertingit, fimbrias habet, ante aperta manet*. Ex hac descriptione quisnam est, qui Pluviale non intelligit? Luculentiora tamen sunt in hanc rem verba Nicolai III. ex celeberrima ejus Constitutione pro Vaticano S. Petri Clero, in qua decernit, ut *ad incensandum Altare, cum hoc ex more fuerit faciendum, non in Cappa lanea, sed serica, quæ Pluviale dicitur, Sacerdos accedat* (*h*). De Romani Pontificis Cappa, seu Pluviale testimonium æque splendidum suppetit: Nam S. Leo IX. in visione aspexit familiares suos ad se confugientes, *eisque*

(*a*) Osservaz. framm. Vetr. pag. 10. (*b*) Osservaz. Cimiter. lib. 1. cap. 39. pag. 202. & 203.
(*c*) Ibidem. (*d*) Cr. Vat. pag. 78. (*e*) Turrig. Cr. Vat. pag. 78. (*f*) Bonifac. VIII. literæ apud Bullar. Vat. Basil. tom. 1. pag. 226. & 230. Ciampinus de fac. Ædif. Tab. XX. cap. 4. sect. 5. n. 47.
(*g*) In Gemma Animæ lib. 1. cap. 227. (*h*) Bullar. Vatic. Basil. tom. 1. pag. 194.

quæ sub Pluviali veste, qua Cappa vocitatur, inclusis sanguine eorum sibi vestes infici vidit; ut Wibertus scriptor vitæ Summi hujus Antistitis, literis consignavit (*a*). At de his copiose Clarifs. Georgius, qui postquam Clamydis, Mantus, Pluvialis, & Cappæ vocabulis unum, idemque Romani Pontificis vestimentum designari ex veteribus monumentis ostendit, tandem concludit (*b*) usque ad Bonifacii VIII. tempora in more positum fuisse, ut nunquam in sacris Mysteriis Clamydem, seu Pluviale; & Mantum Summi Pontifices gestarent, sed tantum Domi in sacris Consistoriis, & cum aliquo proficiscebantur. Ubi autem Romani Pontifices Avenione consederunt, aliud domesticæ vestis coloris rubei genus ac formam, depellendi frigoris causa, usurpare cæperunt, *veteri Papali Manto deposito, & hoc indumenti genere, Mantello scilicet, & Caputio inter proprios lares, & extra etiam in actionibus quibuscumque, non tamen sacris, usi sunt Pontifices Maximi usque ad Leonem X.* Textus est Anonymi in Commentariis, seu Ephemeridibus Mss. quem idem Georgius in Disquisitione de sacris Roman. Pontificum indumentis nigri; & violacei coloris protulit (*c*). Aureis ornamentis pretiosa Pluvialia erant insignita. De Pluviali *cum lista aurea* quod Monasterio Casinensi a Pandulpho Marsorum Episcopo donatum fuit, Leo Ostiensis (*d*) loquitur: idem vestis genus *cum listis auro textis* obtulit Henricus Imper. Ecclesiæ S. Benedicti, ut Benedicti Papæ VIII. Diploma (*e*) fidem facit. Minime profecto dubitandum est, qui Romani Pontificis Pluviale etiam antiquitus hujusmodi *listis*, seu fasciis aureis insignitum fuerit. Huc respicere videtur Joannes Saresberiensis (*f*) ubi Summum Pontificem dicit *non modo purpuratum, sed deauratum* incedere: Hæc Phrygii operis ornamenta in Pluviali, quod ipsa Bonifacii VIII. marmorea effigies gestat, cælator expressit. Confer. Tabulam VII. qua Benedicti XII. simulacrum Pluviali indutum repræsentatur.

TABULA XVI.

PEtrus Mallius duodecimo Ecclesiæ sæculo Augusti Vaticani Templi Canonicus in suo de hac Basilica opusculo (*g*) quod a Corrado Janningo Bollandi continuatore (*h*) editum fuit, Bonifacium IV. Romanum Pontificem intra Ecclesiam Beati Petri juxta portam Ravennianam (*i*) relato etiam Sancti Pontificis epitaphio, sepultum commemorat. Ibi tum nobile Sacellum, de quo supra (*k*) diximus a Bonifacio VIII. in honorem ipsius Bonifacii IV., sacris ejusdem cineribus sub altari collocatis, erectum, tum sepulcralis illa inscriptio perstiterunt ad Pauli V. Pontificatum, quo tempore ad novum Templum Vaticanum perficiendum prædicta Capella solo æquata; idem Epitaphium in subterraneo S. Mariæ *Pregnantium* nuncupatæ facello, ubi hodiedum asservatur, muro affixum fuit: Est autem marmor longum palm. Rom. fere IV., altum verò I. semis; & in hunc modum habet.

Gregorius Quartus jacet hic Bonifacius almus,
Hujus qui sedis fuit aequus Rector, & adis:
Tempore qui Focæ cernens templum fore Roma
Delubra cunctorum fuerant quo Dæmoniorum,
Hoc expurgavit, Sanctis cunctisque dicavit.

Cujus

(*a*) Apud Mabillon. sec. VI. Bened. part. 2. pag. 75. & apud Bolland. tom. 2. April. (*b*) Liturg. Rom. Pont. lib. 1. cap. 31. num. 18. (*c*) Cap. 24. (*d*) Lib. 2. cap. 98. (*e*) Bullar. Casinen. to. 1. pag. 7. (*f*) De Nugis Curialium lib. 6. cap. 24. (*g*) Num. 62. (*h*) Part. 2. tom. 6. mensis Junii.
(*i*) Ita dictam, quod per eam incolæ Transtiberinæ Regionis, quæ olim Urbs Ravennatium appellabatur, Vaticanum S. Petri Templum ingrediebantur. (*k*) Tabul. XV.

Cujus natalis solemnia qui celebratis,
Primis Septembris fert hoc quarta Kalendis.
Octavus titulo hoc Bonifatius ossa reperta,
Hac locat erecta Bonifatii nominis ara.

Postrema hæc duo carmina, octavum scilicet & nonum, Inscriptioni longe vetustiori, septem tantummodo versibus constanti addita fuisse, palam fit ex diversa literarum forma, atque ex eo etiam, quod prælaudatus Mallius sine additamento illo eamdem recitat. Ipsam quoque exhibent præter alios Daniel Papebrochius (a) & Antonius Pagius (b). Verum uterque aberrat, dum Carmina illa non collocat post versum septimum, sed contra marmoris fidem epigrammati interserit: Quinque nimirum, quæ præcedunt carminibus recte atque ordine prolatis, mox præpostere sic legit:

Octavus titulo hoc Bonifatius ossa reperta
Hac locat erecta Bonifati nominis ara.
Cujus natalis solemnia, qui celebratis,
Primis Septembris fert hoc lux quarta Kalendis.

In primo epitaphii versu S. Bonifacius dicitur *Gregorio Quartus*, nimirum Quartus Ordine a S. Gregorio I. Hic enim proximum habuit Successorem Sabinianum, quem mox Bonifacius III. secutus est, & hunc noster Bonifacius IV. proxime excepit an. Dom. DCVIII., atque Christianam Rempublicam ad annum DCXV. gubernavit. Quamobrem Ludovicus Jacob a S. Carolo, qui licet in sua *Bibliotheca Pontificia* (c) laudatum epitaphii additamentum referat non post versum *Hoc expurgavit*, ut Pagius memoria forsitan lapsus perperam inquit, sed post carmen *Primis Septembris*; eamdem tamen Inscriptionem mendose recitat, in primo potissimum versu legens, *Gregorius Quartus jacet hic Bonifacius almus*; castigandus certe est eo vel maxime, quod inde arguit, S. Bonifacio IV., & Gregorio itidem IV. ipsum epitaphium fuisse commune.

Deinde Inscriptio meminit, S. Bonifacium IV., Phoca Augusto imperante, celebre Ethnicorum templum Pantheon in Ecclesiam mutasse, & Christiano ritu dedicasse, quemadmodum ejusdem Pontificis biographus apud Anastasium, Paulus Diaconus (d) & Beda (e) literis consignarunt. Hæc quidem nota satis atque perspicua; non item vero ea, quæ versibus sexto, & septimo sequuntur. *Natalis solemnia* die quarta a primis Kalendis Septembris, hoc est, vel quarta die hujus Mensis, vel 28., aut 29. die Augusti celebranda, ad Panthei ne seu Ecclesiæ S. Mariæ ad Martyres consecrationem, an ad Bonifacii IV. in Romanum Pontificem ordinationem, vel ejus emortualem diem, aut alicujus Ecclesiæ in illius honorem exstructæ dedicationem, aut aliquam ejusdem Reliquiarum translationem, referri debent? Prima sententia prorsus est rejicienda non solum quia, ut Pagius (f) animadvertit, eo tempore, quo Bonifacius cum Phoca convixit, dies Dominica, qua Divino Numini consecrationes templorum ex veteri instituto fieri consueverunt, neque in diem 28. Mensis Augusti, neque in diem 4. Septembris incidit; verum etiam quia ex priscis Ecclesiæ monumentis, & fastis nullum est in quo Panthei dedicatio die XXVIII. aut XXIX. Mensis Augusti, vel die IV. Septembris consignetur, sed in iis notatur die XIII. Maii, ut videre est in Gregoriano Sacramentario Menardi, in Frontonis Kalendario Romano, & aliis Kalendariis, seu potius Capitularibus, quæ apud Clariss. Georgium (g) si lubet percurras. Secunda opinio, quæ est Ven. Card. Baronii (h), verisimilitudine non caret: Celebris quippe Pontificum præsertim Romanorum ordinatio. In Martyrologio Romano die III. Septembris *ordinationem* S. Gregorii Ma-

(a) In Conatu Chronico-Histor. in S. Bonifacio IV. (b) Cr. in Baron. ad ann. 614. num. 4.
(c) Pag. 29. & 30. (d) De gest. Longob. lib. 4. cap. 11. (e) De gest. Angl. lib. 2. cap. 4. & de sex ætat. in Phoca Imp. (f) Loc. cit. num. 3. (g) Tom. 3. Liturg. Rom. Pontif. mon. 2. (h) Ad annum 614. num. 1.

Magni in summum Antistitem colimus, & aliquot habemus S. Leonis I. Sermones in suæ ad Pontificatum Assumptionis anniversario die habitos. Præterea ordinationis diem prædictus Gregorius I. (*a*) *Natalem Pontificis* nominat, & idem S. Leo Magnus (*b*) anniversarium sui Pontificatus *servitutis suæ Natalitium diem* appellat, ac S. Hilarus *Natalis* vocabulo exprimit (*c*). Ad hæc, *In Natali Papæ* habet Rubrica Sacramentarii Gregoriani apud Pamelium (*d*). Tertiam Sententiam luculentissimè refellit aliud ejusdem Bonifacii IV. epitaphium a prædicto Mallio relatum, in cujus fine hæc habentur:

Hic requiescit Bonifacius junior, qui sedit annos VI. *Menses* VIII., *dies* XII. *Depositus est* VIII. *Idus Maii, Imperante Domino Eraclio anno ejus secundo* (*e*). Si namque Bonifacius IV., qui hic respectu proximi sui Prædecessoris Bonifacii III. Junior appellari videtur, die VIII. Maii depositus fuit, ejus ad superos migratio die IV. Septembris contingere neutiquam potuit. Minus probanda opinio quarto loco proposita: nulla enim suppetit sacræ ædis in ejusdem Sancti Pontificis honorem extructæ memoria ante Bonifacium VIII., qui prælaudatum sacellum erigendum curavit. Quamobrem affirmante Pagio (*f*), Natalem illum Bonifacio IV. attributum pertinere aut ad aliquam ejus Reliquiarum translationem, aut ad alicujus Ecclesiæ in illius honorem constructæ dedicationem; sicut posteriori hujus thesis parti non assentior, ita priorem verosimillimam censeo. Romanorum Pontificum corpora in Vaticanæ Basilicæ porticu tumulari olim consuevisse, ex allegato Mallio (*g*) ejusdem Templi Canonico, & Alpharano (*h*) non obscure intelligimus. Aliqua ex illis, ad exhibendum eisdem religionis cultum, e porticu in Basilicam istam translata fuisse, testatur liber Pontificalis, seu vulgatus Anastasius tum in Gregorio Papa IV. qui sacras exuvias Gregorii I. ex loco, ubi antea Sanctissimus hic Ecclesiæ doctor sepultus fuerat, nempe ex Basilicæ secretario (hoc erat ædes ad partem Templi Meridionalem porticui adnexa, ut apud laudatum Alpharanum (*i*) videre est) in eamdem Ecclesiam S. Petri Apostoli perduxit, & Altare argenteis tabulis exornato, oratorium in ipsius B. Gregorii honorem dedicavit; tum in Sergio I. qui corpus Sancti Leonis Magni, *quod in adito inferioris secretarii prædictæ Basilicæ* ad VII. Christi Sæculum jacuerat, nobiliore parato tumulo, *in denominata Basilica publico loco, ut sibi fuerat revelatum, reposuit, ac locum ipsum ornavit*. Hanc translationem Kalendarium Romanum Frontonis, aliudque Kalendarium, seu Capitulare ex Vaticano Codice sign. 7016. a Dominico Georgio (*k*) editum ad XXVIII. diem Mensis Junii disertis hisce verbis commemorant: *Translatio Corporis Beati Leonis*: Quem locum de S. Leone I. Summo Pontifice intelligi debere, Martyrologium Bedæ (*l*) ac vetus Epitaphium a Mabillonio (*m*) relatum, facile evincunt. Id ipsum Bonifacium IV. cineribus sacris contigisse opinor. Hi scilicet in prædicta Vaticana porticu conditi fuerant, ut ex Mallio (*n*) inferri potest: Inde in Basilicam (*o*) invecti die IV. Mensis Septembris anno quidem incerto, sed post Anastasii Bibliothecarii, ait Pagius, mortem, quæ exeunte IX. Sæculo accidit; & marmori, quod exhibemus, memoria translationis hujus insculpta; ad quam, ut mihi videtur, spectat auctarium Martyrologii Usuardi, ubi die IV. Septembris (*p*) *Romæ Bonifacii Episcopi, qui fanum Pantheon Ecclesiam Christi fecit*. Hic Martyrologii Scriptor errasse dicitur tomo II. Septembris Bollandiani ad diem IV. hujus Mensis in Sanctis prætermissis, & in alios dies relatis. At immerito Scriptor ille erroris insimulatur: quæ enim exaravit cum præsenti marmorea Inscriptione recte concinunt. Quod autem in hoc Epitaphio ad exprimendam sacrarum Reliquiarum translationem vocabulum *Natalis* fuerit usurpatum, id nemini mirum esse debet. Nam præterquam quod Poetæ Inscriptionis Auctori hoc licuit, ea voce priscos Ecclesiæ Scriptores translationem sacrorum lipsanων significasse, Ducangio (*q*) Pagio (*r*) & aliis

(*a*) Lib. 1. Epist. 36. (*b*) Serm. 3. in Anniversar. Assumpt. suæ. (*c*) Epist. 8. (*d*) Tom. 2. Liturgic. Latin. pag. 369. (*e*) Legendum cum Venerab. Baronio, *Quinto*. (*f*) Loc. cit. num. 3.
(*g*) Cap. 3., 4., & 5. (*h*) Tab. Ichnograph. num. 123., 125., 127. &c. (*i*) Ibidem litt. dd.
(*k*) Loc. sup cit. (*l*) Die 28. Junii. (*m*) Tom. 3. Veterum Analectoram pag. 430. seq. edit. Paris. 1682. (*n*) Cap. 3. num. 51. (*o*) Confer laudatum Mallium cap. 4. num. 62. (*p*) Part. 2. tom. 6. Junii Bollandiani. (*q*) V. Natalis. (*r*) Loc. num. 3.

& aliis eruditis Viris exploratum satis, ratumque est.

Memoria consecrationis Altaris, de quo supra diximus, in S.Bonifacii IV. honorem a Bonifacio VIII. constructi extat in Martyrologio vetustiori Basilicæ, *Benefactorom Libro* etiam nuncupato: ubi die VI. Maii sic reperimus scriptum: *Secundo nonas Maii... dedicatio Altaris S. Bonifacii, quod est in Navi Basilicæ Principis Apostolorum*. Memoria hæc perantiquo illi Martyrologio, eodem Bonifacio VIII. Ecclesiam gubernante, vel paulo post ejus obitum, diversa plane characteris forma addita fuit; quam si Pagius vidisset, & præsentem Inscriptionem marmoream propriis spectasset oculis, non utique asseruisset (*a*) ex hujus Epigrammatis additamento se colligere, cinerum S. Bonifacii IV. translationem, (quæ sane eodem tempore habita est, quo prædictum Altare dedicatum fuit) a Bonifacio VIII. die quarta Septembris post annum Christi MCCXCIV. peractam fuisse: quum, ut prosequitur doctissimus cæteroquin Chronologus, Auctor illius additamenti alia ratione non potuerit illud interserere Epitaphio Bonifaciano ante duos ultimos versus, in quibus anterioris translationis die IV. Septembris factæ mentio habetur, nisi quia eodem pariter die celebrata est translatio illa, quæ curante Pontifice Bonifacio VIII. contigit. Ut nihil dicam de hac Pagii argumentatione, is certe dupliciter errat; carminum scilicet ordinem invertit, & peractam sub Bonifacio VIII. translationem perperam die IV. Septembris alligat. Eadem peccaverat Daniel Papebrochius in suo Conatu Chronico - Historico (*b*). Utriusque Scriptoris, cæteroquin clarissimi hac in re hallucinationes ex dictis patent.

Quod autem attinet ad annum dedicationis memorati Altaris, conditaque in eo S. Bonifacii ossa, ratum est illam ante annum Domini MCCC. fuisse peractam. Id enim Bonifacius VIII. in Diplomate (*c*) edito V. Kal. Maii Pontificatus sui anno sexto, qui cum prædicto æræ vulgaris MCCC. anno conjungitur, perspicuè insinuat, ubi ait, in Vaticana S. Petri Basilica *elegimus sepeliri, erectis in ipsa honorabilibus Cappellis, & Altari in honorem Beati Bonifacii Confessoris, atque Pontificis, & aliorum Sanctorum, atque Sanctarum, quorum in ipso Altari Reliquiæ reconditæ dinoscuntur, quod per Venerabilem Fratrem Nostrum M.* (scilicet Mattheum de Acquasparta) *Portuensem Episcopum fecimus consecrari*.

Ad perficiendam, Pontifice Paulo V. novi Templi Vaticani fabricam die 20. Octobris MDCV. S. Bonifacii Altare, de quo locuti sumus, solo æquatum fuit. „ Sublata igitur, inquit Grimaldus (*d*), marmorea tabula longitudinis palmorum VII. latitudinis palm. IV. & quartorum trium, remansit basis marmorea, quæ sustinebat tabulam Altaris, in cujus facie erat tabula porphyretica, & quidem pulcra. Basis duas fenestellas habebat laminis lapideis occlusas, quarum superiore amota repertum est Vasculum plumbeum rotundum ad mensuram palmi unius, vel circa, intra quod erat Vasculum vitreum cum Reliquiis involutis serico violaceo, & dictum Vasculum munitum erat duobus sigillis, quæ præ vetustate cognosci non poterant; quod cum Reliquiis, ut præfertur, repertis delatum fuit a Reverendissimo Domino Episcopo Alexano stola induto, cum luminibus, in sacrarium memoratæ Basilicæ, & in Armario Reliquiarum reconditum. His peractis eodem Reverendissimo Domino Episcopo, ac Canonicis præsentibus fuit sublatus lapis porphyreticus in facie Altaris, & statim apparuit alia fenestella, sive locus inferior supradicto ut supra reperto in basi, in quo erant duæ ollæ antiquæ testaceæ, quarum major plena erat ossibus, minor semiplena. In medio ollarum Vasculum vitreum antiquum, & rotundum etiam cum ossibus. Quæ siquidem ollæ, & Vasculum vitreum delatæ sunt in sacrarium, & locum præfatum, scilicet in sacellum S. Joannis Chrysostomi, in quo servantur aliæ Sanctorum Reliquiæ per dictum Dominum Reverendiss. Episcopum, & D. Ascanium Turrium Parochum, stola indutos: cum luminibus. Deinde toto Altare demolito, statim immediate sub basi apparuit foramen parvum occlusum ad mensuram palmi, quo „ aper-

(*a*) Ibi num. 4., & 5. (*b*) In S. Bonifacio IV. (*c*) Apud Bullar. Vatic. Basil. tom. 1. pag. 226.
(*d*) Lib. ms. Instrumentor. fol. 9.

„ aperto per D. Reverendissimum Episco-
„ pum, per ipsum foramen visa est maxima Cinerum Sanctorum congeries, & elevato lapide, in quo erat foramen, reperta est quædam Tumba iisdem Cineribus plena, cujus Tumbæ os in latitudine habet palmos duos semis, in longit. palm. tres semis; quæ ut statim ab omnibus ibi præsentibus visa sunt, mandante dicto D. Episcopo fuit locus coopertus, ut erat prius, & mandavit bene custodiri, & claudi „.

Hactenus Grimaldus testis oculatus, qui illud etiam memoriæ prodidit, S. Pontificis Bonifacii IV. cineres XVI. Kal. Februarii anno MDCVI. ritu solemni, & magna pompa e prædicto sacrario in novam Vaticanam Basilicam translatos, super S. Thomæ Apostoli Altare, quod in transversa navi meridiem versus extat, ad horam noctis secundam confluentis Fidelium multitudinis venerationi expositos fuisse, ac demum in arca cypressina, & sarcophago marmoreo sub eadem ara ab Evangelista Cardinali Pallotta Basilicæ Archipresbytero inclusos cum hac Inscriptione plumbeæ laminæ incisa:

Corpus S. Bonifacii Papæ IV. ex Altare suo in Vaticana Basilica inter portas Judicii, & Ravennianam a Bonifacio Papa VIII. ejus nomini dicato, ornato, & dotato in novum Templum Pauli V. Pont. Max. jussu honorifice translatum hac sub ara ritu solemni collocavit Evangelista Pallottus Tituli S. Laurentii in Lucina Cardinalis Cusentinus, hujus Basilicæ Archipresbyter anno MDCVI. die XVII. *Januarii primis Vesperis Cathedræ S. Petri sedente Paulo V. anno primo*. Hæc item si Pagius non ignorasset, numerum translationum corporis Bonifacii IV. procul dubio auxisset. Ter enim corpus S. Bonifacii IV. qui, ut ex ejus Epitaphio supra vidimus, die VIII. mensis Maii ad superos migravit, translatum fuisse censet. Primum quidem die XXV. ejusdem mensis, anno incerto, de qua translatione intelligendum putat Librum Pontificalem, sive Anastasium de S. Bonifacio IV. scribentem: *Sepultus est ad Beatum Petrum Apostolum die* XXV. *mensis Maii*: Secundo, post ipsius Anastasii mortem anno pariter incerto, sed IV. die Septembris, quod ex nostro marmore deducit: ac tertio, sub Pontifice Bonifacio VIII. quod ex eadem Inscriptione ostendit. Num vero laudatus Pontificalis Libri textus de translatione ex Lateranensi Basilica ad Vaticanum S. Petri templum, an de alia, an demum de Bonifacii depositione solemni juxta Papebrochii sententiam (hic enim existimat, circa tempus Sancti hujus Antistitis Clerum Romanum, mortuo Pontifice, statim defunctum esse extemporaneæ depositionis officio in Basilica Lateranensi, indeque processisse ad tractandam futuri Pontificis electionem; qua citius, seriusque peracta, citius etiam seriusque curata fuerit a jam electo mortui Decessoris solemnis Depositio) accipi debeat, alii videant; quibus rem ab instituto meo alienam judicandam relinquo.

Sub pavimento Basilicæ in Sacello Deiparæ Virginis *de Febri*, vel *de Porticu* nuncupatæ extat hodie muro affixa Crux ex musivo, seu tessellato opere, una cum circulari ornamento ex eodem opere (cujusmodi musivi alia fragmenta nonnulla asservantur in alio Sacello, quod *Sanctæ Mariæ Pregnantium* nominatur) palmos Rom. III. semis undequaque extensa. Hæc crux, quam Turrigius Cr. Vat. p. 71. meminit, in præsenti Tabula XVI. exhibetur; ac olim erat ad Sanctissimi Sudarii, seu Vultus Sancti Ciborium, quod in veteris Basilicæ Vaticanæ inferiori parte ad Aquilonem (*a*) visebatur, ac tabula delineatum apud Ciampinum (*b*) reperitur. Ciborii nomine prisci Ecclesiæ Scriptores intellexerunt marmoreum ædificium columnis innixum, sacræ aræ supereminens, eamque desuper cooperiens, quale hodiedum videre est in Altari Principe Basilicarum, Lateranensis, Ostiensis, S. Mariæ Transtyberim, S. Mariæ in Cosmedin, aliarumque tum Urbanarum, tum externarum. Hujusmodi sane fuit Ciborium istud, in quo Christi Sudarium, seu Veronica, summa cum veneratione asservabatur. Ipsum Vegius (*c*) appellat *nobilissimum, elaborantissimumque tegmen*, quo scilicet Altare infra positum cooperiebatur, quodve a Joanne VII., qui anno Domini DCCV. in S. Petri Cathedram evectus est, constructum fuisse,

(*a*) Alpharan. Tab. Ichnograph. num. 115. (*b*) De sac. Ædif. a Constant. M. constr. Tabula XXI. cap. 4. sect. 9. num. 115. (*c*) De Reb. ant. memorab. Basil. S. Petri num. 144. ap. Bolland. tom. 6. part. 2. mense Jun.

se, auctores de rebus Vaticanis differentes memoriæ tradiderunt. Aliud quod infra dabimus & ad hoc Ciborium pertinet, Monumentum est lapis inscriptus: *Joannis Servi Sanctæ Mariæ*: Nimirum Joannes Papæ VII; ut videre est Tab. XVIII. Memorati Altaris dedicatio, quemadmodum Severanus (a) notat, in antiquo Basilicæ S. Petri Martyrologio ita consignatur. *Consecratio Altaris Sacrosancti Sudarii* IX. *Kal. Decembris*.

TABULA XVII.

Inscriptum hoc marmor, quo in loco olim exstiterit, Turrigius non indicat; id vero unum admonet (b), se ne vetus monumentum periret, curam adhibuisse; ut anno Domini MDCXXXI. muro affigeretur in Meridionali Veterum Cryptarum parte, ubi hodiedum visitur. Altum est palm. Rom. I. longum III. semis, & sic habet:

Hic requiescit Catellus Nc. . . . .
Qui vixit ann. plus minus X. Depositus in pace
Avieno juniore Viro Clarissimo Consule.

Inscriptionem hanc frustra apud Gruterum, Fabrettum, Muratorium, Donium; Boldettum quæsivimus, tametsi nota consulari distinctam, ideoque dignam, quæ ab his, si eam nacti fuissent, publica luce donaretur. At quorsum spectat illud *Nc*. . . . quod post Catelli nomen proxime sequitur? Illud *N*. literam esse vocabuli cujuspiam initialem, nullus in controversiam adducet. Quodnam vero Vocabulum? Id mea quidem sententia definiri nequit, cum lapis in hac parte sit mutilus. In Epigrammate hic adnotatum fuisse Officium aliquod publicum, quo Catellus functus fuerat, puta Notarii (quod munus in Dulcitii, & Eutichitis epitaphio inferius (c) voce abbreviata *Not.* indicatur) nemo unus adfirmaverit. Puer enim decem annos natus, quot idem Catellus vixisse in Titulo enunciatur, publicis muneribus administrandis impar est. An igitur legendum *Neophytus*, quemadmodum habetur tum in Junii Bassi monumento, quod extremam hujus operis partem occupat, tum in aliis nonnullis sepulchralibus titulis, ac præter cæteros in duobus apud Gruterum, in quorum altero (d) memoratur *Constantius Neofitus*, qui vixit annis VIII. mens. II. d. VI. ac depositus fuit III. Idus Novembris Consulibus Arcadio, & Honorio Augustis: alter vero (e) positus est *Silvino Neofito*, qui vixit ann. XI. mens. V. d. X. In opinionem hanc libens descenderem: at negotium facessit, quæ in nostro marmore post *N*. mox sequitur ductus, dimidiam referens, ut videtur, literam *O*. Num *Novius*, aut *Nonius*, vel *Nolanus*, vel *Nomentanus*, vel demum *Nomine*, vel aliud vocabulum sculptor exaravit? Divinent alii, aut felicius explicent: De Siglis *Pl. M.* nimirum *Plus*, *Minus* loqui supervacaneum est: In vetustis namque Inscriptionibus illa sunt obvia, ac frequentissima. Profecto etsi in titulis sepulchralibus aliquando *PLUS MINUS* integris literis scriptum reperiamus, plerumque tamen eadem res in hunc modum *PL. M.*, vel *P. M.*, vel conjunctim *PM.*, aut *PM*, cum lineola superposita, vel tandem *PLUS MN.* significatur. Quod attinet ad formulam *in pace*, quæ in priscis Christianorum Inscriptionibus vix unquam deest; hæc ex Eruditorum consensu ad pacem refertur Ecclesiasticam, sive ad communionem, per quam veluti glutinum membra, idest Fideles in unum Corpus, nempe Ecclesiam coagmentantur, & coalescunt. Huc spectat vetus marmor a Fabretto (f) relatum, ubi legitur *Depositus Herila*

(a) De VII. Eccles. Urbis pag. 72. (b) Cr. Vat. pag. 329. (c) Tab. XXV. (d) Inscript. pag. MLX. num. 3. (e) Ibi pag. MLI. num. 9. (f) Antiq. Inscript. cap. 10. pag. 757.

Herila Comes in pace Fidei Catholicæ. Qui denuum in nostro lapide notatur Avienus Consul, is est Flavius Avienus Junior, qui anno æræ Christianæ DII. consulatum gessit cum Probo, ut Fasti Consulares produnt: quare audiendus non est Turrigius (a) cum ita scribit: *Questo Avieno fu al tempo di PP. Simmaco nel* 501. Nam qui hoc anno DI. Consul processit, non fuit Avienus Junior, sed Ruffius Magnus Faustus Avienus cum Collega Fl. Pompejo.

Qui in hac ipsa XVII. Tabula infra exhibetur, alter est litteratus lapis, sub pavimento Vaticanæ Basilicæ in Sacello, quod S. Mariæ Prægnantium dicitur, asservatus, plane vetus, lectuque haud facilis, nec barbarismis carens. Inscriptionem hanc tum Turrigius (b) qui a Ven. Card. Baronio, & a Pompejo Ugonio expensam fuisse refert, tum Jacobus Grimaldus (c) ita legendam putant.

Temporibus
Domini Hadriani
Papæ hic recun-
dita sum Reliquia
Sancti Sanctorum in
mense Nobebrio
die XXII. *indictione*
Septima bina
Clusura in
integro quæ ponitur in
Septiniana.

Eamdem esse affirmant monumentum, quod ad consecrationem Altaris Sanctissimi Sudarii, seu Veronicæ referri debet. Illorum sententia profecto nititur pervetusto Basilicæ Vaticanæ Martyrologio, in quo ad diem XXIII. mensis Novembris hæc habentur: *Consecratio Altaris Sacratissimi Sudarii. Item Altaris S. Mariæ ad Præsepe post ipsum*. Nemini autem Sacrorum Rituum scientia instructo mirum videri debet, si in prolata Inscriptione Reliquia dicatur recundita die XXII. Novembris; in Martyrologio autem Altaris Consecratio die XXIII. ejusdem mensis adnotetur. Nam ex vetustissimo Ecclesiæ instituto, quod in Pontificali Romano hodiecum viget, pridie quam Altare consecretur, sacræ Reliquiæ reconduntur. Hujusce moris luculentissimum testimonium extat in Codice Ratoldi Abbatis Corbejensis Sæculo X. clari, in quo hæc habentur (d) *Primitus decet, ut Episcopus cum cæteris Ministris eat ad Ecclesiam antiquam, & ibi recondat vespertino tempore Reliquias, & jubeat exercere ibi vigilias per totam noctem. In crastino autem &c.* Et Rabanus Maurus, qui IX. Ecclesiæ Sæculo suum de Clericorum Institutione opus concinnabat, lib. 2. cap. 45. ait: *In dedicatione Templi in Nocte præcedente diem dedicationis Reliquiæ Sanctorum feretro conditæ in tentorio vigiliis custodiuntur*. Huc spectant varii antiqui ordines a Martenio relati (e) in quibus ita legitur: *Primum vadit Episcopus ad eum locum, in quo Reliquiæ præterita nocte cum vigiliis fuerint, & elevat eas... Elevent Sacerdotes ipsas Reliquias cum feretro, & portent eas ad Ecclesiam cum honore dignissimo, cum crucibus, & thuribulis...... Recondit Pontifex propria manu ipsas Reliquias in Confessione Altaris*: quod scilicet consecratur. Bis igitur sacra *Λείψανα* includuntur: primum in feretro, seu loculo, die præcedente Altaris Consecrationem; secundo in Altari ea die, qua celebratur dedicatio. De priori inclusione marmoreum hoc monumentum loqui existimant laudati Auctores Grimaldus, ac Turrigius, qui illud insuper animadvertunt, quod Altare Sanctissimi Sudarii in Oratorio S. Mariæ ad Præsepe existens dicatur consecratum antequam aliud ejusdem Deiparæ Altare dedicaretur; & jure quidem merito, ob reverentiam scilicet *Reliquiæ Sancti Sanctorum*. Ratum itaque illis est, lapideam Inscriptionem ad Sacratissimum ipsum Jesu Christi Sudarium spectare, præsertim quia in ejusdem Vultus Sancti Sacello ea olim extaret *in quadam lamina marmorea incrustationum ad septemtrionem*, ut prædictus Grimaldus (f) tradit. Rursus Auctorem hunc, atque Turrigium si audiamus, Inscriptus lapis ad Pontificem Hadrianum I. referri debet; & septima Indictio ibidem adnotata, anno Christi DCCLXXXIIII. respon-

(a) Cit. pag. 329. (b) Cr. Vat. pag. 81. (c) Pag. 26. libri ms. de SS. Sudario, seu Veronica, qui in Basilicæ Vatic. Archivio asservatur. (d) Apud Menardum in Sacramentarium Sancti Gregorii tom. 3. Operum hujus S. Pontificis pag. 423. edit. Monach. S. Mauri. (e) De antiquis Eccl. Ritibus lib. 2. cap. 13. (f) Lib. cit. pag. 26., & 27.

spondet. Ex Romanis Pontificibus, qui Hadriani nomen assumpserunt, cum Hadriano I. aut IV. hæc Indictio septima conciliari tantum potest, si a mense Septembri incipiat; si autem a Januario exordium ducat, nequidem Hadriano IV. convenit, sed Hadriani I. dumtaxat Pontificatui est alliganda. Hujus Summi Præsulis ætate marmor exaratum videri ex eo potest, quod annus per solam Indictionem ibi indicetur: quæ res ævum redolet Hadriani I. non autem Hadriani IV., duodecimo nimirum Ecclesiæ Sæculo, quo in marmoreis Inscriptionibus passim annus Incarnationis notari consuevit, ut videre est apud Floravantem Martinellum (a) aliosque. Quamvis autem ad Pontificatum Hadriani I. lapis iste pertineat, Grimaldo tamen, ac Turrigio scribentibus, Indictionem septimam in illo consignatam anno æræ Christianæ DCCLXXXIV. respondere, neutiquam assentior. Romæ enim temporibus Hadriani I. Indictio a mense Septembri inchoata usurpabatur. Hanc sane indictionem, Græcam sive Constantinopolitanam appellatam, Sancti Gregorii Magni, Joannis octavi, & Gregorii septimi Epistolæ præferunt; ac proinde ipse Hadrianus I. eadem usus est, quemadmodum patet ex ejus Diplomate, quod Balurius (b) evulgavit, quodve *scriptum* legitur *mense Novembrio*, ac *datum Kalendis Decembris anno Pontificatus ejusdem Summi Antistitis decimo Indictione Quinta*. Menses November & December anni Decimi Pontificatus Hadriani I., qui consecratus fuit Romanus Pontifex anno Domini DCCLXXII. die IX. Februarii, copulari debent cum anno æræ vulgaris DCCLXXXI. Ut annum hunc, quo indictio Quarta recurrebat, cum anno decimo Pontificatus Hadriani I. mensibus Novembri, ac Decembri, & cum Indictione Quinta conjungas: dicas oportet, eodem Christi anno DCCLXXXI. Mensibus Januario, & sequentibus ad Augustum usque completum Indictionem Quartam in cursu fuisse, ac mense Septembri Indictionem Quintam inchoasse. Ex quo inferre licet, Indictionem Septimam in hoc marmore adnotatam a mense Septembri pariter incæpisse; ac proinde mensis November hujus Indictionis cum anno Domini DCCLXXXIII. non autem cum DCCLXXXIV. debet omnino componi. Id sane Turrigius, & Grimaldus fateantur necesse est. Cum enim, ut ipsi opinantur, die XXII. Novembris *Reliquia Sancti Sanctorum recundita sit*, & Consecratio Altaris Sanctissimi Sudarii die XXIII. ejusdem mensis peracta; Dedicatio hujusmodi juxta antiquissimum Ecclesiæ morem die Dominica celebrari debuit: at dies Dominica non quidem anno DCCLXXXIV., sed DCCLXXXIII quo litera Dominicalis E recurrebat, in diem XXIII. Novembris incidit.

Præterea in hoc lapide *Reliquia Sancti Sanctorum* ipsa de se loqui inducitur; nec aliud est eorumdem Auctorum judicio, nisi Jesu Christi Sudarium, nempe ipsius Redemptoris nostri Effigies in linteo expressa, *Veronica*, aut *Vultus Sanctus* appellata. Nonnullas id genus Inscriptiones, in quibus sermo tribuitur per prosopopæiam rebus sensu carantibus, supra (c) recitavimus. Ipsum autem Christi Sudarium, seu Veronica, hoc est *vera icon*, ab antiquis temporibus summa, & constanti totius Christiani Orbis veneratione colitur, ac celebratur. Illud a Joanne VII., qui Summum iniit Pontificatum anno salutis DCCV., in marmoreo ciborio (d) repositum fuisse, Scriptores de rebus Vaticanæ Basilicæ (e) produnt. Illud nobili Sacello ab eodem Joanne VII. in ipsa Basilica in Deiparæ honorem extructo *Veronicæ* cognomen dedisse, Petrus Mallius (f) & vetustum Diploma (g) tempore Benedicti Papæ VIII. ac Henrici Imperatoris datum, cui subscribit *Joannes humilis Clericus Mansionarius S. Mariæ in Beronica*, idest Veronica ob promiscuum usum literarum B., & V., facile innuunt: Illud veteres pervulgarunt excusum in aureis, argenteis, æreis, plumbeisque numismatibus; quorum duo, aureum unum, æneum alterum penes Clarum Virum Benedictum Floravantem extabat; aliud æreum, teste oculato Grimaldo (h), repertum fuit anno Domini MDCVII. cum ad per-

(a) In *Roma ex ethnica sacra*. (b) Tom. VII. Miscellan. pag. 120., unde in Vaticanæ Bullar. relatum est tom. 3. Appendic. p. 2., & 3. (c) Pag. 17. not. ad Tab. VII. (d) De quo diximus Tab. XVI. (e) Severan. de VII. Eccl. Urbis pag. 71. Turrig. Cr. Vat. pag. 81. (f) Num. III. (g) Servatum in Archiv. Capitulari Vaticano caps. 61. fasc. 223. (h) Lib. ms. Instrum. fol. 159.

perficiendam novi Templi Vaticani fabricani foderentur fundamenta, sub terram palmis triginta jacens; ut nihil dicam de veteri argentea theca, ubi Mulier repræsentatur velum gestans, in quo Jesu Christi imago aspicitur, cujus monumenti schema eruditissimus Paciaudus in fronte libri sui *de sacris* balneis edendum curavit: Illud honorificentissime commemorarunt prisci Scriptores, non solum domestici, Benedictus (a) & Petrus Mallius (b) Canonici Basilicæ Vaticanæ, qui XII. Ecclesiæ Sæculo vigebant, ac Vegius (c) ejusdem Templi sub Nicolao V. pariter Canonicus; verum etiam externi; Methodius, non ille, qui imperante Diocletiano Martyr occubuit, sed alius plane Methodius, Auctor Chronographus, qui vel IX. Ecclesiæ Sæculo floruerit, puta Methodius Patriarcha Constantinopolitanus, vel saltem ante medium Sæculum XI. vixerit, utpote a Mariano Scoto anno Christi 1086. vita functo, pluries laudatus (d); ipse Marianus Scotus, Sigebertus, Gervasius Tilberiensis Henrici II. Anglorum Nepos, & Alexandri III. æqualis in suo Chronico de *Otiis Imperialibus* inscripto (e) Matthæus Parisius (f) Dantes (g) Matthæus Westmonasteriensis (h) Petrarca (i). Omitto alios pene innumeros: missum quoque facio Anastasium Bibliothecarium, qui enarrat, Stephanum II. alias III. Pontificem publica supplicatione instituta, nudis incedendo pedibus ad S. Dei Genitricis Ecclesiam propriis humeris gestasse Sacratissimam Salvatoris Nostri Jesu Christi imaginem, quæ *acheropita*, ideft non manu facta, *nuncupatur*: Hæc enim effigies etsi juxta Carolum Sigonium (k) Getserum (l) Mabillonium (m) Sandinum (n) & Augustinum Calcagninum (o) eadem sit, ac Sanctissimum Sudarium in Vaticano existens; si tamen Benedicto Millino (p) & Petro Boerio Urbevetano (q) fidem habeamus, est Redemptoris Nostri antiquissima Imago in S.Laurentii Oratorio, nunc *Sancta Sanctorum* appellato, in Laterano asservatur. Præterea Conservatores, & Capita Regionum Urbis, qui in Epistola (r) ad Sigismundum Romanorum Regem anno MCDXXXII. data, ejusdem Romanæ Urbis dignitatem ex eo etiam repetunt, quod in ipsa *Domini Nostri Sanctissima, & verissima Vultus effigies, quæ vulgo Sudarium appellatur, semper existere dignata est*. Non exequar Innocentium III. Gregorium X. Nicolaum IV. Joannem XXII. Urbanum V. Sixtum IV. & alios bene multos Pontifices Romanos, qui sacrum ipsum pignus maximo in pretio habendum esse, in eorum Diplomatibus Bullario Vaticanæ Basilicæ insertis luculentissime indicarunt (s). Nil tandem dicam de peculiaribus precibus ab Innocentio Papa III. in ejusdem Sanctissimi Sudarii honorem concinnatis, ac de indulgentia Fidelibus illas (t) recitantibus impertita. Unum hic libet animadvertere paucas recenseri posse Sanctorum Reliquias, quæ veteribus tot comprobentur monumentis, quot sacra Veronica in Vaticano Sancti Petri Templo religiosissime custodita communitur. Equidem scio, ex heterodoxis Calvinum, & Hospinianum veluti commentitiam, & ex Catholicis nonnullos uti rem dubiæ fidei existimasse eam, quam de hoc Sacrosancto Sudario prisci Scriptores tradiderunt historiam, quod scilicet pientissima Mulier ante Christi passionem Vultum Redemptoris extergens in Sudariolo faciem ipsius Christi Jesu impressam susceperit. Sed nec latet, traditionem hanc fuisse propugnatam a doctis viris, Gretsero in Opere de Cruce, & in Synopsi de sacris imaginibus, Sandino in lib. de Familia sacra, & a Dominico Battisti Vaticanæ Basilicæ Beneficiato in peculiari Dissertatione ms., quæ de hujusmodi argumento copiose agit, & in ejusdem Basilicæ tabulario extat. Hujus Dissertationis Auctorem profecto novi, habui-

(a) Ord.Rom. num. 8. apud Museum Ital. Mabillon. (b) Num. 82., & 111. (c) Num. 30., & 144. (d) In Chronic. ad ann. Chr. 33. 39. 40. & alibi. (e) Apud Leibnitium tom. 1. Rerum Brunsvicentium pag. 968. (f) Ad ann. Dom. 1216. (g) Paradis. Cant. 31. (h) Ad ann. Chr. 1216.
(i) Sonett. 14. (k) De Regn. Ital. lib. 3. (l) De Imaginibus non manufactis cap. 17.
(m) Iter Italic. in præfat. num. 4. (n) De Christo Domino pag. 280. (o) Dell' immagine di Edessa Osservaz. 27. (p) In Opusc. inscripto Dell'Oratorio di S.Lorenzo nel Laterano num. 51. seq.
(q) Apud cit. Millin. num. 52. (r) Apud Martene tom. 8. veter. Scriptor. &c. col. 117.
(s) Vide & Pium II. in Comment. lib. 8. (t) Consule Bollandianos tom. 1. Februarii pag. 252. ubi ubi preces illæ exhibentur, & extant etiam in duobus Vaticanis Codd. signat. num. 3769. & 3779. cum memoria Indulgentiæ ab Innocentio III. concessæ.

huique amicitia conjunctum, virum sanè rectum, ac simplicem, simulque plurima eruditione pollentem, qui pie obiit XIII. Kalendas Augusti anno Domini MDCCXXXIX.

Jam vero ad reliqua, quæ marmore insunt consideratu digna pergamus. Quid sibi volunt verba illa: *bina clusura in integro?* Hadrianus I. paulo post sui Pontificatus initium, Desiderio Longobardorum rege obsidionem Urbis minitante, cuncta Basilicarum SS. Petri & Pauli *cymilia & ornatus*, ut apud vulgatum Anastasium legimus, inde tutum in locum deferri curavit; ex quo suspicantur nonnulli, ob Longobardorum incursionem, de qua Ven. Baronius ad annum Domini DCCLXXIII, Sacram Veronicam ex Basilica Vaticana alio translatam, & hinc postea ad S. Petri Templum reportatam ipso Hadriano I. Pontifice: quemadmodum posteriori ævo, tempore nimirum Joannis XXII. Romani Antistitis, ut ex ejus literis a Raynaldo ad annum MCCCXXVIII exhibitis patet, ob infestas incursiones Ludovici Bavari, & ejusdem in Urbem adventum, idem Sacratissimum Sudarium in Ecclesia S. Mariæ *Rotundæ* nuncupata in capsa tredecim munita clavibus, quarum singulæ a singulis Capitibus Regionum Almæ Urbis tenebantur, absconditum, repositumque fuit, & inde ad S. Petri Basilicam relatum. Hoc posito Turrigius prælaudata verba explicans, ait Reliquiam Sancti Sanctorum reconditam fuisse *in integro*, nempe rursus, sive denuo; *bina clausura* idest binis foribus, quæ successu temporis cum a Cælestino III. instauratæ fuerint, hanc Inscriptionem præferebant: *Cælestinus Tertius hoc opus fieri fecit*. Quod tandem in literato lapide vocabulum *Septiniana* legitur, ex eodem Turrigio, ac Dominico Macrio (*a*) intelligendum est marmoreum conseptum, locus septus, sepimento vallatus, odeum Græce, Italice *loggia*, qualis in Ciboriis Basilicarum Lateranensis, & S. Mariæ Transtiberim aspicitur: Glossarium Ducangianum non bene habet *Septimianum* pro *Septinianum*. Cæterum de hac marmorea Inscriptione alta palm. Rom. supra 11. lata fere 1., is quem sæpe laudavi, Grimaldus sic habet (*b*). *Hunc lapidem in demolitione ejus Sacelli* (Joannis VII.) *inter saxa projectum, dum casu apothecas lapicidarum i:trarem, ultimis literis aliquantulum mutila i: servandum curavi muro affixum in Cryptis juxta Aram Deiparæ Virginis Prægnantium*. Non eadem fortuna alteri, quod jam intercedit, aut latet, pervetusto marmori in memorata Cappella a S. Joanne VII. erecta, ut Severanus inquit (*c*) olim existenti, atque ipsius sacelli consecrationem indicanti: Sumtum jampridem a viris eruditis superest hujus Inscriptionis exemplum, quod ex Alpharano idem Severanus exhibet, & ex Achillis Statii Adversariis Donius (*d*) accuratissime recitat in hunc modum:

☩ *Dedicatio*
Domvs hvjvs
Scæ Dei Genitricis
Die XXI. *m. Marc. Ind.* IIII.



F TA-

(*a*) Hierolex. edit. Rom. 1677. (*b*) Lib. ms. De Veronica pag. 27. (*c*) De VII. Urb. Eccles. pag. 72. (*d*) Inscript. pag. 551.

TABULA XVIII.

QUÆ hac Tabula delineantur monumenta vetera, in prædicto S. Mariæ Prægnantium Sacello visuntur. Deiparæ Virginis Puerum Jesum gestantis picta imago ibidem anno MDCVIII. collocata est: Hæc ante annos circiter quadringentos, ut dicitur (*a*) coloribus in Muro expressa, latitudine palm. Rom. IV. semis, altitudine palm. V. protenditur; & olim extabat juxta portam Navis Sanctissimi Crucifixi Basilicæ veteris (*b*) additque Turrigius (*c*) ad Altare Assumptionis ejusdem Deiparæ Virginis. Qui autem stantes cernuntur, alter ad ipsius imaginis dexteram, alter ad lævam, ii binos Angelos repræsentant, ut idem Turrigius (*d*) exponit.

Teste vulgato Anastasio Bibliothecario, Joannes VII. Summus Pontifex, ut alibi (*e*) monuimus in Vaticana Basilica circa annum Domini DCCVI. ad honorem Deiparæ Virginis nobile Oratorium erigi, ac marmoribus, & musivis ornari curavit. *In ejus medio*, inquit Vegius (*f*) *est aliud Altare coopertum desuper nobilissimo, elaboratissimoque tegmine*, marmoreo nempe Ciborio (*g*), ubi summa cum Veneratione Sudarium Christi, seu Vultus Sanctus asservabatur. Hujusmodi Ciborii, & prædicti Sacelli reliquias hìc proponimus. Primum monumentum sub num. 2. est marmorea tabula, longa palm. Rom. fermè VIII., ubi literis anaglyphicis, quæ palmi dimidium superant, hæc legitur Inscriptio: *Johannis Servi Sanctæ Mariæ*: nimirum, ut interpretantur Scriptores de Rebus Vaticanæ Basilicæ, prælaudati Pontificis Joannis VII., qui Sacrum Ædificium extruxit, nomen indicatur; isque *Servus Sanctæ Mariæ* ob peculiarem cultum eidem Beatissimæ Dei Genitrici adhibitum appellatur. Lapidea hæc epigraphes extabat in memorato ciborio (*h*). Quoad cruces marmore insculptas, aliam nempe Inscriptionis principio, aliam supra nomen *Mariæ*; lector meminerit, veteres Christi Fideles non modo solitos fuisse, Tertulliano teste lib. de Corona mil. cap. 3., *ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacumque eos conversatio exerceret, frontem crucis signaculo terere*: sed etiam consuevisse idem salutis nostræ signum Inscriptionibus apponere; quod palam sit evolventibus earum Collectiones, & consulentibus in Gretseri Opere *de Sancta Cruce* caput 30 libri 1. de Inscriptionibus crucigeris speciatim disserens, cujus modi quoque sunt aliæ nonnullæ, quæ in præsenti libro occurrunt.

Ad prædictum autem Oratorium, seù Cappellam spectat monumentum alterum hìc num. 3. notatum: opere musivo elaboratum est, ac Divum Petrum Apostolum duas claves sinistra gestantem, ac elata dextera veluti concionem habentem in Urbe; ideoque ad ejus caput *Roma* scriptum esse, Turrigius observat (*i*). Sic, opinor, hujus Auctoris ævo se habebat musivum istud, & sic describitur a Jacobo Grimaldo in ms. libro Instrumentorum (*k*). Nunc vero deformatum adeo est, ac temporis edacitate ita exesum, ut ejus dumtaxat fragmentum 11. circiter palmorum supersit, in quo præter Apostoli caput, & pectus nil aliud equidem video. Illud tamen ratum, Pontifice Paulo V., quo jubente prælaudatum Sacellum solo æquatum fuit, ut nova Vaticani Templi fabrica perficeretur; hanc tessellati operis tabulam verosimiliter integram, aut melioris certe conditionis, quam ad præsens cernitur, in Cryptis Vaticanis fuisse positam cum Inscriptione hujusmodi: *Imago Beati Petri prædicantis Romanis ex Sacello Joannis VII. Papæ*.

Pau-

(*a*) Turrig. Cr. Vat. pag. 152. (*b*) Sic habet Inscriptio pictæ huic tabulæ apposita. Vide geminum Alpharani locum ab erudito Viro Raph. Sindonio relatum in Descriptione Altar. & Reliquiar. Basil. Vatic. pag. 3. (*c*) Loc. citato. (*d*) Ibid. & pag. 90. (*e*) Tabula II. (*f*) De reb. antiquis mem. Basil. S. Petri num. 144. (*g*) De quo sub finem Tab. XVI. (*h*) Cr. Vat. pag. 85. Severan. de VII. Eccl. Urbis pag. 71. (*i*) Ibid. (*k*) Pag. 122. terg. & 123.

Paulus V. Pont. Max.

Spectabile profecto monumentum aliis quamquam vetustioribus accensendum prolatis a V. Cl. Petro Franc. Fogginio in libro de S. Petri itinere ad Urbem, quibus Apostolorum Principis adventus Romam luculentissime demonstratur. Præter hanc Beati Petri effigiem aliæ quamplures in eodem Sacello erant Sacræ Imagines musivo expressæ, de quibus loqui mihi videtur S. Gregorius II. Romanus Pontifex in Literis ad Leonem Isaurum (*a*), quasve tabulis incisas Ciampinus in libro de sacris Ædificiis (*b*) publica luce donavit. Ex iis tessellati operis imaginibus aliud quod hodie superest fragmentum hic num. 4. designatum accipe. Refert sane ipsum Joannem VII. Antistitem, qui cum prædictum Sacellum erigi curasset, idcirco sacram ædem manibus gestans effingitur. Sic enim eos, qui templa Deo extruebant, depingi antiquitus consueverunt; ut perspicuè demonstrant musivæ absides Ecclesiarum S. Agnetis in via Nomentana, S. Marci, S. Praxedis, aliarumque. In illa siquidem Honorius I. in altera Gregorius IV. & in tertia Paschalis I. Summi Pontifices sacra Ædificia manibus deferentes conspiciuntur, quod Ecclesias illas vel erexerunt, vel saltem instaurarunt. Præterea quadratæ formæ tabula ad Joannis VII. caput appicta cernitur, quæ profecto denotat effigiem hanc Pontifice ipso in vivis agente, expressam fuisse. Hinc ea, quam Joannes Diaconus commemorat (*c*) pictam S. Gregorii Papæ I. imaginem, a biographo ipso describitur, *circa verticem tabulæ similitudinem, quod viventis insigne est, præferens, non coronam*. Eorum quippe, qui ad superos jam emigraverant, caput corona, seu diademate in pictis iconibus veteres redimire solebant. Antiquum utrumque morem non solum in prælaudatis absidibus, verum etiam in aliis monumentis quampluribus licet perspicere. Nec ritus hic mysterio vacat, si Turrigium (*d*) audiamus, cujus opinione tabula illa quadrata imperfectum hujus vitæ statum angulos multos, & obstacula habentem indicat; sicut circularis figuræ tabula perfectionem significat, beatitudinis maxime propriam. Secus tamen existimat Durandus, cum scribit (*e*) Prælatorum, aut Sanctorum viventium imaginibus coronam appingi non in forma scuti rotundi, sed quadrati, ut quatuor cardinalibus virtutibus iidem præditi ostendantur, *prout*, subiicit, *in legenda B. Gregorii habetur*. Ad hæc, idem Joannes Pontifex modice barbatus apparet, & in capitis summitate amplam habet rasuram sphericam, sive Clericalem Coronam, ad instar ejus quam Monachi, & Fratres Ordinis Prædicatorum, Minoritæ, aliorumque nonnullorum Ordinum usurpant. Talis profecto olim fuit Clericalis Coronæ forma. Aringhius vetustissimum refert monumentum, in quo, ut observat Blanchinus in notis ad vitam S. Pii I. (*f*) cernitur Pontifex Cathedræ insidens, & Clericalem prædictæ amplitudinis coronam capite gerens. Ejusdem quoque formæ S. Gregorii Magni corona fuisse videtur, quam paulo ante laudatus Joannes Diaconus (*g*) *spatiosam* enunciat. Sed & Gregorius Turonensis (*h*) de Nicetio Trevirorum Episcopo sic tradit: *S. Nicetius ab ipso ortu sui tempore Clericus est designatus. Nam cum partu fuisset effusus, omne caput ejus, ut est consuetudo nascentium Infantum a capillis nudus quidem cernebatur: in circuitu vero modicorum capillorum (al. pilorum) ordo apparuit, ut putares ab iisdem coronam Clerici fuisse signatam*. Insuper brevis ille orbis in vertice, quo Cleri maxima pars nunc utitur, a Patribus Concilii Toletani IV. can. 41. sic improbatur: *Omnes Clerici vel Lectores, sicut Levitæ, & Sacerdotes detonso superius toto capite, inferius solam circuli coronam relinquant: non sicut hucusque in Galliciæ partibus facere Lectores videntur, qui prolixis, ut Laici comis, in solo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iste in Hispania hucusque Hæreticorum fuit. Unde oportet, ut pro amputando Ecclesiæ scandalo hoc signum dedecoris auferatur, & una sit tonsura, vel habitus, sicut totius Hispaniæ est usus. Qui autem hoc non custodierit, Fidei Catholicæ reus erit*. Ex his facile deprehendimus tum Clericalis coronæ formam olim

(*a*) Videsis Basil. Vatic. Bullarium tom. 1. pag. 9. (*b*) Cap. 4. sect. 9. (*c*) Vit. S. Gregor. lib. 4. cap. 84. (*d*) Pag. 84., 85. (*e*) Lib. 1. cap. 3. Rational. Divinor. Offic. (*f*) Tom. 2. Anastas. Biblioth. pag. 127. seq. nov. Rom. edit. (*g*) Loc. cit. (*h*) Vit. Patrum c. 17.

olim usitatam, tum ejus usum longe veterem, quem tamen a tribus Ecclesiæ prioribus sæculis minime repetendum arbitror; quia hoc insigne per id tempus Clericos patefecisset Christianæ Religionis hostibus, ethnicosque Principes ad sæviendum in Christianos incitasset. Ecclesiæ sæculo v. Clericalis corona jam celebris habebatur. Ennodius enim Symmacho Papæ ait (*a*): *Erigat parvulos implorata corona vestra miseratio*. Item Apollinaris Sidonius (*b*) *auctoritatem coronæ* Leontii Episcopi implorat. Et S. Augustinus (*c*) Proculiano scribit: *Per coronam nostram nos adjurant vestri: per coronam vestram vos adjurant nostri*. Quibus in locis *corona* scilicet Clericalis, vocabulo Clericos intelligi, Sirmondus (*d*) notat. Ut enim purpuram, inquit, pro Principe dicimus, sic coronam pro Clerico: quia hæc est insigne Clerici; ut illa Principis. Nec veritati consonat, quod Grancolasius (*e*) affirmat, nullum scilicet Clericalis coronæ apparere vestigium ante Concilium IV. Toletanum sæculo septimo. Rem haud ita se habere, prolata de S. Nicatio verba Gregorii Turonensis, qui sexto Ecclesiæ sæculo claruit, luculentissime demonstrant. Quandoquidem vero, ut in ordinem regrediamur, musivi hujus fragmentum, palm. 1. Rom. superans, etsi integrum Joannis VII. vultum referat, cætera tamen valde est ab antiquitate detritum; idcirco oportuit ad ejusdem tessellati operis ectypon, sive exemplum, quod Grimaldus (cujus ætate commemoratum Joannis VII. Sacellum dejectum fuit) coloribus accurate delineavit, suoque ms. operi de SS. Sudario, seu Veronica inseruit pag. 150. oculos intendisse. In hoc igitur exemplo præter ea, quæ jam observavimus, Joannes VII. occurrit Pontificali amictus Pallio veteri casulæ imposito, peramplæ scilicet, quæ totum ambiret hominem; ut in priscis monumentis tum Romæ, tum alibi facile videre est.

TABULA XIX.

IN prælaudato Deiparæ Sacello *Prægnantium*, sive S. Mariæ *Angelorum* appellato gemina legitur marmorea Inscriptio, quarum utraque recentiori ævo concinnata, ibi jacuisse Corpora Sanctorum Romanorum Pontificum Leonum, I., II., III., & IV., ac eorum translationem inde in novum Vaticanum Templum ad Altare S. Mariæ de Columna ann. Dom. MDCVII. die XXVII. Maii pompa solemni celebratam, memoriæ prodit. Sergius I. teste ejus vitæ Scriptore apud Anastasium, Corpus S. Leonis Magni, quod *in adito inferioris* secretarii Vaticanæ Basilicæ conditum fuerat, nobiliore parato tumulo in eamdem Basilicam invexit, *publico loco, ut sibi fuerat revelatum, reposuit*. Translationem hanc sacris Ecclesiæ Romanæ fastis Majores nostri consignarunt: in pervetusto enim Kalendario Romano, Joannis Frontonis cura edito, & aliis antiquis monumentis apud Venerabilem Cardinalem Thomasium, ac Dominicum Georgium die XXVIII. Junii sic habetur: *Translatio Corporis Beati Leonis*. In priscis capitularibus, sive Kalendariis ex Vaticanæ Bibliothecæ Codd. sign. nimirum 7016., & Palat. 50. additur, *Pontificis*, ac in 5465. atque *Confessoris*. Juxta vetustissimum Ecclesiæ Ritum die Dominica translatio ista fieri debuit. Tempore autem Pontificatus Sergii I. qui ab anno Dom. DCLXXXVII. ad DCCI. Christianam Rempublicam gubernavit, cum dies XXVIII. Junii bis in diem Dominicam inciderit, anno scilicet DCLXXXVIII. lit. Dominicali CD, & anno DCLXXXXIV. lit. Domin. D; horum alterutro Sergius videtur ossa Divi Leonis Magni transtulisse. Aliunde tamen deprehendimus, rem gestam esse ann. DCLXXXVIII. cum hoc siquidem anno copulatur indictio 1. qua S. Leonis cineres a Sergio fuisse translatos, monumentum mox producendum luculen-

(*a*) Lib. 4. Epist. 22. (*b*) Lib. 6. Epist. 3. (*c*) Epist. 147. (*d*) In Apollinar. Epist. cit.
(*e*) Comment. in Breviar. Rom. lib. 2. cap. 79.

culentissime evincit. Ea profecto occasione Sanctissimo Pontifici, & Ecclesiæ Doctori hoc, quod sequitur Epitaphium est positum.

Hujus Apostolici primum est hic corpus humatum
Quod foret & tumulo dignus in arce Petri.
Hinc vatum, procerumque cohors, quos cernis adesse,
Membra sub egregia sunt adoperta domo.
Sed dudum ut pastor Magnus Leo septa, gregemque
Christicolam servans, janitor arcis erat.
Commonet e tumulo quod gesserat ipse superstes,
Ne lupus insidians vastet Ovile Dei.
Testantur missi pro recto dogmate libri,
Quos pia corda colunt, quos prava turba timet.
Rugiit, & pavida stupuerunt corda ferarum,
Pastorisque sui jussa sequuntur oves.
Hic tamen extremo jacuit sub marmore templi,
Quem jam Pontificum plura sepulcra celant.
Sergius antistes Divino impulsus amore,
Nunc in fronte sacræ transtulit inde domus.
Exornans rutilum pretioso marmore tumbum (a),
In quo poscentes mira superna vident.
Et quia præmicuit miris virtutibus olim,
Ultima Pontificis gloria major erit.

Epitaphium istud Gruterus (b) Ven. Card. Baronius (c) Quesnellus (d) aliique referunt, at sine additamento, quod in ms. Codice Virdunensis Cænobii S. Vitoni post recitatos viginti versus, teste Mabillonio (e) legitur in hunc modum: *Sedit in Episcopatu annos* XXI. *mensem* I. *dies* XIII. *Depositus est* III. *Idus*.... *& iterum translatus huc a B. Papa Sergio* IV. *Kal. Jul. Indict.* I. Ad hanc translationem neutiquam spectare crediderim aliud Epitaphium, cujus meminit Maphæus Vegius (f) cum de Vaticano Cœmeterio ad Occidentalem Basicæ partem olim sito differens, narrat plurimos in eo nobiles marmoreos tumulos fuisse repertos, quos inter unus extabat Leoni Papæ dicatus. Quod ubi comperit Magister, qui operi illi diruendo præerat, statim id renunciavit Pontifici; *Pontifexque*, ait Vegius, *tunc illo me ire jussit, cupiens quid id esset, certius ex me intelligere. Porro ibi reperi tumulum alio marmoreo lapide coopertum, inscriptum quoque tumulo unicum versum hujusmodi*: Salvo Papa Leone Agnellus presbyter ornat. *Putarim autem, hunc Agnellum fuisse aliquem cariorem ejus* (S. Leonis I.) *& secretiorem contubernalem ac bonum virum, qui ultimum, quem debuit talis, ac tanti heri ossibus honorem exhibuit, reconditumque ab illo prius ibi corpus ipsius diu jacuisse crediderim propter epigramma, quod dixi tumulo ejus inscriptum. Nam certo constat a Sergio Papa, Divina ita visione quadam monito, postea ipsum translatum fuisse.*

Oratorii, quod super ossa Leonis Magni a Sergio Pontifice translata erectum fuit, in epistola Hadriani Papæ I. anno Christi DCCLXXXI. (g) & in S. Leonis IV. privilegio anno DCCCLIV. (h) ut etiam alibi mentio est: atque ex eisdem Pontificiis literis colligitur illius Oratorii situs, nimirum ad Occidentalem veteris Basilicæ Vaticanæ partem, uti Alpharani Tabula Ichnographica (i) perspicuè indigitat; & locus ipse in sacris Vaticanis Cryptis in prælaudato Sacello *S. Mariæ Prægnantium* nuncupato hodieque cernitur. Idem Oratorium Petrus Mallius (k) ita commemorat: *Ante Altare S. Mauritii* ... *est*

(a) Græcum sane vocabulum, Τύμβος, quod tumulum notat; alia hinc lectio: *rutilam pretioso marmore tumbam*. (b) Inscript. tom. 2. pag. MCLXX. (c) Ad ann. 461. num. 11. (d) Differtat. 1. de vita, & rebus gest. S. Leonis n. 11. (e) Veter. Analect. to. 3. pag. 430. & seq. edit. Parif. an. 1682.
(f) Num 111. de Reb. Basil. S. Petri. (g) Apud Balut. tom. 7. Miscellan. pag. 120. & apud Bullar. Vatic. Basil. tom. 3. in Append. pag. 2. (h) Apud cit. Bullar. tom. 1. pag. 16. (i) Num. 14. (k) Num. 17.

est Oratorium S. Leonis Papæ Quarti: in quo, sicut sæpe a nostris Majoribus accepimus ..... Sanctæ recordationis Dominus Paschalis Papa II. Corpus Beati Leonis Papæ Primi, & Secundi, & Tertii, & Quarti recondidit, sicut etiam multi nostrorum (Canonicorum scilicet Vaticanæ Basilicæ) *viderunt*. Quod in S.Leonis I. honorem Altare dicatum initio fuerat, ideoque *S. Leonis*, Primi videlicet, dicebatur; in verbis mox recitatis Mallius *S. Leonis Quarti* nomine appellat; quo titulo, uti quidem videtur, illius Scriptoris ætate vocabatur, ob eam fortasse rationem, quod idem Altare, ac Sacellum nova, eaque nobili structura, S.Leo IV, teste ejus biographo apud Anastasium, refecerit; vel etiam ob peculiarem incolarum Civitatis Leonianæ pietatem erga eumdem S. Leonem IV., cujus sacræ exuviæ in memorato Altari quiescebant. Quod autem ipse Mallius asserit, corpus S. Leonis I. fuisse in eodem Oratorio a Paschali II. reconditum, cave Lector, ne intelligas, id primo factum ab ipso Paschali II. Sergius enim Pontifex jampridem eo in loco, ut supra enarratum est, S. Leonis Magni ossa primum posuit, sicuti postea Paschalis II. corpora Sanctorum Pontificum Leonum, Secundi, Tertii, & Quarti, ibidem condidit. At Julio II. Christianam Rempublicam gubernante, quum Vaticana Basilica ob vetustatem fatiscens solo æquata est, licet prædictum Altare, sive Oratorium dejectum fuerit; corpora tamen tum S.Leonis Magni, tum aliorum trium, quos modo nominavimus, Pontificum Leonum, *minime ablata fuerunt, sed ibi usque hodie intacta permanent*, ait Alpharanus (*a*) Sæculi XVI. accuratus de rebus Vaticanis Scriptor, qui mox ita prosequitur: *Anno vero Domini* 1580. *die* 1. *Augusti cum nova Basilicæ pavimentum in hoc loco æquaretur, sub basi Altaris hujus Oratorii SS. Leonum I., II., III, & IV. corpora intra marmoream arcam, marmorea tabula optime opertam, ut a Paschali II. condita fuerant, reperta fuerunt; quæ quidem Gregorii XIII. jussu, novo ac pulchiori altari desuper extructo, ibidem relicta, ac mirifico novoque fornice instar parvuli Templi erecto sub eodem novo pavimento exornata fuere, adeout commode, & a Sacerdotibus super Altare Sacrificium offerri, & a circumstantibus audiri possit*.

Quandoquidem vero temporibus Sixti V. & Clementis VIII. novum, ac magis elatum recentioris Basilicæ pavimentum paratum fuit, a quo prædictum Altare, sive Sacellum obtegebatur; ne prælaudata sacra pignora delitescerent, neve locus humens læderet, in superius pavimentum, Paulo V. Pontifice, delata sunt, & sub Altare S. Mariæ, quæ *de Columna* dicitur, collocata. Ea occasione reserato loculo, in quo sacræ Leonis Magni Exuviæ jacebant, hæc a Grimaldo (*b*) ita descriptæ sunt. *Aperta igitur capsa visum fuit ab omnibus ibi circumstantibus* (quos nominat) *Sacrum ipsum S. Leonis Magni corpus adhuc integrum* (hoc est nulla ex præcipuis partibus ossium desiderata, aut loco mota, si caput excipias) *quod erat statura palmorum septem, & quartorum trium; & ut conjici poterat, licet longitudine temporis, & antiquitate satis consumptum esset, Sanctus hic Pontifex corporis fuit gracilis, & extenuati. Erat indutus Pontificalibus indumentis, scilicet Planeta, sive Casula lata more antiquo ex purpura coloris castanei: manus habebat complicatas, & tegebantur a Planeta, quæ in ossa abierant. Tunicæ, & Dalmaticæ fragmenta habebat, crus dextrum, & pedes in ossa itidem redacta cernebantur. Caput consumptum erat in plura fragmenta ossium, & denigratum. Conspiciebantur Pontificiæ Mitræ reliquiæ ob summam vetustatem laceræ, & offuscatæ; circa collum relucebant quædam fila aurea; item supra manus. Remanserat super humero dextro crux parva rubri coloris, quæ erat Pallii Pontificalis. Item aliam crucem paulo longiorem ejusdem Pallii juxta pectus in parte dextra tenebat. In medio pectoris conspiciebatur aurea una spinula Pallii, infixa Planetæ. De Pallio vero nihil extabat: Planeta pedes attingebat. Tactu cuncta dissolvebantur, tum ob materiam antiquatam, tum ob locum madentem, quamvis optime clusum*. Hæc recognitio Corporis Sancti Leonis anno Domini MDCVII. habita est. Prælaudatus autem Grimaldus in suo ms. Instrumentorum libro corporis ejusdem S. Leonis I. prout sacrum hoc pignus tunc apparuit, conspectum delineavit; quem Papebrochius lamella mendose expressum chalcographi vitio primum ad mensis Aprilis diem undecimam (*c*) publici juris fecit, dein-

(*a*) Descript. Veter. ac nov. Templi Vatic. num. 14. (*b*) Pag. 145. Lib. Instrum.
(*c*) In Vita S. Leonis I. tom. 2. April. Bolland. pag. 22.

deinde correctum in Propylæo Maii (a) iterum repræsentavit. Abierant jam anni sex supra centum, ex quo sacra summorum, quos prædiximus, Pontificum Leonum Corpora sub memorato Altari S. Mariæ de Columna fuerunt condita, jamque absolutum fuerat admirandum illud statuariæ artis marmoreum opus, ad ornatum aræ S. Leonis I. jussu Innocentii X. ab Equite Alexandro Algardo excitatum; cum jamdudum initum, executioni demandari cepit consilium, ara in illa ejusdem Leonis I. nomine sacra Corpus ipsius Beatissimi Antistitis collocandi. Die igitur 20. Maii anno MDCCXIII. eximius Card. Annibal Albanus Vaticanæ Basilicæ Archipresbyter, & selecti nonnulli Basilicæ ejusdem Canonici, inter quos erat Prosper Lambertini, postea ad Summi Pontificatus apicem suarum splendore virtutum assumptus, prima noctis hora ad prælaudatum S. Mariæ de Columna Altare conveniunt; ac ibi amota tabula marmorea, occurrit lapis ita inscriptus: *Corpora Sanctorum Leonum I., II., III., & IV. Summorum Pontificum, & Confessorum*. Hoc lapide pariter dimoto, duæ aspiciuntur capsæ, altera alteri superposita. Lignea superior inscriptionem præferebat lamina plumbea incisam, qua indicabatur Cardinalis Evangelista Pallotta Basilicæ S. Petri Archipresbyter sacra illa eorumdem quatuor Pontificum pignora ex vetusto eorum Altari ad aram S. Mariæ de Columna die 27. Maii anno MDCVII. transtulisse. In hujusmodi capsa quiescebant ossa, & cineres Sanctorum Leonum II., III., & IV. Capsa inferior ex plumbo alteram in se continebat pineam, ubi exuviæ S. Leonis Magni jacebant, uti epigramma plumbeo loculo positum docuit in hunc modum: *Corpus S. Leonis Papæ Primi.* His peractis, uterque loculus signis Eminentissimi Archipresbyteri obsignatur, & in pristinum statum reducitur, tabula marmorea iterum superposita. Die autem 24. Martii anno MDCCXIV. Cardinali Archipresbytero, ac toto Vaticano Clero præsentibus, memoratæ capsæ e prædicto loco removentur; & ossa quidem, ac cineres SS. Leonum II., III., & IV. ministerio nonnullorum Sacerdotum in unum collecta, e loculo, in quo jacebant, quique temporis longinquitate labefactatus multum erat, in aliam capsam pariter ligneam, ac data opera præparatam immittuntur; capsa vero pinea sacras Leonis Magni exuvias continens, ex prædicto plumbeo loculo educta sine operculo cum venerabili corpore, in alio loculo itidem ligneo conditur. Tum signis capsa utraque obsignata in Sacellum S. Nicolai Episcopi nomine dicatum religiose defertur: ubi eodem anno MDCCXIV. die 2. Aprilis corpus S. Leonis I. reserato ejus loculo, decem & octo S. R. E. Cardinales inspexere, ac speciali veneratione coluerunt. Ex eo Sacello IV. Idus Aprilis anno MDCCXV. a Cardinali Ursino, qui postea Summus Pontifex est renunciatus, ac Eminentissimo Archipresbytero, unacum toto Basilicæ Clero in Cappellam, quam Chorum vocant, deportatur, ibique publico Fidelium cultui exponitur. Postridie nimirum III. Idus Aprilis sacris Mysteriis maxima cum celebritate peractis, in S. Leonis Magni laudem a Nicolao Fortiguerra Oratio est habita: horis vero pomeridianis solemni pompa, quam frequens Populus, Sacer Cardinalium Senatus, & ipsius Summi Pontificis Clementis XI. præsentia auxerunt, ipsum S. Leonis I. corpus ad aram in ejus honorem elegantissime erectam delatum fuit, & in ea honorificentissime reconditum. Idem sacrum corpus prout inspectum fuit anno Domini MDCCXIV. egregius Præsul Franciscus Blanchinus testis oculatus, summa cum diligentia delineandum, ac lamina exprimendum curavit, quam suæ Anastasii Bibliothecarii editioni (b) adnexuit. Vestibus nimirum sacrum pignus ita contegebatur, ut pectus quidem & humeri omnino velarentur, artus vero inferiores sub sinubus vestium earumdem, ibi tenuiorum ac multa sui parte dissolutarum, apparerent evidentes. Conspiciebantur denudatæ colli & lumborum vertebræ. Ossa ilion, & utriusque femoris, ac tibiarum dignoscebantur; a quarum sinistrâ sua fibula dimota paulisper erat, cæteris in situ suo exacte permanentibus. Capitis vero figura talis erat: Ex ossibus cranii exigua tantum frustula inter velamentorum reliquias decidua supererant. Mandibulæ inferioris pars sinistra remanserat integra, ex qua dentem excidisse, adnota-

(a) In Conatu Chronico histor. in S. Leone I. (b) Tom. 3. pag. 160.

notavit Archiater Pontificius, mandante Clemente XI. ad eam inspectionem adhibitus, ut pro artis peritia nominatim dictaret Notario ossa, quæ apparebant. Processus humeri dextri deciduus, & prolapsus jacebat non longe a reliqua humeri parte, quæ sub vestium sinubus prominebat in suo situ. Nulla igitur portio sceleti loco dimota fuerat; cranio tantummodo, paucisque nonnullis ossibus dissolutis. Ita Blanchinus. Duo quoque ossa satis distincta apparuerunt prope capitis situm locata. Horum alterum, Judice mox laudato Archiatro Pontificio de Pauli in sua corporis S. Leonis descriptione prædicto Anastasii volumini adsuta, referebat claviculam ea prorsus parte, qua humero adnectitur; alterum vero certo certius erat unum ex ossibus cranii. Sed probabile admodum est, ut idem Archiater existimavit, duo hæc ossa, seu fragmenta e superiori trium Sanctorum Leonum capsa cecidisse. Operculum enim plumbeum, ligneumque capsæ Sancti Leonis I. relaxatum, & compressum ab eodem superiori loculo trium Sanctorum Leonum, ossium intromissioni locum dare potuit. Hæc autem eorumdem Sanctorum Pontificum Leonum Secundi, Tertii, & Quarti ossa die 28. Junii anno MDCCXV. in Choro cum Matutinales preces cantu effundebantur, & sacra peragebantur Mysteria, sunt fidelium cultui exposita; comitante Eminentissimo Archipresbytero, cunctoque Clero Vaticano, magna cum decentia ad Altare S. Mariæ de Columna delata fuerunt, & sub eo, unde anno 1715. postquam educta fuerant, iterum condita. Alia nonnulla circa sacras exuvias tum S. Leonis I. tum aliorum Trium Leonum, Clemente XI. Pontifice, & Cardinali Annibale Albano curante, gesta, Ludovicus Sergardus in libro, cui titulus: *Ragguaglio della solenne traslazione del corpo di S. Leone Magno seguita gli 11. Aprile 1715.* & Raphael Sindonius (a) ex septem Instrumentis Cosmi Antonii de Bernardinis Rituum Congregationis Notarii summatim enarrant.

TABULA XX.

Tria hic marmorea exhibentur monumenta anagliphice elaborata, ex quibus Sanctum Matthæum refert statua oblongam gestans membranam explicatam, alia vero gemina S. Joannem Apostolum repræsentat (b): utraque autem Tabula alt. palm. supra v., lat. 11. erat olim ad ornatum insignis tumuli Nicolai Papæ Quinti, ut Inscriptiones ambabus appositæ admonent; sed postea, sepulcro illo everso ob novum Vaticani Templi ædificium perficiendum, muro tandem affixa est ad ingressum subterranei sacelli B. V. Mariæ vulgo *della Bocciata*, ac etiam *de Febri*, & *de Porticu* nuncupatæ, ubi hodieque existit. Aliud vero simulacrum jacens, in hac ipsa Tab. XX. æri cælatum, Cardinalis Rainaldi Ursini Basilicæ Vaticanæ Archipresbyteri, anno reparatæ salutis MCCCLXXIV. defuncti, imago est in lapide sepulcrali expressa, quæ tamen vix discerni, aut ne vix quidem potest, cum ipse vetus lapis plurimum consumtus sit, & aliqua sui parte sub muro lateat Cappellæ aliàs memoratæ Sanctæ Mariæ *de Praegnantibus*; ideoque ex Inscriptione marmori incisâ nonnisi hæc verba, *hic jacet Reve*, legere inpræsentiarum licet: hanc nihilominus ex Jacobo Grimaldo integram damus infra ad Tabulam LV., ubi de eodem Rainaldo Card. Ursino verba iterum fieri necesse est.

TA-

(a) Descriptio histor. Altar. & Reliquiar. Vatic. Basil. pag. 50. & seqq.
(b) Turrig. Cr. Vat. pag. 98. & 108.

TABULA XXI. & XXII.

IN duabus hisce Tabulis geminæ exhibentur, & quidem vetustæ, tametsi haud prorsus integræ, lapideæ statuæ, utraque palm. Rom. v. Altera profecto in Tab. XXI. Sanctum Petrum Apostolorum Principem, altera autem in Tab. XXII. Sanctum Paulum Doctorem gentium repræsentat: hic librum, ille claves ultra librum gestat, ambo tunica & pallio pro more induti, ac vultu antiquissimis ipsorum imaginibus, quas in vitreis fragmentis expressas apud Clar. Philippum Bonarrotium videre est, persimiles apparent. Cum verò de Apostolorum vestibus, ore, habituque corporis alibi *(a)* sim locutus, de his nulla in hoc loco verba facio. Cæterum hæc anaglyphici operis simulacra quondam sita erant in veteris Basilicæ Vaticanæ atrio ad januam porticus Pontificum. Dicebatur autem *Porticus Pontificum* celeberrimæ quadriporticus pars anterior, eidem scilicet Sacræ Basilicæ propinquior, ob Summos Antistites eo in loco juxta pristinum morem sepultos *Pontificum* certe appellata, ut ex Ichnographica Alpharani Tabula *(b)* facillime deprehendimus. Sed ea quadriporticu solo æquata ad novam molem Vaticanam absolvendam, bina ista simulacra in Cryptis, quæ passim *Veteres* nominantur, ad Meridiem *(c)* collocata fuerunt cum hoc lemmate: *Hæ Statuæ SS. Apostolorum Petri, & Pauli erant in atrio Basilicæ ad januam porticus Pontificum hic positæ, sub Paulo V.* Nunc tamen in Sacello *S. Mariæ Prægnantium* ad altaris latera conspiciuntur, huc non multos ante annos translatæ.

TABULA XXIII.

INter duodecim Sacella, quæ in veteri Templo Vaticano Nobilissima Ursinorum Gens variis temporibus Divino Numini erexit, vel etiam reditibus auxit, illud profecto enumerandum est, quod in transversa ejusdem veteris Basilicæ Navi Joannes Cajetanus de Ursinis *(d)* Bonifacii VIII. Nepos circa annum 1330. in Deiparæ honorem extrui curavit; quodve postea paululum exsordescens, Jordanus de Ursinis Episcopus Sabinensis, & Vaticanæ Basilicæ Archipresbyter instauravit, dotavitque, ut Alpharanus *(e)* tradit. In hoc Sacello erat Immaculatæ Virginis Imago sub præsentis Tabulæ num. 1. exhibita, quam Prægnantes Mulieres pio, frequentique cultu potissimum venerabantur, idcirco titulo *S. Mariæ de Prægnantibus* nuncupata. Quum Julius II. Pontifex novam Basilicæ Vaticanæ fabricam aggrederetur, Sacello ipso dejecto, de-

G

(a) Tab. LXX. LXXVII. LXXVIII. Confer & superiorem Tab. X. *(b)* Lit. I. num. 123. 125. 127. &c. *(c)* Turrig. Cr. Vat. pag. 345. Giz. Descr. Basil. pag. 79. & 80. Ciampin. Sac. Ædif. cap. 4. sect. 15. *(d)* Turrigius in Cr. Vat. pag. 161. ex pergameno codice Archivii Basilicæ S. Petri hæc refert. *Anno Domini 1335. tertia Indictione mense Augusti obiit Reverendissimus Pater Joannes Cajetanus de Domo Ursinorum, S. Theodori Diac. Cardin., Concanonicus noster, cujus corpus requiescit apud suam Cappellam S. Mariæ Prægnantis sitam in nostra Basilica: qui in vita sua donavit nostræ Basilicæ pro redemptione Animarum Patris, Matris, Fratrum, Nepotis, & sua, terras Vinearum Suvereti, & totum Tenimentum ipsius, de quibus per Cameram quolibet die octo Missæ dicantur, scilicet quatuor in Altari Sancti Blasii, & quatuor in Altari S. Mariæ Prægnantis, de quo præstitum fuit Sacramentum per Priorem, & Capitulum. Insuper voluit, & mandavit, quod post mortem suam in die isto fiat anniversarium pro Anima sua, in quo expendantur x. floreni aurei in ipso die, & manualiter.* Locus hic, quem Turrigius haud satis diligenter exscripsit, castigatus, atque integer nunc exhibetur, prout legitur tertio Kal. Septembris in Antiquissimo Tabularii Capitularis Vaticani Martyrologio, cui Necrologium est insertum.

(e) In Ms. Descript. vet. & novi Templi Vatic. num. 18.

deinde facra Icon cum proprio Altari in parietem, novum templum a veteri dividentem, prælaudato Alpharano teste (*a*) translata fuit; ac ibi S. Mariæ Angelorum appellationem quoque sortita, forsitan ob marmoreos duos Angelos eidem adstantes. Turrigius in Cr. Vat. pag. 160. ex Ms. Capitularis Archivii S. Petri hæc verba profert: *Altare cum Sacello nobilissimo sub Julio II. dejectum, a Familia Ursinorum optimè dotatum, in quo sepulti erant Card. de Ursinis Jordanus, & alii, & erat magnæ venerationis propter Mulieres pregnantes*. Postmodum vero Paulo V. Augustissimi Templi Vaticani Ædificium perficiente, in Cryptas asportata est eadem Virginis Deiparæ effigies, atque in Sacello, quod ab ipsa *Beatæ Mariæ Prægnantium* sive *Angelorum* denominatur exposita. Huc attinet gemina Inscriptio; altera ibidem muro affixa his verbis concepta est: *Imago Deiparæ Virginis Prægnantium e ruinis Sacelli Jordani Card. Ursini, hujus Basilicæ Archipræsbyteri olim servata, piæ venerationi in hoc Altare exposita anno MDCXII.* Altera sic habet: *Hæc sacra Deiparæ Virginis imago erat in antiquissimo Sacello S. Mariæ Prægnantium nuncupato dudum ab Illustrissima Ursinorum Gente sumptuose erecto, & aliquot post sæcula a Jordano Ursino Card. Sabinensi, Majore Pænitentiario hujus Basilicæ Archipresbytero anno MCCCCXXXIV. magnificè dotato; e veteris Templi ruinis servata, supra hanc Aram piæ venerationi exponitur anno Domini MDCXVI.*

Paulo V. Pont. Max. (*b*)

Onus verò Divina peragendi Mysteria ad facræ ejusdem Iconis Altare, jampridem alio translatum est Apostolicæ Visitationis Decreto, anno MDCXXV. die 2. Februarii edito, cujus verba sunt hujusmodi: *Onus, quod inerat Altari veteris Ecclesiæ nuncupato* S. Mariæ Prægnantium *celebrandi in eo ter in hebdomada ex dote a Joanne Ursino attributa; transferatur ad Altare S. Mariæ ad Columnam*. Cæterum hæc Deiparæ picta imago, quæ Puerum Jesum stantem amplectitur, altitudine palmos Rom. IV. superat, ac totidem est lata. Quæ autem ad ipsius ornatum ordine sunt dispositæ quatuor marmoreæ columnæ ad vitis formam excavatæ, ac laboratæ ex musivo, & palmos V. altæ; Vultus Sancti, seu Veronicæ Altare, quondam condecorabant (*c*) Angeli demum e pario marmore hinc inde astantes, palmos fere IV. in altum protenduntur; quorum alter ad pictæ tabulæ dexteram positus, membranam, codicem scilicet more veterum explicat, & Matris Dei laudes quasi in eo libro recensitas prædicare videtur.

Quæ sub num. 2. hic delineatur marmorea tabula, operis Anaglyptici longitudine palmos Rom. X. cum quadr. exæquans; alta V. in prælaudato *S. Mariæ Prægnantium*, sive *Angelorum* subterraneo Sacello hodie aspicitur, olim vero Ciborium, seu Tabernaculum principis Altaris Vaticanæ Basilicæ a Sixto IV. Pontifice restitutum, atque exornatum, ut alibi diximus (*d*), decorabat. Hinc ipsi tabulæ Inscriptio hæc posita: *Ornamenta Xysti Papæ IV. ad Altare Beati Petri existentia*. Marmor exhibet peramplam, & oblongam, veluti porticum parastatis, & septem arcubus distinctam; ubi complures cernuntur armati Milites, Beatique Apostoli Petrus, & Paulus, ac sceleftissimus post hominum memoriam Nero Augustus, leo jure appellatus (*e*), qui sanctissimos Christianæ Fidei præcones vinculis constringi, & ad supplicium adduci imperat. Hujus vultum, os, lineamenta, & cultum sic depingit Svetonius (*f*): *Statura fuit pene justa, corpore maculoso, & fœdo, subflavo capillo, vultu pulchro magis, quam venusto, oculis cæsiis, & hebetioribus, cervice obesa, ventre projecto, gracillimis cruribus*; quæ præsentis tabulæ Sculptor crassiora perperam delineavit, tametsi in cæteris corporis partibus effigiandis, ad prolatam Svetonii descriptionem, & ad numismata Neronem præferentia propius accesserit. Milites loricati apparent, & galeati, ense item accincti, quorum duo clypeum gestant; alter octangulum, aut si mavis exagonum, alter formæ circularis: Clypei autem, gladii vagina, & galeæ concinne ornata, ac diligenter insculpta conspiciuntur: quive coram Imperatore prostat miles, loricam ex cornibus rasis, & levigatis plumarum in speciem linteis indumentis innexam, qualem Ammianus meminit (*g*) gesta-

(*a*) Ibi num. 43. (*b*) Apud Turrig. Cr. Vat. pag. 91. (*c*) Turrig. ibi. (*d*) Tab. LXXVIII.
(*e*) II. ad Timoth. cap. 4. v. 17. (*f*) In Neron. Vita sub finem. (*g*) Lib. 17. Hist.

gestare videtur. Fortissimi Christianæ Fidei Athletæ, Petrus, & Paulus, tunica, & pallio pro more amicti, ac vultu ad modestiam, & tolerantiam composito spectantur. Geminas marmoreas tabulas, ab eodem, ut videtur, Artifice affabre cælatas, Ciborium principis aræ Vaticani Templi quondam ornantes, ac utriusque Apostoli Martyrium exhibentes, quæ in hoc Libro delineatæ, LXXIX., & LXXX. enumerantur, lector facile spectare & conferre potest.

TABULA XXIV.

Ex iis, quas in hoc opere damus, vetustis Inscriptionibus nonnullæ facem præferunt, ut recte judicemus de controversia, an licitum fuerit olim, Fidelium Cadavera in Ædibus Deo sacris tumulari. Id prohibentes Synodorum Canones Thomassinus (*a*), Van Espenius (*b*), aliique adducunt: at sepulturam in Ecclesiis antiquitus concessam Fidelibus fuisse, exemplis potissimum ex remotiori Christianæ Reipublicæ ævo repetitis Clariss. Muratorius in Notis ad S. Paulinum, ac nuper Joannes de Vita, vir plurimæ sane eruditionis dignusque Reatinæ Ecclesiæ Episcopus in suo, quem anno MDCCLIV. publica luce donavit Thesauro Antiquitatum Beneventanarum (*c*) demonstrarunt. Profecto Cinegius haud procul ab Urbe Nola defunctus, ut in S. Felicis Ecclesia tumularetur, sivit Beatus Paulinus Antistes Nolanus, ea de re a Flora ejusdem Cinegii Matre rogatus (*d*). Theodoretus Episcopus Cyrensis singulari plane Jacobi Cyrensis virtute excitus, ipso adhuc in vivis agente arcam marmoream, in qua Sancti Viri corpus post ejus obitum conderetur, fabricandam in Apostolorum Ecclesia curavit: Qua tamen arca postmodum in montem translata, & ibi in Sanctorum Martyrum honorem Templo erecto, in ipso S. Jacobus humari non renuit, ut reapse est deinde tumulatus (*e*). Corpus Armogastis, qui fuit Venerabilis Confessor Christi, *in una Basilicarum cum triumpho*, ait Victor Vitensis (*f*), sepeliendum erat, nisi ipse adhuc vivens secus jussisset. Satyrum Fratrem suum ad Martyris lævam S. Ambrosius humavit; corpora item Sancti Cæsarii Fratris Beati Gregorii Nazianzeni, Sancti Macrinæ, ac S. Paulæ in sacris Ædibus sepulturæ mandata referuntur. Sanctum quoque Remigium Remensem Episcopum, & Hadoindum Cenomanensem voluisse in Ecclesia tumulari, illorum Testamenta (*g*) produnt. Corpus Sancti Herculani Episcopi Perusini primo sepultum juxta muros ejusdem Urbis, postmodum ob ejus sanctimoniam honorifice tumulatum fuit in Perusina Divi Petri Ecclesia: & S. Equitii corpus jacebat in S. Laurentii templo Provinciæ Valeriæ (*h*): S. Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus, qui ad superos abiit an. Christi DLXXXII., sepultus est in Ecclesia SS. Apostolorum prope Altare, ac prope corpora SS. Andreæ, Lucæ, ac Timothei; quo in loco ipse sibi sepulturam vivens elegerat (*i*). Ad Basiliculam super ossa S. Saturnini Martyris paratam tanta Christianorum cadavera relata sunt, ut *locus omnis tumulatorum corporum multitudine impletus fuerit* (*k*). In Ecclesia suburbana, ubi conditi Sanctæ Drosidis Martyris cineres colebantur, plurima erant mortuorum sepulcra (*l*). Denique S. Maximus suos alloquens Taurinenses, ait (*m*) a majoribus provisum esse, ut Sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, atque hujus moris utilitatem explicat.

(*a*) Novæ, & veter. Disciplinæ Part. 3. lib. 1. cap. 65., & seqq. (*b*) Jur. Eccles. Univ. Part. 2. tit. 38. cap. 2. (*c*) Tom. 1. Dissertat. XI. cap. 2. (*d*) S. Augustin. de Cura geren. pro mortuis ad Paulinum cap. 1. (*e*) Hist. Relig. cap. 21. (*f*) Persecut. Vandal. lib. 1. (*g*) Apud Brisson. lib. 7. Formul. pag. 767., & 771. edit. Paris. an. 1583. (*h*) S. Gregor. lib. 1. Dialog. cap. 4. & lib. 3. cap. 13.

(*i*) Vita S. Eutychii ab Eustachio Presbytero ejus domestico, & familiari conscripta cap. 10. num. 98. apud Bolland. tom. 1. April. pag. 571. (*k*) S. Saturnini acta apud Ruinart. (*l*) S. Joann. Chrysost. tom. 5. homil. 71. (*m*) Serm. 61. de SS. Martyr. Taurinens. Octavii &c.

plicat. Hæc sane & alia bene multa veterum monumenta affatim evincunt, Christianorum cadavera olim fuisse in sacris Ædibus tumulata. Numquid vero id promiscue, nulloque servato ordine factitatum? Numquid Fidelem quemlibet in Ecclesiis sepulturæ tradere licebat? Minime gentium. Hujusmodi privilegium viris quidem sanctitate, vel dignitate præstantibus, aliis vero nonnisi ex Episcoporum permissu concedebatur. Quamvis igitur prisco civili jure, legibus nempe tum XII. Tabularum, tum Imperatorum Hadriani, & Diocletiani, ac Maximiani, tum Christianorum Principum Gratiani, Valentiniani, & Theodosii, tum Regis Theodorici cautum esset, ne Defunctorum corpora intra Civitates humarentur; ratum tamen est, in Gratiani, Valentiniani, ac Theodosii Constitutione mox laudata neutiquam comprehendi Sanctorum Martyrum corpora, imo ex eadem intelligi, sacras hasce exuvias non solum in Urbibus, verum etiam in Ecclesiis collocari consuevisse: certo item certius est Edictis illis, ac legibus haud prorsus obtemperatum fuisse, ac tandem Leonis VI. Augusti Sanctione (*a*) abrogatum, indulgentis nimirum votis Christianorum, qui maxime avebant apud sepulcra Martyrum inhumari. Contenti quidem esse hi debuissent, sepulturæ locum in sacrarum Ædium Porticis obtinere. Ibi enim tumulari vel, ipsi Christianæ Reipublicæ Principes summo honore ducebat; quod eleganter affirmat S. Joannes Chrysostomus (*b*) cum ait, Imperatores præclare secum agi putasse, si juxta Apostolorum vestibula corpora ipsorum sepelirentur, *fierentque Reges Piscatorum janitores*. Idipsum non modo Constantinopoli, sed & alibi observabatur. Ut enim taceam Venerabilem Sacerdotem Valeriæ *ante Ecclesiam sepultum*, teste S. Gregorio Magno (*c*); & Siconem, Radelchim, aliosque plures Beneventanos Principes ante Portam Ecclesiæ Majoris Beneventanæ, in illius scilicet atrio tumulatos (*d*); Willielmus Dunhelmensis Episcopus, ubi intellexit Episcoporum Consilium, qui suum in Ecclesia Cadaver inhumare statuerant, intercessit, ne id fieret: *Non placeat*, inquiens, *Deo, ut pro me mutetur, vel minuatur Domini mei S. Guthberti reverentia, pro cujus honore nullus Antecessorum meorum in Ecclesia unquam humatus est; sed in Capitulo* (id est exedra sive locus sacræ Ædi adjacens, in quo de rebus Ecclesiæ tractatur) *me ponite* (*e*). Simile ferme exemplum de Ottone Episcopo Frisingensi narratur (*f*). Quod autem magis mirere illud profecto est, Ecclesiæ summos Hierarchas, nempe Romanos Pontifices pro veteri more in Basilicæ Vaticanæ Porticu, aut secretario, de quo alibi diximus, sepulturæ olim fuisse mandatos, quod palam sit ex vetustis de eadem Basilica Scriptoribus, Manlio, Vegio, Alpharano, Grimaldo, aliisque: in illa etiam Porticu Otto Secundus Imperator inhumatus fuit, quemadmodum aliàs adnotavimus. At satis non fuit Populo sua Cadavera in Cœmeteriis prope Basilicas, aut in ipsarum Porticibus recondi: in sacrarum Ædium interiori parte, multi sane, alii pietate, alii fortassis æmulatione, & ambitione moti, sepulchra parari sibi curarunt. Hoc tamen desiderium sacri Antistites, ac nonnulli etiam Laici Principes Ecclesiasticis legibus inhærentes, certis sanctionibus cohibuerunt. Concilium enim Bracarense I. anno Domini DLXIII. statuit, *ut corpora Defunctorum nullo modo intra Basilicam Sanctorum sepeliantur: sed si necesse est, deforis circa murum Basilicæ usque adeo non abhorret*. Idipsum decrevit Synodus Namnetensis circa annum Domini DCLVIII. (*g*) ac insuper quænam essent loca deforis circa Murum Basilicæ, in quibus liceret Defunctorum cadavera inhumare can. 6. explicavit his verbis: *Prohibendum est etiam secundum Majorum instituta, ut in Ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in Atrio, aut in Porticu, aut in exedris Ecclesiæ. Intra Ecclesiam vero, & prope Altare, ubi Corpus, & Sanguis Domini conficitur, nullatenus sepeliantur*. Canonem hunc cum aliis novemdecim Sirmondus tribuit prædictæ Synodo Namnetensi. An verò aliud Concilium Namnetis anno Christi 800. aut seriùs habitum xx. canones illos ediderit, ut putant nonnulli, quos idem Sirmondus

(*a*) Novella LIII. (*b*) Homil. 26. in II. ad Corinth. (*c*) Lib. 3. Dialog. cap. 22. (*d*) De Vita Antiquit. Benevent. Dissert. XI. pag. 310. not. b. (*e*) Malmesburiens. lib. 3. de gest. Pontif. Angl. in Episc. Lindisfarn. & Dunelmensibus. (*f*) Radevic. de Gest. Friderici lib. 2. cap. 11. (*g*) Ap. Lab. Concil. tom. 7. col. 499. & tom. 11. col. 658. seq. Edit. Venet.

dus deceptos ait, non est hic disputandi locus. Certe, Theodulphus Episcopus Aurelianensis in capitulis anno DCCXCVII. editis cap. 9. prohibet ne ullus in Ecclesia sepeliatur; tametsi id permittat, *si forte talis sit Persona Sacerdotis, aut cujuslibet justi hominis, qui per vitæ meritum talem vivendo suo corpori defuncto locum acquisivit*. Rursus cadavera Defunctorum in Ecclesia tumulari vetant, & hac in re Canones a Patribus constitutos servari præcipiunt Capitularia Regum Francorum (*a*), ac Synodus Arelatensis VI. anno DCCCXIII. celebrata (*b*). Hujusmodi prohibitionem *juxta Sanctorum Patrum statuta, & experimenta miraculorum* Concilium Triburiense anno Christi DCCCLXXXXV. instauravit (*c*) eisdem ferme verbis, eademque exceptione usum, ac Theodulphus Aurelianensis paulo ante laudatus: nimirum, ut præsul iste, sic etiam Synodus Triburiensis huic legi interdicenti mortuorum sepulturam in sacris Ædibus, Sacerdotes aliosque viros sanctimonia, ac virtutibus præclaros, minime obnoxios esse voluerunt. Sed, & illud satis perspectum habemus, nonnisi Episcopis permittentibus, Fidelium corpora in Ecclesiis fuisse tumulata. Suppetunt enim hujus rei splendida sane monumenta. Nam S. Remigius in suo Testamento apud Brissonium (*d*) solidos quatuor legavit Ecclesiæ SS. Martyrum Timothei, & Apollinariis, *ubi* inquit *etiam Domino dante, si Fratribus, & Filiis meis Episcopis Diœceseos nostræ visum fuerit, ossa mea ponere disposui*. Hincmarus Archiepiscopus Remensis Capitulis anno DCCCLII. editis decernit (*e*). *Ut nemo Presbyterorum quemquam in Ecclesia sepeliat sine consultu Episcopi, exceptis dumtaxat Personis, quas sigillatim, & privatim in Synodo significavimus*. Hujusce permissionis luculenter meminit S. Gregorius, cum per Epistolam (*f*) alloquens Januarium Episcopum Calaritanum, docet quid ab eo vitandum foret, *si quando*, ait, *aliquem in Ecclesia vestra sepeliri conceditis*. Erat igitur necessaria Episcopi permissio, ut in sacris Ædibus defuncti cujuspiam Fidelis cadaver inhumaretur: Quod Arechis II. Beneventanus Langobardorum Princeps Sæculo VIII. confirmavit in suo Capitulo (*g*) decernens, ut siquis temere *absque permissu Pontificis, vel Custodum Ecclesiasticorum, Mortuum in Basilica sepelierit, ... componat solidos* XL. *ejusdem venerabilis loci rectoribus: de sepulto quidem supradictis personis, ut libeat, conveniatur*. Insuper Hadrianus I. Pontifex corpora Christophori Primicerii, triduo postquam ei crudeliter oculi avulsi sunt, defuncti, & Sergii Secundicerii inique interfecti (ambo de Romana Ecclesia optime meriti, eisque ærumnis affecti opera Desiderii Longobardorum Regis) e locis, ubi tumulata fuerant dimoveri jussit; eaque cum honore in Ecclesia B. Petri fecit sepeliri (*h*). Magis tamen perspicuum deprehendimus hujusce Episcopalis permissionis vestigium in ea, quam hic damus, sepulchrali Inscriptione ex antiquæ S. Petri Basilicæ monumentis superstite, affixaque muro in Cryptis Vaticanis in Cappella *S. Mariæ Prægnantium* dicta. Titulus enim verbis, quæ in ærea Tabula uti in marmore compendiosa & contracta sunt, explicatis ac dissolutis, sic habet:

Locvs Marcelli Svbdiaconi regionis sexte concessvm sibi & posteris ejvs a Beatissimo Papa Joanne qvi vixit annos plvs minvs LXVIII. depositvs post consvlatvm Basili viri Clarissimi anno XXII. Indictione XI. vndecimo Kalendas Janvarii.

Inscriptum hunc lapidem, qui altitudine palm. supra III., longitudine VIII. protenditur, Turrigius (*i*) Donius (*k*) Muratorius (*l*) aliique, tametsi haud omnino exacte recitant. Is porro nos edocet loci concessionem a Joanne III., qui anno Christi DLX. Romanus Pontifex est renunciatus, factam ad Ecclesiasticam sepulturam. De ipso nonnulla, quæ videntur notatu digna; adjici possunt. Marcellus fuit sextæ regionis in Urbe Subdiaconus, ex eo nempe cætu Clericorum, de quo meminit S. Cornelius Summus Pontifex in sua ad Fabium Antiochenum Epistola ab Eusebio (*m*) relata, ubi enumerans quot suo tempore, idest medio Sæculo tertio, erant in Romana Ecclesia Presbyteri, Acoliti, Exorcistæ, Lectores, Ostia-

(*a*) Lib. 1. cap. 153. lib. 2. cap. 48. (*b*) Can. 21. (*c*) Can. 17. (*d*) Lib. 7. Form. pag. 767.
(*e*) Cap. 12. (*f*) Lib. 9. Epist. 3. edit. PP. Maurinor. (*g*) Cap. 17. (*h*) Apud Anastas. in Hadrian. I. sect. 300. (*i*) Cr. Vat. pag. 93. (*k*) Inscript. Class. xx. num. 62. pag. 537.
(*l*) Inscript. pag. CDXXVIII. (*m*) Hist. Eccles. lib. 6. cap. 43.

Ostiarii; post Presbyteros mox recenset septem Diaconos, totidemque Subdiaconos. Quamquam nullus omnino sit dubitandi locus, quin Urbs Roma in quatuordecim regiones divisa fuerit; a Romanis tamen Pontificibus eam in eo, quod ad Ecclesiæ res attinet, in septem tantummodo regiones olim partitam fuisse, pervetusta monumenta tradunt. Juxta igitur septenarium hunc Ecclesiasticarum Urbis regionum, eisque præsidentium totidem Diaconorum numerum constituti sunt septem Subdiaconi eisdem Diaconis adjutores, atque subjecti. Antiquissimus Romanus Ordo, qui inter eos, qui a Mabillonio editi sunt, primum obtinet locum, initio monet, septem esse regiones Ecclesiastici Ordinis Urbis Romæ, moxque in hunc modum prosequitur: *Unaquæque Regio singulos habet Diaconos Regionarios, & unusquisque Regionis Acolythi per manum Subdiaconi regionarii Diacono regionis suæ officii causa subduntur.* Si Libro Pontificali, seu vulgato Anastasio, & priscis Romanorum Pontificum Catalogis fidem habemus, Sanctus Fabianus Papa proximus Sancti Cornelii Præcessor, *fecit septem Subdiaconos, qui septem Notariis* a S. Clemente Pontifice, quemadmodum fertur, institutis *imminerent*, ut gesta Martyrum sedulo colligerent. Illud profecto nulla controversia impetit, quod ex prædicto Subdiaconorum regionariorum septenario numero fuit tum Joannes ille Subdiaconus primæ regionis, qui e collo Beati Silverii Romani Pontificis pallium sustulisse, eumdemque veste monastica induisse perhibetur; tum Sixtus ille *Subdiaconus sextæ regionis*, qui immane hoc facinus in Jesu Christi Vicarium perpetratum Clero enunciavit. Diu perstitit horumce Clericorum cœtus, licet processu temporis aliæ Subdiaconorum classes fuerint institutæ: quod palam facit, præter alia monumenta, vetus Codex Vaticanus undecimo Ecclesiæ sæculo exaratus, ubi teste Ven. Card. Baronio (a) sic legitur: *Subdiaconi* (in Romana Ecclesia) *sunt omnes numero viginti, & unus; septem regionarii, qui Epistolas, & Lectiones cantant in stationibus; septem Palatini, qui idem munus præstant in Ecclesia Lateranensi: septem alii, qui dicuntur, schola cantorum, qui cantant tantummodo, quando summus Pontifex celebrare consuevit:* Tres igitur per id tempus in Romana Ecclesia erant ordines, sive classes, in quas Subdiaconi distinguebantur, primo illorum ordine ex septem regionariis conflato. Secus tamen se res habuit post Summorum Antistitum Avenionensem secessum, sedemque Pontificiam Urbi restitutam. In monumentis Sæculi XV. sæpissime occurrunt Subdiaconi Apostolici, quorum *dignitas non mediocris est in Romana Curia*, inquit ejusdem Sæculi Scriptor Michael Canensis in vita Pauli Secundi (b) a clar. mem. Cardinali Quirino longe accuratius evulgata, quam quæ apud Muratorium legitur tom. 3. Rerum Italicarum. Tandem vero collegium istud Subdiaconorum Apostolicorum Alexander VII. suppressit, eorumque munia in Collegium Auditorum Rotæ transtulit dato peculiari Diplomate, quod Berninus (c) recitat.

Nullum mihi satis perspicuum, ac veluti decretorium argumentum suppetit, quo Ecclesiasticæ regionis sextæ, cujus, ut nostra præfert Inscriptio, Marcellus fuit Subdiaconus, situm, ac limites designare valeam. Sextam hanc regionem in Transtyberina Urbis parte constitutam fuisse, Famianus Nardinus (d), & hunc sequutus Franciscus Blanchinus (e) conjiciunt. Aliter sentiunt Turrigius (f), ac Martinellus (g): prior enim Ecclesiam SS. Cosmæ, & Damiani in Foro Boario sitam; posterior triumphalem Arcum Septimii Severi ad radices Capitolii erectum, in eadem regione contineri autumant; hic provocat ad S. Martinæ Acta, sub quorum finem legimus (h) Sanctæ Virginis, & Martyris corpus a Presbyteris in sexta regione fuisse tumulatum, hoc ipsum autem post complura sæcula ab ejus humatione, in hypogeo perveteris templi ad prælaudatum Septimii Severi Arcum sub Capitolio ad ejusdem S. Martinæ honorem extructi, repertum est, Urbano VIII. Pontifice. Turrigius suæ assertionis testem appellat S. Gregorium Turonensem (i) verba referentem, quibus S. Gregorius Magnus Cives Romanos ad pœnitentiam est cohortatus, & ad S. Mariæ Basilicam eo ordine publicam sup-

(a) Ad ann. 1057. (b) Pag. 49. (c) In Histor. Colleg. Auditor. Rotæ. (d) Rom. Vet. lib. 2. cap. 4. (e) Prolegom. ad tom. 2. Anastas. pag. cxxxix. & seq. (f) Cr. Vat. pag. 93. (g) Rom. Sac. pag. 14. (h) Apud Bolland. die 1. Januar. (i) Histor. Francor. lib. 10. cap. 1.

supplicationem indixit, ut *Clerus egrediatur ab Ecclesia Sanctorum Martyrum Cosmæ, & Damiani cum Presbyteris regionis sextæ*: Abbates, & Monachi ab Ecclesia SS. Martyrum Gervasii, & Protasii cum Presbyteris regionis quartæ; Abbatisse, & Moniales ab Ecclesia SS. Marcellini, & Petri cum Presbyteris regionis primæ; Infantes ab Ecclesia SS. Martyrum Joannis, & Pauli cum Presbyteris regionis secundæ; Laici ab Ecclesia S. Stephani cum Presbyteris regionis septimæ; Viduæ ab Ecclesia S. Euphemiæ cum Presbyteris regionis quintæ; Mulieres conjugatæ ab Ecclesia S. Clementis cum Presbyteris regionis tertiæ. Inter variantes hujusmodi sententias illud mihi probandum videtur, sextam regionem Ecclesiasticam tractum fuisse Vaticanæ Basilicæ proximum. In hanc me opinionem inducit Liber Pontificalis, sive Anastasius, qui narrat, S. Simplicium Romanum Pontificem decrevisse, ut Presbyteri regionis sextæ, vel septimæ in S. Petri Basilica, primæ regionis Presbyteri ad S. Paulum, & Presbyteri regionis tertiæ in Sancti Laurentii Ecclesia certis nonnullis muneribus sacris persungerentur. Textus Libri Pontificalis est hujusmodi. *Constituit ad S. Petrum, & ad S. Paulum Apostolos, & ad S. Laurentium Martyrem, ut hebdomadis singulis Presbyteri manerent ibi propter Baptismum, & pœnitentiam petentes: de regione tertia ad S. Laurentium; de regione prima ad S. Paulum; de regione sexta, vel septima ad S. Petrum*. Sic habet Anastasii editio ex Vaticanis Codicibus a cl. Vignolio curata. In alia Bibliothecarii editione, quam egregius Præsul Blanchinus adornavit perinde legitur: *de regione sexta, vel septima ad S. Petrum*: particula disjunctiva *vel* pro conjunctiva *&*, quod sæpe in Libro Pontificali occurrit, fortassis usurpata. Alicubi habetur dumtaxat, *de regione septima ad Sanctum Petrum*. Sed facile admodum fuit Librario oscitanti omittere vocabulum *sexta*, quod in omnibus fere, aut saltem plerisque Codicibus reperitur. Hinc nemo prudens dubitaverit, quin Simplicius Pontifex in ea Presbyterorum distributione, cuique ipsorum classi eam assignaverit Basilicam, quæ a propria illorum regione non distaret; adeout propinquitatis singularem regionem ad singulas Basilicas Pontifex rationem habuerit: Sic primæ regionis Ecclesiasticæ Presbyteros destinavit Sancti Pauli Basilicæ Ostiensi; quam dicente Anastasio (*a*): *Eugenius Natione Romanus de regione prima Aventina*: huic regioni proximam fuisse deprehendimus; Mons quippe Aventinus *ad Ostiensem*, sive *Sancti Pauli* Urbis Portam existit, unde ad prædictam ejusdem Apostoli Ecclesiam extramuraneam progredimur. Cum itaque idem ipse Simplicius sextæ vel septimæ regionis Presbyteros sacra munera obituros Vaticano Divi Petri templo adscripserit, credere par est, utramque hanc regionem Ecclesiasticam ipsi Vaticanæ Basilicæ propinquam fuisse. Quapropter a veritate alienam existimo superius expositam Turrigii, & Martinelli Sententiam. Etenim præter argumentum ex Decreto S. Simplicii mox allatum, templum SS. Cosmæ, & Damiani, ac prælaudatus Septimii Severi Arcus ad sextam regionem Urbis Ecclesiasticam spectare nequeunt; quum hic Mamertinæ adjaceat custodiæ, viamque Mamertinam, Bibliothecario teste (*b*), regio secunda complectatur: Ecclesia autem SS. Cosmæ, & Damiani haud procul distet a Sancti Georgii templo ad Velum Aureum, seu Velabrum; quod idem Anastasius (*c*) in secunda item regione collocat. Neque ex eo quod Clerus Romanus juxta S. Gregorii monitum, prout Turonensis refert ex SS. Cosmæ, & Damiani Ecclesia ad Sanctæ Dei Genitricis Basilicam, puto, Liberianam, debuerit cum Presbyteris sextæ regionis procedere, licet regionem hanc Ecclesiasticam in Foro Boario constituere, ubi eadem Sanctorum Cosmæ, & Damiani extat Ecclesia. Sacram hanc Ædem Gregorius selegit, ac designavit tanquam locum, ubi Clerus Urbis, & Presbyteri sextæ regionis colligerentur, ut inde ad Beatissimæ Virginis Basilicam precibus Divinam Misericordiam implorantes pergerent. Generalis hujusmodi supplicatio, quam luis inguinariæ occasione indixit, nec quotidiana fuit, nec frequens habita, sed extraordinaria; ideoque incongruum non erat dissitarum regionum Presbyteros accersiri. At demandatum Presbyteris a Simplicio munus erga Baptismum, & pœnitentiam petentes, singulis erat hebdomadis exercendum; ac proinde isti haud facile suam valuis-

(*a*) In Eugenio I. (*b*) In Anastasio I. (*c*) In Zaccharia.

luissent provinciam administrare, si propria quibusque ipsorum Ecclesiastica Urbis regio longe dissita fuisset a Basilica eisdem assignata. Nil moror S. Martinæ Acta, cujuscumque tandem sint auctoritatis; mendose enim in eis descriptum fuisse numerum ab Amanuensi, qui loco unitatis I. substituit quinarium; recte censet Blanchinus supra laudatus, & ex prolatis rationibus comprobatur.

Hæc de sexta Urbis regione Ecclesiastica, cujus Marcellus fuit Subdiaconus. Quoad ejus ætatem, ac tempus depositionis sive humationis attinet, ille ut in epigraphe adnotatur, vixit annos plus minus LXVIII. & depositus est post consulatum Basilii viri clarissimi anno XXII. Indictione XI., undecimo Kal. Januarii, hoc est die 22. Decembris anno æræ Christianæ DLXII., aut DLXIII. Quamvis enim constet, Basilium Juniorem anno Domini DXLI. consulatum gessisse, eumque ultimum fuisse privatorum, qui hac dignitate in Oriente potiti sunt, ac posteriores annos esse postconsulatu ejusdem notatos; non eadem tamen apud omnes fuit annorum post Basilii consulatum numerandorum ratio. Continuator Marcellini annum æræ vulgaris DXLII. ita designat: *Post Consulatum Basilii*: ann. Christi DLIII. hac formula notat: *Post Consulatum Basilii anno II.* Et sic de cæteris annis ad quingentesimum sexagesimum sextum, qui juxta hanc methodum notatur; *Post Consulatum Basilii XXV.* nimirum anno vigesimo quinto. Sed apud Victorem Tununensem annus Domini DXLII. signatur; *Post Consulatum Basilii anno II.* annus DXLIII; *Post Consulatum Basilii anno III.* & sic de reliquis. Posterior hæc ratio designandi annos per postconsulatum Basilii uno anno differt ab alia superiori, ipsamque præcedit: incipit enim annos post consulatus Basilii enumerare ab ipsius Basilii consulatu, qui anno Domini DXLI. contigit; quum alia ratio eosdem postconsulatus annos auspicetur ab anno, qui consulatum Basilii proxime sequitur, nempe ab anno DXLII. Prior modus enumerandi annos postconsulatus Basilii longe usitatior est, quam secundus, illumque Romani Antistites in suis Epistolis, & Justinianus in suis Novellis usurparunt. Quare si priorem supputandi rationem cum Marcellini continuatore secteris, annus XXII. postconsulatus Basilii conjungi debet cum anno æræ vulgaris DLXIII. Si autem a Victore Tununensi usurpatum numerandi modum sequaris, postconsulatus annus XXII. est cum anno Christi DLXII. copulandus. Sane hoc reparatæ salutis anno ad exitum inclinante, ac proinde die 22. Decembris, qua Marcellus depositus est Indictio XI. marmori inscripta currebat, dummodo hæc a mense Septembris, ut mos plerumque fuit, inchoetur.

Cæterum silentio prætereundum non est, ex hac nostra Inscriptione Harduinum refelli, qui inter alias singulares opiniones illud etiam obtrudit (*a*) tantummodo Mauritio Augusto imperante sub finem sexti Sæculi nomen, & usum Indictionum in acta publica fuisse deductum, confictasque esse omnes illas, quæ in Codicis Theodosiani legibus occurrunt. Muratorius in sua Inscriptionum collectione ad explodendum prædictum Harduini errorem plura exhibet ac indigitat (*b*) marmora longe ante Mauritii Imperium exarata, & Indictiones præferentia.

Tandem in hac epigraphe legitur *Vndecimv* pro *Vndecimo*. Norunt enim Humanarum Literarum cultores, *O*, *V*. promiscue a Veteribus fuisse usurpatas: quod Quintilianus (*c*) & post ipsum Priscianus a Notariis factum, memoriæ prodiderunt. Hactenus de literato marmore e ruinis antiquæ Basilicæ servato, quod anno Dom. 1617. parieti Cappellæ *S. Mariæ Pregnantium*, ubi etiam nunc extat, affixum fuit.

Jam vero ad alium veniamus inscriptum lapidem, cujus exemplum est inferior pars ejusdem Tabulæ XXIV. Ex ea antiqui Templi Vaticani demolitione, quæ Pontifice Paulo V. contigit, vetus hoc marmor a Turrigio (*d*) & Grimaldo (*e*) relatum, longum palm. 11. semis, altum 1. in Sacello pluries laudato *S. Mariæ Pregnantium*, vel *Angelorum* positum fuit, ubi hodieque visitur, ac siglis explicatis ita profecto habet:

☩ Lo-

(*a*) Oper. Varior. pag. 508. edit. Amstelod. anno 1733. (*b*) Tom. 4. Inscr. pag. 1819.
(*c*) Instit. lib. 1. cap. 4. (*d*) Cr. Vat. pag. 97. (*e*) Instrument. pag. 172.

✠ *Locus Johannis Alicensis*
Se vivo comparavit
Post Consulatum Viatoris.

Nihil sane ambigendum, quin vocabulum *Alicensis* Patriam Joannis indigitet; celebre nimirum, ac pervetus, ut ex Diodoro, & Stephano Bysantio, Cluverius (*a*) tradit, Siciliæ oppidum *Halyciæ* dictum, situmque inter Entellæ ruinas, & Lilybeum, quo tractu etiam nunc oppidum extat *Salemi* nuncupatum, græco vocabulo Ἁλικύαι, ut videtur, in vulgarem linguam translato. Nam Ἁλυκός redditur latine *Salsum* cum derivet ab Ἅλς idest Mare, quod & Latinis eadem ratione *Salum* appellatur. De loco autem, quem idem Joannes *se vibo* nempe (litera B pro V. juxta veterem morem usurpata) vivens sibi comparavit; memoriam subeunt marmoreæ Inscriptiones nonnullæ, quæ locum ad sepulturam pecunia emptum explicate commemorant: Occurrit etiam Januarius Episcopus Calaritanus, quem a Nereida clarissima femina centum solidos pro filiæ sepultura in Ecclesia exigere, & sic gravem dispendii molestiam dolenti matri afferre non puduit. Id ubi S. Gregorius Magnus rescivit, literas (*b*) ad eum præsulem scripsit, in quibus asserit, grave nimis esse, & a Sacerdotis officio alienum, de terra concessa putredini pretium quærere, & de alieno luctu velle compendium facere. *Hoc autem vitium*, pergit Sanctus Pontifex, *& nos postquam ad Episcopatus honorem accessimus, de Ecclesia nostra omnino vetuimus, & pravam denuò consuetudinem nequaquam usurpari permisimus.* Tum proposito Ephronis exemplo, qui oblatam sibi pecuniam pro spelunca duplici ad sepeliendum Saræ corpus recusavit (*c*); vetat summus Antistes, ne Januarius pro sepulturæ loco quidpiam petat, aut exigat, tametsi eidem permittit illud accipere, quod pro luminaribus sponte fuerit oblatum. In eo tamen, quem hic damus, uti etiam in iis, quos proxime (*d*) exhibemus, sepulcralibus titulis Vaticanis, nihil profecto est, unde possit certo colligi ob locum in Sancti Petri Basilica ad sepulturam concessum, veteri illa ætate pretium fuisse solutum; quod procul dubio in aliquot id genus lapideis, pariterque vetustis Inscriptionibus alibi repertis disertissime legitur. At in præsenti epigrammate comparati sepulcralis loci tempus, vel emortualis annus Joannis, ut Grimaldo placet, vel utrumque simul designatur ea formula: *Post Consulatum Viatoris*: quæ quidem ut palam indicat æræ Christianæ annum CCCCXCVI. (Flavius enim Viator anno Domini CCCCXCV. consul processit sine collega) ita valde notatu digna est, utpote peculiaris: Christi namque annum CCCCXCVI. Fasti consulares, & Chronologi signant Consulatu Pauli, qui hoc anno eam dignitatem sine collega in Oriente obtinebat.



H TA-

(*a*) Sicil. Antiq. lib. 2. cap. 13. pag. 379., & seq. (*b*) Epist. 3. lib. 9. edit. PP. Maurin.
(*c*) Genes. cap. 23. (*d*) Tab. XXV.

TABULA XXV.

Loci ad sepulturam concessi exemplum alterum suppeditat inscriptus hic lapis, altus palmos III. semis, latus fere IV. in prælaudato *S. Mariæ Prægnantium* Sacello asservatus: A Grimaldo, Turrigio (*a*) Donin (*b*) & Muratorio (*c*) refertur; sic autem habet siglis explicatis.

✠ *Fl. Maximo Viro Clarissimo Con*sule
Concessum locum Petro
*Romæ Ex Tribuno Vol*uptatum
Et conjugi ejus Johannæ
*Papa Hormisda, & Tr*ansinundo
Præposito Basilicæ Beati Petri.

Flavius Maximus Consul in epigraphe commemoratus, idem ipse videtur esse ac Flavius Anicius Maximus, qui absque collega consulatum gessit anno æræ Christianæ 523. Ad hunc Theodoricus Italiæ Rex literas (*d*) dedit, in quibus magnopere improbat spectaculorum immanitatem. Petrus, qui, uti etiam conjux ejus Joanna, loco ad sepulturam donatus est, munere Tribuni Voluptatum perfunctus fuerat. Hic autem Magistratus voluptati Urbicæ, ludis nimirum, ac proinde Scenicis gregibus veluti tutor, moderator, Judex, ac Districtor præerat. Rem satis prodit hujus officii conferendi formula a Cassiodoro (*e*) prolata, in qua Princeps ita exorditur: *Quamvis artes ludicræ honestis moribus sint remotæ, & Histrionum vita vaga videatur efferri posse licentia, tamen moderatrix providit antiquitas, ut in totum non effluerent, cum & ipsæ Judicem sustinerent .... Temperentur & hæc legum qualitate negotia, quasi honestas imperet inhonestis, & quibusdam regulis vivant, qui viam rectæ conversationis ignorant*. Et post pauca sic eum alloquitur, quem voluptatum Tribunum designat. *Locus tuus his gregibus hominum veluti quidam tutor est positus. Nam sicut illi ætates teneras adhibita cautela custodiunt, sic a te voluptates fervidæ impensa maturitate frænandæ sunt. Age bonis institutis quod nimia prudentia constat invenisse Majores. Leve desiderium, etsi verecundia non cohibet, districtio pronuntiata modificet .... Cum fama diminutis salva tua opinione versare. Castitatem dilige, cui subjacent prostitutæ, ut magna laude dicatur: Virtutibus studuit, qui voluptatibus miscebatur*. Muneris hujusce dignitas, & antiquitas ex recitatæ formulæ verbis facile deprehenduntur; præterquamquod in Codice Theodosiano tit. de scenicis lex ultima, quæ est Imperatorum Honorii, & Theodosii, inscribitur Diogeniano Viro Clarissimo *Tribuno Voluptatum*, editaque fuit anno Christianæ Reipublicæ CCCCXIII. ut scite Jacobus Gothofredus animadvertit. Bene autem sperare licet, Petrum in hoc titulo commemoratum virtutibus claruisse, cui S. Hormisdas Romanus Pontifex, & Transmundus Vaticanæ S. Petri Basilicæ Præpositus locus ad sepulturam concesserunt. Compendiariam notam illam *Præpst* recte mihi videtur Turrigius, *Præposito* explicasse. Tubus plumbeus in reficiendis ædibus Monasterii, quod Basilicæ S. Laurentii extra Muros adhæret, repertus, hanc præfert Inscriptionem: *Salvo Papa Joanne Stefanus pp reparavit*: quam Franciscus Blanchinus præsul clariss. suis ad Anastasium in Joanne III notis Historicis assuit; siglamque pp *Præpositus*, legit. At prælaudato Turrigio affirmanti, Præpositum illum Transmundum fuisse Vaticanæ Basilicæ Archipresbyterum, non facile assentiar. S. Gregorius Magnus in literis ad Felicem Subdiaconum, & Rectorem patrimonii Appiæ datis (*f*) meminit Præpositos Basilicæ S. Pauli Ostiensi *servientes*, quam amplis donat redditibus, ut Præpositi illi sollicite curarent in Sanctuario ipso lumina foveri. Dum vero concessionem a Summo Pontifice Hormisda, & a Vaticanæ Basilicæ Præposito factam, lapis noster indicat, menti occurrit data alibi (g) Arechis II. Bene-

(*a*) Cr. Vat. pag. 94. (*b*) Inscription. pag. 537. (*c*) Inscription. tom. 4. pag. 1874.
(*d*) Apud Cassiodor. lib. 5. epist. 42. (*e*) Lib. 7. Form. 10. (*f*) Lib. 14. epist. 14. nov. edit.
(*g*) Tab. XXIV.

neventani Principis constitutio, qua cavetur, ne *absque permissu Pontificis, vel Custodum Ecclesiasticorum* Defuncti in Basilica sepeliantur; ac statuitur, ut legis violator *componat solidos* XL. *ejusdem Venerabilis loci rectoribus*. Hæc de præsenti marmorea Inscriptione anno MDCVI. reperta, Grimaldo teste (*a*), pone Sacellum Sanctorum Andreæ, & Gregorii Papæ in veteri Vaticana Basilica, de quo Sacello alibi diximus.

In Cappella pluries laudata *S. Mariæ Prægnantium* extat aliud marmor, quod in hac ipsa ænea Tabula XXV. exhibemus, latum palmos fere IV., repertumque fuit in veteri Basilica Vaticana anno MDCVIII., Grimaldo teste (*b*). Rectè autem hic itemque Turrigius (*c*) Inscriptionem, siglis ejus explicatis, ita legunt:

Locvs Dvlciti, & Evtichitis Notariorvm Ecclesiæ Romanæ, qvem comparaberunt.

⚹ Locvs Petri Svbdiaconi Sanctæ Ecclesiæ Romanæ Regionis Primæ, qvem comparavit se bivvm.

Fabrettus, qui in sua Inscriptionum collectione cap. 3. num. 313. unum Dulcitii, & Eutichitis epigramma recitat, ea sigla Q. C. P. R. B. R., *quem comparaberunt* explicanda esse post laudatum Grimaldum ac Turrigium affirmat: additque Phocam inter Græcos idem compendium imitatum fuisse in nummo relato per D. Du-Cange in Histor. Bizantina pag. 110. in quo literæ Φ K syllabas sui nominis initiales notat. Sed & apud Latinos, cum in scriptura notis compendiariis uti vellent, primas syllabarum literas signare consueverunt; quod non modo lapis iste, verum etiam aliæ Inscriptiones ostendunt. Sic apud laudatum Fabrettum BNF. est *Beneficiarius*, BNV. *Benevolo*, DM. *Dormit.*, DMN. *Domini*, DP., & DPS. *Depositus*, MN. *Minus*, MERTB. *Merentibus*, & BMT. Benemerenti, SD. *sedit*, SQ. *sequitur*. Alia id genus exempla possunt facile produci: at satis ad rem quæ mox allata sunt, & indicata a V. Cl. Alexio Symmacho Mazochio in epistola anno MDCCXLV. Romæ edita, qua veterem Inscriptionem Christianam in Prætextati Cœmeterio detectam interpretatur, & illustrat.

Solæcum, nempe *se vivum* pro *se vivo*, ne mireris Lector, quem scilicet haud latet, grammaticalia id genus vitia in vetustis, & chartis, & inscriptis lapidibus sæpe sæpius occurrere. Priscæ etiam ætatis, ut alibi adnotavimus, mos est, *B* loco *V* usurpare: idcirco in hoc Titulo habes *comparaberunt*, pro *comparaverunt*. De loco ad sepulturam comparato nonnihil diximus ad proximæ Tabulæ XXIV. inferiorem partem, quæ Joannis Alicensis epitaphium præfert. Illud interim notandum, forsitan haud temere coniici posse, Dulcitium, de quo Inscriptio loquitur, illum ipsum esse, cui S. Augustinus, ab eo de octo articulis interrogatus respondit, Librumque inscripsit. *De Octo Dulcitii Quæstionibus*. Dulcitius enim *Tribunus, & Notarius*, Sancto Doctori notus, licet in Africam missus fuerit, & ibi aliquando sit commoratus, Imperatoris Honorii leges adversus Donatistas exequuturus (*d*); ad Urbem tamen, Ecclesiamque Romanam pertinuisse videtur: quia Divus Augustinus Laurentium, cui Librum de fide, spe, & charitate nuncupavit, Dulcitii fratrem appellat (*e*) propinquitate, & cognatione naturali, non Christiana tantum, ut Viri Docti arbitrantur (*f*). At eumdem Laurentium Romanæ Urbis officialibus adnumerant codices non pauci, ævo licet posteriori exarati, in quibus prælaudato Augustini Libro de Fide, Spe, & Charitate hic titulus præfigitur: *Enchiridion ad Laurentium Primicerium Notariorum Urbis Romæ*, vel, *ad Laurentium Primicerium Romanæ Ecclesiæ*, vel, *ad Laurentium Primicerium Ecclesiæ Urbis Romanæ*, vel, *ad Laurentium Notarium Urbis Romæ* (*g*). Verumtamen hæc a me dicta sint nihil certi affirmando, sed conjectando dumtaxat, & ea solummodo causa, quod Turrigius cum de hoc epigrammate loquitur, ita animadvertit: *Detto Pietro* (Dulcitio Petrum suppósuit Turrigius memoria lapsus, nisi mavis errorem istum amanuensi, vel typo-

 grapho

(*a*) Lib. Instrument. ms. Biblioth. Corsin. pag. 215. (*b*) Lib. Instrument. pag. 108. ex ms. Bibliothec. Corsinianæ. (*c*) Cr. Vat. pag. 95. (*d*) August. lib. 2. Retract. cap. 59. (*e*) De Octo Dulcit. Quæstion. ad quæst. 1. num. 10. (*f*) Patres Congreg. S. Mauri in Admonit. ad S. August. lib. de Fide, Spe, & Charit. (*g*) Iidem Patres loco cit.

grapho adscribere) *fu nel* 414., *a cui Santo Agostino per essere dottissimo*, *intitolò il Libro delle Otto Questioni*. Jam vero quoad munus Notarii S. R. E., quo perfuncti sunt Dulcitius, & Eutichis, Eruditorum nullus ignorat, hujus officii antiquitatem, atque præstantiam in Libro Pontificali, seu vulgato Anastasio non semel commendari. Is enim refert, a Sancto Clemente I. septem Notarios colligendis Martyrum actis fuisse præfectos, quos etiam in Fabiani, & Antheri gestis meminit. Reddita post persecutiones Reipublicæ Christianæ pace, Notarios eam potissimum curasse Ecclesiasticarum rerum notitiam, quæ ad fidem faciendam, adhibitis testibus, scripto mandatur, prælaudatus liber innuit in Julio I. de quo ita habet: *Constitutum fecit . . . . ut notitia, quæ omnibus pro fide Ecclesiæ est, per Notarios colligeretur ; & ut omnium Monumentorum in Ecclesia per Primicerium Notariorum confectio celebraretur, sive cautiones, vel Instrumenta, aut Donationes, vel commutationes, vel traditiones, aut Testamenta, vel allegationes, aut manumissiones Clerici in Ecclesia per Scrinium Sanctum celebrarent*. Eorumdem Notariorum in vetustis Monumentis frequenter mentio occurrit. Præ cæteris memoriam subit epistola S. Bonifacii Primi v. Idus Martias Honorio XIII. & Theodosio X. Augustis Consulibus, anno scilicet æræ vulgaris 422. ad Rufum data, quam Summus Pontifex, cum vindicaret Romanæ Sedis jura in Illyrici Ecclesias ex ejusdem Theodosii Rescripto in favorem Sedis Constantinopolitanæ sauciata, sic absolvit: *Tua Charitatis est Severum Apostolicæ Sedis Notarium, animis acceptissimum nostris, de nostro proprio latere destinatum, peractis omnibus tota celeritate dimittere, ut gestarum ordinem rerum eodem festinius revertente noscamus*.

De munere autem Subdiaconi Regionarii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quo Petrus in hac Inscriptione commemoratus fungebatur, non est cur hoc in loco loquamur. De his enim Subdiaconis paulo ante (*a*) nonnihil disseruimus, uti etiam de regione Prima Ecclesiastica, quam in Monte Aventino, & circa ipsum statui debere, nos edocet Liber Pontificalis, sive Anastasius Bibliothecarius, enarrans, summum Antistitem Eugenium I. fuisse Natione Romanum de *Regione Prima Aventina*.

TABULA XXVI.

Situm in lapideo, eoque venusto loculamento simulacrum marmoreum affabre elaboratum, altitudine palm. III. semis, latitudine palm. I. & amplius extensum sub num. I. hujus tab. inspicitur. Ornatui quondam erat Calixti III. Pont. Max. sepulcro, at hodie sub pavimento Basilicæ in Sacello *S. Mariæ Prægnantium*, sive *Angelorum* nuncupato extat. Refert autem Episcopum tiara ornatum, baculum, seu pastoralem virgam læva tenentem, ac perampla veteri Planeta amictum; Divum scilicet Augustinum Ecclesiæ Doctorem, si Turrigius (*b*) & Gizius (*c*) recte judicant. Cur vero imago templum dextera sustineat, certo definire non ausim. Hoc sane gestu, eos qui sacras Ædes extrui, sive instaurari curabant, antiquitus effigiari consueverunt, ut alibi (*d*) vidimus. Sed picturæ genius hujusmodi jam exoleverat Sæculo XV. quo marmor istud cælatum fuit. Sculptor fortassis sibi Augustinum proposuit de Catholica Ecclesia optime meritum, quam Sanctus Doctor divino munitus præsidio, plurimis virtutum exemplis non solum illustravit, verum etiam ab impiis Manichæorum, Donatistarum, Pelagianorum, aliorumque hæreticorum conatibus defendit, & sartam, tectamque servavit.

In prælaudato Sacello *S. Mariæ Prægnantium* visitur & musivum circularis formæ palm. III. altum, quod alatum Angelum repræsentat. De loco ubi hic lapis in veteri S. Pe-

(*a*) Tab. XXIV. (*b*) Cr. Vat. pag. 94. (*c*) Descr. Basil. Vat. pag. 69. (*d*) Tab. XVIII.

S. Petri Basilica situs fuerat, Turrigius (a) sic habet: *Vedesi poi la faccia di un Angelo di Mosaico, grande già sette braccia, che stava alla Navicella di Mosaico* (*) *posta già al portico della guardia de Svizzeri nel* 1617., *e la fece fare il Cardinal Giacomo Stefaneschi*. At si bene video, circa locum Turrigius fallitur. Angelus enim, musivo expressus, neque ad prædictam naviculam spectabat, neque ad eam in atrio existebat, sed intra sacram ædem erat in majoris alæ pariete: nam Epiphanius Gizius (b) musivum ipsum supra organum, & Ciampinus (c) in ejusdem veteris Basilicæ muro laterali ad Boream vergente (d) olim extitisse produnt; hique concinunt Pompejo Hugonio, qui in Sacrarum Stationum Historia Stat. XI. (e) sic habet: *Jotto Pittore ..... per quanto si dice, fece quell'Angelo grande, che è sopra l'organo*. Hinc etiam patet vetus traditio, qua creditur, opus concinnatum fuisse Auctore Joto; qui Vespiniani agri Florentini pago natus, cadente Sæculo XIII., & adolescente XIV., pingendi arte adeo claruit, ut sui temporis Pictorum omnium facile Princeps habeatur. Ejus Epitaphium ab Angelo Politiano elucubratum est hujusmodi (f).

Ille ego sum, per quem pictura extincta revixit,
Cui quam recta manus tam fuit & facilis.
Naturæ deerat nostræ quod defuit arti:
Plus nulli licuit pingere, nec melius.
Miraris turrem egregiam (**) *sacro ære sonantem*
Hæc quoque de modulo crevit ad astra meo.
Denique sum Jottus; quid opus fuit illa referre?
Hoc nomen longi Carminis instar erit (***).

De eo redibit sermo infra Tabula XLI. Cæterum hæc Angeli musiva imago ob vetustatem, & incuriam plurimum labefactata, Benedicto XIII. Pont. Max. instaurata ex integro est, quemadmodum Inscriptio in præsentem tabulam relata palam indicat.

TABULA XXVII.

Marmorea hæc Inscriptio lateri antiquæ Vaticanæ Basilicæ adfixa erat Maphæi Vegii ætate, ut ipse tradit lib. IV. num. 117. Rerum vetustarum, ac memorabilium ejusdem Basilicæ (g). Sacræ antiquitatis monumentum altitudine palmos 3. cum dimidio alterius, latitudine vero palmos 12. & semis protensum, ne intercideret, Paulus V. in ambitu Confessionis B. Petri collocari jussit, quemadmodum docet lemma tabulæ ipsi marmoreæ suppositum, his plane verbis.

Paulus

(a) Lib. cit. pag. 93. (b) Loc. cit. (c) De sacr. Ædific. cap. 4. sect. 15. num. 20. pag. 104. (d) Alphar. Tab. Ichnogr. num. 42. (e) Pag. 96. (f) Inter Politiani Opera edit. Basileæ an. 1553. pag. 621. (g) Apud Bollandianos tom. 6. Junii part. 2.

(*) Hic Turrigius loquitur de musiva tabula a Jotto elaborata, quæ in Vaticani Templi porticu hodie extat; hæc navim exhibet, unde S. Petrus exiliens, ut Christo Domino super undas occurreret, aquis jamjam immergendus a discrimine divinitus eripitur. Eam fieri curavit Jacobus Gajetani de Stephanascis, S. Georgii Diaconus Cardinalis, de quo in veteri Codice Capitularis Archivii Vaticani sic legitur apud eumdem Turrigium Cr. Vat. pag. 163. *In Paradiso* (idest atrio) *ejusdem Basilicæ de opere musaico historiam, qua Christus B. Petrum Apostolum in fluctibus ambulantem dextera ne mergeretur, erexit. per manus ejusdem singularissimi pictoris* (Joti) *fieri fecit: pro quo opere duo millia, & ducentos Florenos persolvit.* (**) *Al. egregio.* (***) *Al. erat.*

Paulus V. Pont. Max.

Carmina a S. Damaso PP. I. ante ann. MCCL. *ob exsiccatam a se humiditatem in vetere hujus Basilicæ pavimento, multorum in Christo quiescentium memorias labefactantem edita, suoque jussu hoc marmore incisa, ad venerandæ antiquitatis monumentum pie servandum ex Templi ejusdem ruinis hic reponi mandavit ann.* MDCVII.

Carmina ipsa prælaudato opusculo suo inseruit Vegius; ac multi, Baronius scilicet, Severanus, Paulus de Angelis, Sarazanius, aliique typis ediderunt. Sed apud Vener. Annalium parentem (*a*) qui ex codice memoratæ Basilicæ illa descripsit, aut exscribenda curavit, male legitur in primo versu *lacus* pro *latices*: quem errorem deinde secuti sunt Paulus de Angelis (*b*) & Severanus (*c*), hic enim habet, *latus*; ille, *la us*; ac uterque in septimo versu, *sollicitæ* pro *sollicite*, & Sarazanus quidem in editione operum S. Damasi (*d*) castigavit, sed curatores novissimæ editionis Annalium Baronii, quæ Lucæ excusa est, licet alioquin solertissimi, neutiquam observarunt. Sanctissimo Romanæ Ecclesiæ Pontifici Damaso epigramma, de quo agimus, adjudicant cum recentioribus etiam veteres, quos inter Vegius (*e*) ita inquit: *Ejus aquæductus gratia Damasus etiam ipse elegantissimos edidit lapide marmoreo sculptos versiculos, qui adhuc lateri Basilicæ affixus est*: moxque ipsum epigramma subiicit.

Jam vero quid Inscriptio eadem indicet, paucis explicandum. En ejus argumentum. Cum humor in monte Basilicæ proximo scatens, corpora quiescentium in Vaticano Cæmeterio labefactaret, remedium huic malo afferre Damasus statuit. Plurimo scilicet labore inquiri studet unde ille humor dimanet; Montem effodit, ac Fontem invenit; ad quem referre licet Cencii Camerarii locum (*f*) ex Censuum libro, ubi meminit *Cæmeterium Fontis S. Petri*, ac denominanonis rationem subiicit, *quia ibi erat Fons Baptismatis*, ubi Divus Petrus baptizasse traditur. Damasus igitur, Fonte reperto, hinc aquas e Cæmeterio deflexas ad Templum corrivat; ubi extructo ipsarum receptaculo, usui forent in administrando Baptismatis Sacramento. Quapropter vetustus Auctor Petrus Mallius in opusculo de antiqua S. Petri Basilica (*g*) commemorans *Ecclesiam* sive Oratorium *S. Joannes ad Fontes*, quod in ejusdem Basilicæ transversa navi ad aquilonarem partem situm erat, ibi sunt, inquit, *Fontes, quos fieri fecit Beatus Damasus Papa, sicut in scriptis invenimus*: Superius citato Vegio teste num. 116., suo extabant ævo *subterranei ipsi meatus, quibus per multa miliaria aqua ducebatur, magna arte, atque impensa fabricati*. Pertinent ad hujusmodi Fontes, ut nuperus, isque accuratus opusculorum, & gestorum S. Damasi collector Antonius Maria Merenda (*h*) censet, alia duo epigrammata; quorum alterum ex vetusto Inscriptionum codice olim apud Bibliothecam Palatinam, nunc in Vaticana Bibliotheca, a Grutero (*i*) & Baronio (*k*) typis evulgatum, sic habet:

AD FONTES.

Non hæc humanis opibus, non arte (*l*) *magistra:*
Sed præstante Petro, cui tradita janua Cœli est,
Antistes Christi composuit Damasus.
Una Petri Sedes, unum, verumque lavacrum,
Vincula nunc tenent (*m*) *Achathius votum solvit.*

A baptisterii Fonte distingui oportere baptisterium ipsum, quod proprie ædes, sive ædificium est, ubi fons ille statuitur, mox laudatus Merenda animadvertit: hinc opinatur, duplex esse Damasi Carmen de Fontibus Vaticanis; aliud integro baptisterio ipsi,

(*a*) Ad ann. 384. (*b*) In notis ad Romanum pag. 126. (*c*) De VII. Urbis Eccles. pag. 75.
(*d*) Carmine 39. (*e*) Ubi supra. (*f*) Apud Severan. de VII. Eccles. pag. 23. (*g*) Num. 114. apud Bollandianos ubi supra. (*h*) Pag. 242. seqq. (*i*) Inscript. antiq. ad finem. (*k*) Ad ann. 384. num. 24. (*l*) Primus hic Versus est Virgilii Æneid. lib. 12. vers. 427. (*m*) Sic emendavit Baronius: in Palatino enim Codice male legitur, *teneat*.

ipsi, curante Mercurio Diacono; aliud vero eidem aquarum receptaculo Achathii opera inscriptum. Alterum epigramma, quod Sarazanius ex Vaticana Basilica habuit, est hujusmodi:

Qui peccatorum sordes abolere priorum,
Terrenisque optas maculis absolvere vitam,
Huc ades ad Christi Fontem, sacrumque liquorem;
Corpus ubi, ac mentes pariter, sensusque lavantur,
Æternumque datur casto baptismate munus.
Hanc autem Fidei sedem construxit ab imo
Militiæ clarus titulis, Aulæque fidelis
Romanæque Urbis Præfectus Longinianus (*a*).

Huc etiam spectat alius titulus, qui a Josepho Maria Suaresio apud Portam Portuensem exscriptus, & a Muratorio (*b*) relatus, sic habet:

Hic est Longinianus, qui Fontes Baptismatis construxit
Sancti Papæ Damasi versibus nobilitatos.

Præsentio quidem, nec tacitus dissimulo, quam hic licet obiicere difficultatem. Si Vaticanum Baptisterium Damasus construxit, ut ex iis, quæ superius dicta sunt, colligi videtur; cur in duobus postremo relatis titulis Longiniano idem opus inscribitur? Cur non potius duo secernuntur baptisteria diversis in locis excitata, alterum quidem a Longiniano, alterum verò a Damaso Pontifice? Huic difficultati occurrere arduum non est. Potuit enim Damasus, primus Auctor Operis, aquas collegisse, & in Fontem derivasse: ac ipsum deinde opus ære proprio vel in ampliorem redegisse formam, vel elegantiori structura ornasse Flavius Macrobius Longinianus; qui, ut Contelorius scribit (*c*) ac Muratorius quoque observat (*d*) anno Christi 394. Urbanam gerebat Præfecturam, decennio scilicet a morte Damasi elapso. Sane ad conciliandas prolatas Inscriptiones hanc iniit viam etiam commemoratus Merenda.

Baronii, aliorumque opinio est, Prudentium in libro Περὶ στεφάνων, nempe *de Coronis*, hymno XII. quo de SS. Apostolis Petro, & Paulo, & de Vaticana agitur Basilica, ad baptisterium huc usque descriptum alludere his versibus:

Dextra Petrum regio tectis tenet aureis receptum
Canens oliva, & murmurans fluento.
Namque supercilio saxi liquor ortus excitavit
Fontem (*e*) *perennem Chrismatis feracem.*
Nunc preciosa ruit per marmora, lubricatque clivum
Donec virenti fluctuet colymbo.
Interior tumuli pars est, ubi lapsibus sonoris
Stagnum nivali volvitur profundo.
Omnicolor vitreas pictura superne tingit undas;
Musci relucent, & virescit aurum.
Cyaneusque latex umbram trahit imminentis ostri,
Credas moveri fluctibus lacunar.
Pastor oves alit ipse illic gelidi rigore Fontis
Videt sitire quas fluenta Christi.

Non

(*a*) Longimanus legitur in Vaticano ms. (*b*) Thesaur. Inscription. tom. 4. pag. 1904.
(*c*) In lib. de Præfecto Urbis. (*d*) Loco mox cit. (*e*) Alias *frondem*.

Non miror equidem, Prudentii mentem in recitatis Carminibus Stephanum Chamillardum haud prorsus fuisse adsequutum: non enim hic veteris Christiani poetæ interpres, atque adnotator omnigena rerum nostratum scientia pollebat. Is igitur etsi Carmina ipsa sic expliect, ut videatur ne suspicari quidem, de sacro baptisterio Vaticano Prudentium loqui; veriorem tamen existimo Baronii interpretationem. Hanc, ni fallor, jure nemo reiiciet, si cum Sancti Damasi Inscriptione, quæ hic aerea tabula expresa est, conferat adductum Prudentii locum; hujusque Auctoris duos præsertim postremos versus diligenter expendat: iis quippe ad sacrum Baptisma videtur Prudentius alludere, eadem ferme usus phrasi, seu allegoria, qua S. Zeno (*a*) illo Sacramento mox initiandos invitat: *Eja*, inquiens, *fratres, quos BEATÆ SITIS exoptatus ardor incendit, quos nectarei FLUENTI dulce murmur invitat, lacteum genitalis Fontis ad laticem convolate incunctanter, ac fortiter bibite*. Itaque sicut nullatenus dubito, quin S. Paulinus Nolanus (*b*) *Cantharum ministra manibus, & oribus nostris fluenta ructantem* describens, ad Fontem respexerit in atrio veteris Basilicæ Vaticanæ existentem, ubi Fideles corporis sordes abluere, seque purificare solebant ex more etiam Judæorum, antequam Ecclesiam ingrederentur; ita verosimilius censeo, Prudentium in prolatis Carminibus de sacro Vaticano baptisterio verba facere.

Istud autem num intus, an extra ipsam Basilicam situm fuerit, veluti de re prorsus indubia decernere non ausim. Arbitror tamen, ipsum a sacri Templi mole sejunctum fuisse: In hanc opinionem me imprimis movet Pontificalis libri locus (*c*) ubi inter alia, quæ S. Leo III. in Vaticanam Divi Petri Basilicam munificentissimus præstit, hæc recensentur: *Pontifex divinitus inspiratus, Baptisterium ubi supra*, nempe in memorata Basilica, *conspiciens, quia jam præ nimia vetustate ruinæ proximum inerat, & quia angustior locus populi existebat, qui ad Baptismum veniebat; idem Præsul a fundamentis ipsum Baptisterium in rotundum ampla largitate construens, in meliorem erexit statum; atque sacrum Fontem in medio largiori spatio fundavit, & in circuitu columnis porphyreticis decoravit: & in medio Fontis columnam posuit, & super columnam Agnum, ex argento purissimo, fundentem aquam; qui pens. libr.* XVIII. *& uncias* X. *Nec non & Altare Majus sub absida construxit; cujus faciem, atque Confessionem, seu rugas ad decorem ipsius sacri Altaris investivit ex argento mundissimo pens. simul. libr.* 48. *Verum etiam & vestem de stauraci super illud posuit, atque regularem ibi superinvestitum ex argento purissimo fecit. Et super ipsum regularem posuit arcum, & gammadias ex argento, qui pens. simul. libr.* 80. *Nec non & imagines tres ubi supra posuit, pens. inibi libr.* 37. *& uncias* X. *Ipsum verò Baptisterium diversis in circuitu decoravit picturis*. Plura quidem ex recitato vulgati Anastasii loco ad rem nostram deduci possent. Id tamen unum animadverto; nempe, Vaticanum Baptisterium, ut inquit prælaudatus biographus, capere cunctos non poterat ad Regenerationis Lavacrum confluentes: illud igitur situm erat extra ambitum Basilicæ, ut pote quæ sua amplitudine complura poterat Catechumenorum millia excipere. Super Oratorium S. Joannis in Fonte, (ita dictum a Baptismali Fonte ibidem extructo; quodve *Ecclesiam* fuisse etiam appellatum, superius ex Petro Mallio vidimus) Pontifex Hadrianus IV. *murum a tribus lateribus erigens, navi ejusdem Ecclesiæ* (Divi Petri) *coæquavit*: Verba hæc Nicolai Cardinalis de Aragonia apud Baronium (*d*) innuere videntur Ecclesiam, sive Oratorium S. Joannis, ideoque, & baptisterium fuisse olim proximum quidem Vaticanæ Basilicæ, sed ab eadem aliquantisper secretum; postea verò ab Hadriano Basilicæ ipsi conjunctum: Certè id alibi posterioribus sæculis aliquando præstitum. Ughellus namque meminit Ecclesiæ S. Venantii apud Fabrianum; cui Gulielmus Episcopus Camerinensis ann. MCCLVII. indulsit, ut Baptismalis Fons, qui extra septa Ecclesiæ erat, ad majorem Divini Cultus decentiam intra ipsum templum posset transferri. Aliud sane argumentum, quo suaderi potest Vaticanum Baptisterium a Basilica sejunctum fuisse, remotior vetustas suppeditat. Nam etsi baptisteria quædam, ut Vercellense, Venetum, aliaque nonnulla intra Basilicarum ambitum con-

(*a*) Tract. 36. nov. edit. Veron. (*b*) Epist. olim ad Alet. nunc ad Pammachium. (*c*) In Leone III. num. 65. edit. Vignol. (*d*) Ann. 1159. num. 18.

constructa indicare liceat; eadem tamen vetustiori ævo extra Ecclesias erigi ferè consuevisse, ratum est ex Eusebio Cæsariensi (a), S. Paulino Nolano (b), Synodo Autisiodorensi (c), aliisque veteribus monumentis: & rem ipsam docet Lateranense in Urbe Baptisterium extra Basilicam hodieque positum: Numquid non in extruendo Vaticano Baptismali Fonte mos idem servatus? At *Oratorium illud multis altaribus munitum, quod sacri Fontis causa S. Damasus Papa construxerat... nunc dirutum est*, inquit Vegius alias commemoratus: qui tamen minime advertit, S. Damasi Ædificium illud ruinæ proximum, a Divo Leone III. fuisse reparatum, ac longe amplius ornatiusque redditum.

De inscripti lapidis fragmento, seù portione non exigua, quam ænea hæc XXVII. Tabula sub num. 2. præfert, nonnulla certo adfirmare, alia coniicere, vel opinari licet. Illud quidem in Basilicæ veteris parte boreali non longe ab ingressu, ac prope Vultus Sancti aram jacebat; ibique dum Joannis VII. Pontificis Romani Sacellum anno Domini MDCVII.dextrueretur, Jacobo Grimaldo teste, repertum fuit. Portionem Imperatoriæ Constitutionis sive epistolæ ad res Ecclesiasticas pertinentis complectitur: cujus generis decreta marmoreis incisa tabulis, principum Ecclesiarum porticibus fuisse aliquando adfixa, colligimus ex Justiniani Novella VIII. qua Imperator legem ab se latam, nempe ut Episcopi Præfectis Provinciarum imminerent ad arcenda istorum prava judicia; cum sacris vasis, utpote & ipsam dedicatam Deo & ad salutem ab eo factorum hominum scriptam vult recondi; moxque subdit Episcopos alloquens: *Facietis autem melius.... & utilius si eam insculpentes aut tabulis, aut lapidibus, in porticibus Sanctissimæ Ecclesiæ describatis*: & idipsum magis, atque ad rem nostram confirmat Athalarici Regis de simonià abigendà constitutio,quam una cum Senatus Consultis, uti videre est apud Cassiodorum (d), ante atrium Vaticanæ Basilicæ pro summa sacræ hujus ædis dignitate collocari jussit, his verbis ad Salvantium Urbi Præfectum scribens: *Ut principale beneficium & præsentibus hæreat sæculis, & futuris, tam Definita nostra, quam Senatusconsulta tabulis marmoreis præcipimus decenter incidi, & ante atrium B. Petri Apostoli in testimonium publicum collocari: dignus enim locus est, qui & mercedem nostram, & Senatus Amplissimi laudabilia decreta contineat.*

Ex aliis Principum Edictis, quæ perpetuis exarata monumentis olim Divi Petri templum adeuntibus patebant; unum dumtaxat, si bene, memini superest, illud nempe, quod in hac tabula excudimus: atque utinam lapis undequaque esset integer; sic enim Constitutionis Auctor sese proderet. Verum etsi in dextera ejus parte sit mutilus, ideoque nullum appareat Auctoris nomen, quod principio notatum fuit; hanc tamen legem nemo inficias iverit Imperatoriam fuisse: quum id satis declaret *Augusti* titulus, qui initio dissecti marmoris perspicue legitur, ita compendio exaratus *AVGGG.* Litera *G* ter hìc repertità, non secus ac per literam *A* semel iterum, ac tertio eidem *Augusti* titulo sic *AAAVG.* præfixam, Grimaldus, ac Turrigius (e) tres Augustos Gratianum, Valentinianum II. ac Theodosium Seniorem in lapide hoc designari putant, eosdemque Decreti Conditores existimant. Hanc opinionem amplecti videtur vir sane doctus Joannes Baptista Donius dum in sua Sylloge Inscriptionum (f) a Gorio editarum Grimaldi sententiam refert, nullumque miscet verbum, quo de ipsa vel tantisper anceps intelligatur. Profecto in ejus rei confirmationem complures vetustos lapides, ac nummos proferre possem: satis tamen me facturum puto, si unum hìc titulum suppeditem, qui a V. Cl. Scipione Maffejo in Museo Veronensi (g) accuratius, quam ab aliis editus, atque illustratus, sic habet:

Hortante beatitudine
Temporum DDD. N. N. N.
Gratiani, Valentiniani,
Et Theodosii AVGGG.
Statuam in Capitolio
Div jacentem in
Cereberrimo (sic) *Fori*
Loco. Constitvi
Jussit. Val. Palladivs
VC. cons. Venet. & Hist.

I Apud

(a) Hist. Eccles. lib. 10. cap. 4. (b) Epist. 32. ad Severum, nov. edit. (c) Can. 14.
(d) Epist. 16. lib. 9. (e) Crypt. Vat. pag. 21. (f) Pag. 553. (g) Pag. CVII.

Apud Græcos etiam hæc sigla fuisse usitata, planum fit ex Inscriptione a Grutero (*a*) allata, in qua legitur : ΣΕΒΒΒ. nempè *trium Augustorum*. Quos modo nominavimus tres Principes Catholico Orbi aliquando simul imperasse nemo ignorat, qui Ecclesiæ historiam vel summatim calleat, aut Justinianæum percurrerit Codicem, ubi complures extant leges a tribus prædictis Imperatoribus simul constitutæ. Ipsos etiam, multis pro Ecclesia sancitis legibus, de eadem benemeritos fuisse, commemoratus Codex testatur. Ad hæc, Turrigius, & Grimaldus Flavium Eutherium, cui inscripta est hæc epistola, judicant eumdem esse, ac Flavium Eucherium sive Eutherium, qui ann. Christi CCCLXXXI. cum Flavio Syagrio Consul processit, & ambo hi Consules in Sancti Gregorii Nazianzeni Testamento notantur. Equidem hujuscemodi argumentis non tantum tribuo, ut iis certo probari censeam, Gratiano, & Valentiniano II. ac Theodosio Magno Sanctionem hanc esse adjudicandam : sed Eruditorum, quos utpote rerum antiquarum admodum peritos supra laudavi, conjecturæ subscribere malim quam refragari, præsertim cum Inscriptio superiori Sæculo XVII. juxta vetus, quod versamur monumentum, ad ipsum dilucidandum, posita, eamdem opinionem confirmet his verbis : *Gratiani, Valentiniani, & Theodosii Auggg. fragmentum Epistolæ conservatoriæ bonorum, & Ministrorum hujus Sacrosanctæ Basilicæ in pavimento Sacelli Joannis VII. repertum anno* 1607. Si qui verò secus arbitrentur, ii saltem fateantur oportet, Imperatoriam hanc legem ante æræ vulgaris annum DXXXV. fuisse editam. Ea quippe, ut postrema lapidis verba *CC. CONSS.* patefaciunt, duobus consulibus notata est; tametsi horum nomina, utpote incisa in ea marmoris parte, quæ intercidit, nunc minime appareant : atqui post annum DXXXIV. quo Consules creati fuerunt Justinianus Aug. IV. & Fl. Decius Theodorus Paulinus junior, geminorum Consulum ordinariorum usus defecit; & ex paucis, qui postea in Oriente dignitatem illam obtinuere, nemo unus cum Collega processit, ut rem Chronologicam edocti probe norunt.

Cultus Basilicæ Vaticanæ, & ejus bonorum, Ministrorumque tutela, sanctionis argumentum esse, ex fragmento conjicitur : ac eidem legi, si Turrigio audiamus, nonnihil similis est alia Constitutio, qua Theodosius Imperator *universos, quos constiterit Custodes Ecclesiarum esse vel Sanctorum Locorum, ac Religiosis obsequiis deservire, nullius attentationis molestias sustinere decrevit*. Turrigius item sic adhæret sententibus, Epistolam sive Sanctionem, de qua agimus, ad Basilicæ Bona conservanda datam fuisse; ut notam illam compendiariam, quæ ad inferiorem vetusti lapidis partem majoribus literis exarata cernitur, nimirum PROSB., fidenter explicet *pro servandis bonis*. Utut sit, opinione hujusmodi, fragmentum hoc, quod altum est palmos duos Romanos, latum vero palmos totidem, & semis, atque in ambitu sacræ B. Petri Confessionis ad meridionalem partem extat; diligentius quam apud ipsum Turrigium & Ciampinum (*b*) inter Donjanas (*c*) ac Muratorii (*d*) Inscriptiones editum legitur : in ipso adnotanda est cognatio literarum *D.* & *T.* ter enim scribitur *adque* pro *atque*, ut in plerisque Inscriptionibus vel ipsa Augusti ætate videre licet, nempe juxta orthographiæ veteris formam, de qua si velis, Quintilianum in suis Institutionibus lib. I. aliosque recentiores consulas.

His equidem paucis declarationem præsentis marmoris, quod quia mancum est ac mutilum, obscurum quoque sit oportet, jamdudum expedieram, quum ea legi, quæ vir summo ingenio ac plurima eruditione præstans, mihique amicitia junctus Joannes Christophorus Amadutius conscripsit ad calcem suarum lucubrationum in Theodosiani Codicis appendicem nuper ab eo vulgatam magno Reipublicæ Literariæ commodo. Is nimirum prælaudatam Grimaldi Turrigii Donii & Ciampinii opinionem reiicit his plane argumentis; scilicet, quia nondum uni vel alteri ex consulibus inscripta lex ulla in Codicibus Theodos. & Justinian. occurrit, & quia fieri nequit, ut de cultu Basilicæ Vaticanæ, & de ejus bonorum, ministrorumque tutela per Occidentis Imperr. Gratianum & Valentinianum hac ipsa provisum fuerit lege, quæ Fl. Eutherio Consuli in Oriente, non autem potius cui Romanæ res concreditæ, Syagrio Occidentali Consuli commendaretur; quum quilibet Imperator ditione sua

(*a*) Pag. 595. (*b*) De sacr. Ædific. cap. 4. sect. 15. (*c*) Pag. 553. (*d*) Tom. 4. p. 1967.

sua sese contineret, suisque Officialibus sive Magistratibus, exceptis Consulibus, promulgandas sanctiones committeret. Propriam deinde vir plane doctus sententiam proferens censet, legem, de qua loquimur, ævo potius Imperatorum Arcadii, Honorii, & Theodosii Jun. conditam fuisse, & ab Honorio præsertim, qui in Occidente agebat, Fl. Annio Euchario Epiphanio Præfecto Urbis anno 407. inscriptam: *Eucharii* vero nomen in *Eutherium* sive *Eucherium* proclivi literarum E in A, & C in T permutatione inverti potuisse. Quoad literas autem PROSB, hic mendum aliquod cubare suspicatur, ac potius *PRO*posita legendum existimat, quod Imperr. legibus dies quandoque singulatim addebantur, quibus eædem & *data*, & *proposita*, tum & *accepta* fuerant.

Hæc laudatus Auctor, cujus allata mox argumenta profecto valida reputo ad comprobandum, legem, de qua agimus, Eutherio inscriptam non fuisse eodem ipso anno 381., quo is consulatum gessit: Sed, ut ingenue fatear, non video, inde consequi, legem istam ab Augustis Arcadio, Honorio, & Theodosio Jun. datam esse ad Eucharium Epiphanium anno 407., quo hic Urbanum obiisse præfecturam asseritur; & nostrum marmor sic deturbandum esse, ut ibi pro Eutherio Eucharius legi debeat. Hæc sane, ni fallor, minus firma censeo. Cum enim Augg. Gratianus, Valentinianus Jun. & Theodosius a mense Januario anni 379. ad men. Augustum ann. 383. simul imperaverint, & in hac ipsa annorum intercapedine Eutherium ex illius ævi monumentis teneamus, huic certe prædicta lex a Gratiano, Valentiniano ac Theodosio potuit an. 379. vel 382. aut 383. demandari: nam etsi idem Eutherius ann. 381. in Oriente Consul processerit, id non obstat, quo minus juxta Jac. Gothofredum (*a*) ann. 380. Proconsul Africæ extiterit, nec item obstat, quin aliquo ex præstitutis annis 379. 382. 383. in Urbe quoque Roma aut non longe ab ea moratus fuerit, aliorum illustrium virorum instar, quos diversis in Oriente & in Occidente per successionem muneribus perfunctos liquet. Exempla ad manus sunt Honoratus ex Præfecto Prætorio Galliarum primus Constantinopolitanæ Præfectus Urbis creatus est, ut ex latina Chronici Eusebiani (*b*) versione a S. Hieronymo concinnata discimus: Flavius Lollianus Mavortius, teste Jul. Firmico Materno (*c*) Campaniæ Consularis fuit, tum ad *totius Orientis* gubernacula evectus, deinde Ordinarius Consul designatus, moxque Consulatus insignia assequutus, ac præterea inter Præfectos Romanæ Urbis adnumeratur anno æræ Chr. 342. Quintus Clodius Hermogenianus Olybrius in marmore apud Gruterum pag. 353. exhibetur Consularis Campaniæ, Proconsul Africæ, Præfectus Urbis, Præf. Prætorio Illyrici, *Præf. Prætorio Orientis*, & Consul Ordinarius anno scilicet 379. Ad quem tamquam Urbis Præfectum lex præter alias data extat in Cod. Theodos. (*d*) circa eos, qui Romam commeant, ibique commorantur studiorum causà. Ad eum quoque Severum, cui in eodem Theodos.Cod.leges ab Auggg. Gratiano Valentiniano & Theodosio inscribuntur, titulum referre licet positum, ut in Grutero pag. 1094. legimus, Flavio Plaudio, sive Placido Severo V. C., qui in eo marmore non solum *Proconsul Orientis*, sed etiam Præf. Prætorio Prov. Africæ, pluries vice sacra Jud. Præf. Urbi. Comes Ord. primi intra palatium Præf. Præt. & Consul Ordinarius dicitur: illarum autem sanctionum unà (*e*) cavetur, ne calcis & cæmenti concessio privatis facta, publicis Romæ operibus damnum inferat. Alia exempla prætermitto, satis enim ex allatis constat, plures eosdemque viros magistratibus instructos modo in Oriente, modo in Occidente ac Romæ etiam degisse, ipsisque in Urbe agentibus Imperatorum leges fuisse demandatas: ac proinde fieri quoque potuit, ut Eutherius licet anno 381. Consul in Oriente processit, in Occidente tamen, ac in Urbe ipsa vel non longe ab ea constiterit anno 379. aut 382. vel 383. aliqua etiam præfectura insignitus, eidemque uno ex hisce annis memorata lex fuerit delegata, sive epistola conscripta, a prædictis Auggg. Gratiano

(*a*) In Cod. Theodos. lib. 10. tit. 20. de Murilegul. L. 9. (*b*) Olym. 284., ann. Chr. 360.
(*c*) Præfat. in libros Astronom., ac lib. 1. & 7. (*d*) Lib. 14. tit. 9. de studiis liberalibus Urbis Romæ L. 1. (*e*) Lib. 14. tit. 6. de calcis coctoribus Urbis Romæ L. 4.

no Valentiniano & Theodosio, ac potissimum a Valentiniano Jun., qui Romæ dominabatur.

Quod autem lex ad Vaticanam S. Petri Basilicam spectans non solum Gratiano & Valentiniano tribuatur, sed etiam Theodosio, cujus ditio sese in Oriente continebat, id mirum profecto non est: nam de rebus Urbanis sanctiones extant præseferentes nomina Augustorum, quorum unus Orientem regebat, Occidentem alter. Sic a Theodosio & Valentiniano leges ad Senatum Urbis Romæ datas (a) reperimus, aliasque id genus alibi legimus, adeo ut Jac. Gothofredus optime animadvertit (b) moris olim fuisse, ut cum plures eodem tempore divisis quamlibet Imperii partibus, imperarent, & ideo quamlibet ab uno tantùm scripta lex esset, ex æquo tamen omnium nomina præferret, quomodo etiam in operibus publicis omnium Imperatorum nomina inscripta, cum tamen opus ab uno tantùm positum esset. Quum igitur ita se res habeant, mihi quidem, nisi graviora in oppositum proferantur argumenta, verisimilius videtur, legem, de qua agimus, ab Augustis Gratiano Valentiniano & Theodosio fuisse conditam, ac proinde eam stare, quam initio recitavimus, Grimaldi aliorumque conjecturam, qui aperte ajunt, Eutherium, cui demandata lex est, eundem esse ac eum, qui anno 381. Consul erat; sed non item affirmant, hoc eodem anno sanctionem ipsi Eutherio ab illis Imperr. fuisse inscriptam. Grimaldus in volumine Instrumentorum inquit, prædictos Augustos mandasse *Flavio Eutherio, qui cum Siagrio anno 381. Consul erat, ut Basilicæ Vaticanæ bona, ejusque ministros defenderet*. Eisdem fere verbis Turrigius Donius ac Ciampinus loquuntur: quare nihil nos cogit, eos sic interpretari quasi affirmarint, Eutherio inscriptam esse legem eodemmet anno, quo consulatum gerebat. De compendiaria vero nota PROSB., ut plausibilis est interpretatio Cl. Amadutii, ita plane non reiicienda Grimaldi aliorumque explicatio; nota enim illa quum a textu legis sive epistolæ sejuncta, & diverso scilicet majori charactere exarata sit, meritò videri potest, ni fallor, marmori adjecta & incisa tanquam sanctionis summam complectens, atque hoc pacto a nostro lapide amoliri licet mendi suspicionem, quo ceteroqui vitio antiqua monumenta laborare tum demum dicenda sunt, cum ineluctabilis ratio id urgeat. Hæc autem de Grimaldi & aliorum opinatis circa marmoreum hoc fragmentum, dicta a me velim conjectando, non judicium interponendo: imò si quis Imperatoriam hanc constitutionem pro sacrarum ædium bonis ac ministris generaliter editam esse suspicetur, nec magnopere contendam, nec vehementer negaverim: sed & illud cum hac sententia bene componitur quod ea lex ad Vaticanam Sancti Petri Basilicam ob summam ejus in Universo Christiano Orbe celebritatem, dignitatemque præclarissimam potissimum spectet, & hanc ob causam in eadem sacra æde jure meritoque posita fuerit, quod quivis facile deprehendet, si eas, quas supra laudavimus, non tam Imp. Justiniani, quam Regis Athalarici constitutiones ad memoriam revocaverit.



TA-

(a) Cod. Justinian. lib. 6. tit. 55. leg. 11. tit. 56. leg. 5. tit. 60. l. 3. &c.
(b) Prolegom. in Cod. Theodos. cap. 8.

TABULA XXVIII.

QUÆ hic exhibentur marmoreæ tabulæ operis anaglyphici, quarum singulæ in altum palm. tres, in latum verò totidem extenduntur, Calixti III. monumentum in Vaticana Basilica positum olim cohonestarunt (*a*) nunc autem in ambitu Confessionis Divi Petri ad meridionalem partem visuntur. Ex quatuor imaginibus, quæ sese prima inspiciendam num. 1. offert, Sanctum Ambrosium Mediolanensem Antistitem repræsentat, Mitra, Casula, pallioque indutum, ac dextra Pastoralem virgam ferulamque gestantem. Ad Mitram quod attinet, quamquam Joannem Apostolum lauream laminam in fronte gestasse, ut Jesu Christi Pontificem, Polycrates apud Eusebium (*b*) tradat; ac Divi Jacobi Apostoli, & Jerosolymorum Episcopi caput simili insigne fuisse ornatum, Baronius (*c*) ex S. Epiphanio hæres. 78. referat; divus item Gregorius Nazianzenus in Oratione V. quæ est ad patrem, & Basilium post reditum ex fuga de sua agens consecratione sic habeat: *Me Pontificem ungis, & podere cingis, capitique cidarim imponis* (*d*) ac tandem de ipso divo Ambrosio Ennodius Ticinensis in Epigrammate LXXVII. ita affirmet:

Serta redimitus gestabat lucida fronte,
Distinctum gemmis ore parabat opus:

Haud facile tamen mihi suadeo, quarto Ecclesiæ sæculo; quo S. Ambrosius floruit, mitræ usum apud Episcopos passim viguisse. Profectò Callixtus II. Pontifex Romanus anno 1120. Godebaldo Trajectensi Episcopo, ejusque successoribus pro commissæ ipsi Ecclesiæ reverentia, & divinæ ad invicem dilectionis affectu, Episcopalem mitram concessit, ut habemus in ejusdem Pontificis epistola apud Bataviam Sacram pag. 139. edita, ex qua Cangius (*e*) Episcopos interdum nonnisi ex concessione Romani Pontificis mitra usos fuisse colligit. Idipsum infert Mabillonius (*f*) ex Leonis Papæ IV. privilegio, quo summus hic Antistes Anscarium Hamburgensem Episcopum, ejusque successores donavit; sivit nimirum, ut caput mitra ornarent. Equidem in V. Mabilloniano Ordine Romano, ubi sacræ vestes Episcoporum propriæ recensentur, altum de tiara silentium est; tametsi Theodulphus Aurelianensis, sæculo Ecclesiæ IX. clarus, Episcopale capitis ornamentum diserte commemorat, de quo ita canit (*g*):

Aurea Pontificis cingebat lamina frontem,
Qua bis binus apex nomen herile dedit. Et infra:
Illius ergo caput resplendens Mitra tegebat.

Sed præter tiaram, scuticam quoque, & pedum sive pastoralem virgam dextera Ambrosius gestat. De flagro aliquid paulo infra dicemus (*h*). Baculi autem Episcopalis usum nemo recens inventum affirmet; hunc enim S. Bernardus inter Pontificiæ dignitatis symbola enumerat, cum in sermone de Baptismo inquit, Episcopum *per baculum, & annulum simul* investiri: Et Innocentius III. Patriarchæ Constantinopolitano, aut potius Archiepiscopo Trinovitano Bulgarorum & Blacorum Primati, ut in ejusdem Innocentii gestis num. 75., & 76. apud Balutium habemus, uti baculo ad instar aliorum Pontificum concessit (*i*). Sed longe vetustior est casula, qua S. Ambrosius indutus cernitur, e collo scilicet ad pedes protensa, sicque clausa, ut Sacerdos ex ea manus efferens, su-

(*a*) Turrig. Cr. Vat. pag. 101. (*b*) Hist. Eccl. lib. 5. cap. 24. (*c*) Ad ann. 34.
(*d*) Περιτίθης τὴν κίδαριν. (*e*) V. Mitra. (*f*) Part. 2. Sæcul. IV. Benedictini num. 182.
(*g*) Lib. 5. carm. 3. vers. 610. (*h*) Tab. XXIX. (*i*) In cap. Cum venisset de sac. unct.

ſuper brachia eamdem revolvere & complicare cogebatur. Tabula autem proxime ſequenti aliam S. Gregorii Magni effigiem illuſtravimus: idcirco hujus S. Romani Pontificis iconem, quæ juxta Divum Ambroſium hic num. 2. ſpectatur, intactam relinquimus.

Qui prior in alio marmore ſub num. 3. occurrit, S. Hieronymus eſt veſte amictus inſtar Cardinalis S.R.E., ut Turrigius animadvertit. Ciampinus in Opere de Veter. Monum. (a) antiquam refert picturam, a tribus circiter ſæculis, ut ipſe cenſet elaboratam; in qua Pictor coloribus expreſſit ſummum Pontificem Agathonem, eique adſtantes viros Eccleſiaſticos, ni fallor Cardinales, Cappà indutos, & verticem caputio tectos, quemadmodum in cælata S. Hieronymi effigie hic videmus. Certe in ejuſdem Hieronymi Vitis nonnullis, aliis ante annum Chriſti milleſimum, ut creditur, aliis poſt id tempus exaratis, atque in noviſſimam ipſius Operum editionem Veronenſem (b) relatis legitur, Sanctus Doctor per congruos Eccleſiaſticos gradus *ad Cardinalatus dignitatem* conſcendiſſe, & annos natus XXXIX. a Liberio Sedis Apoſtolicæ Præſule *Presbyter Eccleſiæ Romanæ tituli S. Anaſtaſiæ* fuiſſe *ordinatus*. Nec defuerunt, qui hiſtoriam hanc ceu veram propugnarunt, quod præſtitit Franciſcus Bivarius in Tractatu de veteri Monachatu, & regulis Monaſticis lib. 4. cap. 4. §. 4. Et Cardinalis Ardicinus de la Porta junior in epiſtola ad Innocentium Octavum de ſuo ad Camaldulenſium Ordinem acceſsu, inter alios, qui privatam, & religioſam vitam amplexi ſunt, S. Hieronymum recenſet *Romanæ Eccleſiæ Presbyterum; quem*, ait, *ferunt Cardinalem fuiſſe*. Sed mihi arridet Venerabilis Annalium Eccleſiaſticorum parentis ſententia (c), qui obſervat, Divum Hieronymum ſuæ ad Presbyteratum promotioni a Paulino Epiſcopo Antiocheno factæ ita aſsentiiſse, ut non pateretur alicui adſcribi Eccleſiæ, quippe qui nollet deſerere eſſe Monachus, ſed pro animi arbitrio liber intenderet, quo vellet, pergere. Teſtatur ſane id ipſe Hieronymus, cum enim a Joanne Epiſcopo Hieroſolymitanæ Eccleſiæ ſubiici tentaretur, ad Pammachium ſcribens (d) eumdem Joannem ita compellat: *Porrò quod dicis te petiiſse, ut ſubiicerentur Eccleſiæ Dei, & non ſcinderent eam, neque proprium ſibi facerent principatum: de quibus dicas non ſatis intelligo. Si de me, & Presbytero Vincentio, ſatis multo dormiſti tempore, qui poſt annos treſdecim nunc excitatus hæc loqueris. Ob id enim, & ego Antiochiam, & ille Conſtantinopolim Urbes celeberrimas deſeruimus, non ut te in populis prædicantem laudaremus, ſed & ut in agris, & in ſolitudine adoleſcentiæ peccata deflentes, Chriſti in nos Miſericordiam deflecteremus. Sin autem de Pauliniano tibi ſermo eſt; vides eum Epiſcopo ſuo eſſe ſubjectum, verſari Cypri, ad viſitationem noſtram interdum venire, non ut tuum, ſed ut alienum, ejus videlicet, a quo ordinatus eſt. Quod ſi hic etiam eſſe voluerit, & in exilio noſtro quietus in ſolitudine vivere; quid tibi debet niſi honorem, quem omnibus debemus Epiſcopis? Fac a te ordinatum, idem ab eo audies, quod a me miſello homine Sanctæ Memoriæ Epiſcopus Paulinus audivit: Num rogavi te, ut ordinares? Si ſic presbyterium tribuis, ut Monachum nobis non auferas; tu videris de judicio tuo. Sin autem ſub nomine presbyteri tollis mihi propter quod ſæculum reliqui; ego habeo, quod ſemper habui; nullum diſpendium in ordinatione paſſus es*. Huc uſque Hieronymus, ex quo recte notat Baronius, nequaquam ſuſtinuiſse Sanctum Doctorem alicui, cum ordinatus eſt, aſcribi titulo, nec poſtea in aliquam referri Eccleſiam toleraſſe: Immò de ipſo Hieronymo, ac prælaudato Vincentio Epiphanius in Epiſt. ad Joannem (e) tradit, nec precibus adduci unquam potuiſſe, ut vel ſaltem in Monaſterio Sacerdotis munere fungerentur. At ſi Hieronymus vel a Damaſo factus eſt Cardinalis tituli S. Anaſtaſiæ, cur eum redigi vellet a Joanne ſub Eccleſia Hieroſolymitana, non æque excipit, ſicut de ordinatione a Paulino facta, ita de Cardinalatu, quo a Liberio, vel a Damaſo donatus dicitur? Aut cur ex illa facta conteſtatione Paulino, ſe omnino liberum eſſe declarat, ſi poſtea in titulum Cardinalis eſt Romæ cooptatus? Nec eſt cur adverſus hæc quis obiiciat, vel eorum, quos ſupra indigitavimus, Codicum S. Hieronymi vitam complectentium auctoritatem; vel Sanctum Virum,

(a) Part. 2. pag. 116. Tabula XXXIV. (b) Tom. XI. pag. 251. (c) Ad ann. Chriſti 378. n. 66.
(d) Epiſt. 61. (e) Apud Hieronym. epiſt. 60.

rum, postquam Ecclesiæ Hierosolymitanæ adscribi recusavit, in Urbe manentem dignitatis Cardinalitiæ decus a Liberio accepisse, aut a Damaso, cui ab Epistolis fuit. Nullius certe roboris sunt momenta isthæc. Nam etsi acta illa ex Augustini, Damasi, Gregorii, Gelasii, aliorumque tractatibus, & ex ipsius Hieronymi Epistolis collecta sint, nonnulla tamen illorum auctores falsa veris miscuerunt. Quod autem S. Doctor, postquam Hierosolymitanæ Ecclesiæ subiici renuit, Romano S. Anastasiæ Titulo addictus fuerit, commentum esse quisquis sibi facile suaserit, si recitatam ipsius Divi Hieronymi ad Pammachium Epistolam tertio decimo anno post ejus Roma reditum Hierosolymam, totidemque, & amplius post Damasi obitum annis exaratam fuisse animadvertat. Tandem eidem Damaso ab Epistolis Hieronymus quidem fuit; non ideò tamen Cardinalatus dignitate auctus: Hunc quippe honorem Prospero Aquitano, qui Gennadio teste apud S. Leonem Magnum munere illo perfunctus est, minime delatum fuisse scimus. Quorsum verò, ut hæc quoque lapidea Tabula ostendit, ad S.Hieronymi effigiem leo appingi consuevit? Suum in desertis locis (in quibus plerumque belluæ commorantur) manendi desiderium Sanctus ipse Doctor tum factis, tum luculentissimis hiscè verbis (*a*) explicavit: *Mihi solitudo Paradisus est*. Insuper invictum animi ejus robur adversus hæreticos, ac perstrepentem in eos, tanquam rugitus leonis, clamorem nemo unus ignorat. Ad hæc itaque, uti videtur, significanda S. Hieronymus cum leone adstante effingitur.

Denique præsentis Tabulæ postremum locum num. 4. occupat Divi Augustini imago, ad quam illustrandam huc ea referri debent, quæ ad aliam hujusce S. Viri Iconem (*b*) adnotavimus. Utrobique S. Doctor, si bene video, cucullam gestat; quæ tamen caput non obtegit, sed humeris, pectorique insidet. Præterea tàm ipse Augustinus, quam Ambrosius, & Hieronymus in hac eadem tabula barbati conspiciuntur. Recte quidem eos in hunc modum sculptor effigiavit. Qua enim ætate Sancti illi claruere, barbam Clerici nutriebant. Maximus enim palatinus post relictam sæculi Dignitatem, ad Sacerdotium promotus, brevi coma, & barba prolixa ab Appollinare Sidonio describitur (*c*). Vigilium Romanum Pontificem columnas Altaris Basilicæ S. Petri in Hormisda amplexum, Prætoris Constantinopolitani Satellites, quemadmodum Italiæ Clerus in libello ad Theodebalbi Legatos enarrat, *alii a pedibus, alii a capillis, & barba tentum* sacrilege, atque crudeliter inde abstraxerunt. Ut autem multa id genus exempla omittam, splendidus est Synodi IV. Carthaginensis Canon XLIV., ubi decernitur, ne Clericus comam nutriat, aut *barbam radat*, sive ut in aliis vetustis libris habemus, *tondeat*. Latinorum quidem plurimi hunc morem postea reliquerunt, adeo ut istorum discrimen a Græcis, qui barbam alebant, Religioni Catholicæ nihil officere, Concilium Lemovicense probe animadvertit: sed quod scribit S. Gregorius VII. ad Judieem Caralitanum (*d*), *Totius Occidentalis Ecclesiæ Clerum ab ipsis Ecclesiæ Christi primordiis barbam radendi morem tenuisse*; neque Sirmondus (*e*) omnino capit, neque ego satis intelligo. Consule Joannis Pierii Valeriani declamationem pro Sacerdotum barbis.



TA-

(*a*) Epist. ad Rusticum Monachum. (*b*) Tabula XXXI. (*c*) Lib. 4. Ep. 24. (*d*) Ep. 10. lib. 9.
(*e*) Not. in Appollin. Sidon. lib. 4. Epist. 24.

TABULA XXIX.

Hujus Tabulæ num. 1., & 2. imagines marmoreæ duorum Evangelistarum, Divi Joannis, & S. Marci, anaglyphici operis, mensuræ palmi 1. semis quaquaversum, & anno Domini 1631. muro affixæ in meridionali Confessionis Beati Petri ambitu exhibentur. Orbiculari figura, cælaturæ modo, atque mensura pares omnino sunt duobus aliis Sanctorum Matthæi, & Lucæ Evangelistarum simulacris, quæ Tabula XXX. cælator delineavit: quatuor enim hujusmodi imagines Ciborium (*a*), curante Innocentio VIII. Pontifice, sacræ Lanceæ custodiendæ erectum decorabant. De Leonis, qui a dextris Sancti Marci adstat, & de Aquilæ ad Divi Joannis dexteram collocatæ symbolis; de Libro, quem uterque Evangelista, & Joannes quidem clausum, non apertum, ut falso enunciatur a Turrigio (*b*), manibus gestat; de pallio demum, ac tunica, queis ambo induti apparent, alibi diximus.

In prælaudato sacræ Vaticanæ Confessionis ambitu ad meridionalem partem hodie extant, quæ in hac tabula 3., & 4. signantur, duo marmora anaglyptica, orbicularis figuræ, & palmi unius semis prædictum Innocentii VIII. Ciborium olim exornantia (*c*). Horum alterum præfert Divum Gregorium Magnum Pontificem Romanum, qui dextera benedicit, sinistra verò volumen sustinet, ac pluviali amictus conspicitur, tectusque chirothecis. Ritus vetustiores ex iis, quos ætas posterior invexit, metitus lapidis incisor, Sanctissimi hujusmodi Præsulis capiti tiaram imposuit pluribus coronamentis decoram, qua certe per id tempus Romani Pontifices minime utebantur, ut alibi demonstravimus. At nulla quidem Gregorii Magni verior Icon ostendi potest, quam ea, quæ ex vetusta tabula summo ipso antistite in vivis agente, picta, atque in Romano Monasterio ad Clivum Scauri Nono Ecclesiæ sæculo adservata, Joannes Diaconus eodem sæculo clarus in hunc modum describit (*d*):

Sed & in absidicula post fratrum cellarium Gregorius ejusdem artificis magisterio in rota gypsea pictus ostenditur, statura justa, & bene formata; facie de paterna faciei longitudine, & materna rotunditate ita medie temperata, ut cum rotunditate quadam decentissime videatur esse deducta, barba paterno more subfulva, & modica; ita calvaster, ut in media fronte gemellos cincinnos rarusculos habeat, & dextrorsum reflexos; corona rotunda, & spaciosa, capillo subnigro, & decenter intorto sub auricula medium propendente; fronte speciosa; elatis & longis, sed exilibus superciliis; oculis pupilla fulvis, non quidem magnis, sed patulis, subocularibus plenis; naso a radice vergentium superciliorum subtiliter directo, circa medium latiore, deinde paulùlum recurvo, & in extremo patulis naribus prominente; ore rubeo, crassis, & subdividuis labiis, genis compositis, mento a confinio maxillarum decibiliter prominente; colore aquilino & vivido (al. livido) nondum, sicut ei postea contigit, cardiaco, vultu mitis, manibus pulchris, teretibus digitis, & habilibus ad scribendum. Præterea planeta super dalmaticam castanea, Evangelium in sinistra, modus Crucis in dextra; pallio mediocri a dextro videlicet humero sub pectore super stomachum circulatim deducto, deinde sursum per sinistrum humerum post tergum deposito, cujus pars altera super eumdem humerum veniens propria rectitudine, non per medium corporis, sed ex latere pendet. Hactenus Joannes Diaconus, qui etiam tradit (*e*) Petrum ejusdem Gregorii Diaconum testatum esse, se frequentissime super Sanctissimi Pontificis caput Spiritum Sanctum in columbæ similitudinem perspexisse, adeo ut multa Gregorius Sancto suggerente Spiritu dictasse creditur; quod certe designatum voluit nostræ hujus tabulæ cælator, cum columbæ formam ad ipsius summi Præsulis dexteram aurem expressit.

Marmor alterum num. 4., omnino simile, Divum Ambrosium Mediolanensem Antistitem exhibet, mitra tectum, atque indutum

(*a*) Confer Tabulam XII. (*b*) Crypt. Vatic. pag. 30. (*c*) Turrig. ibi pag. 25., 27.
(*d*) Lib. 4. Vitæ S. Gregor. Magni cap. 84. (*e*) Ibi cap. 69.

tum pluviali; cujus extrema ante pectus fibula, seu globo, gemmæ speciem (ut videtur) præferente conjunguntur; quemadmodum & pluviale S. Gregorii in præcedenti figura nectitur. Læva S. Doctor librum gerit clausum, non apertum, ut ait Turrigius (*a*) cujus etiam judicio id quod Ambrosius elata dextera tenet, ferula est; eaque indicatur Sancti hujusce Præsulis in retundendis hæreticorum, & maxime Arianorum, conatibus singulare studium, infractusque animus; vel ingenua loquendi libertas, qua seniorem Theodosium Augustum ob cædem Thessalonicensem redarguit, & Ecclesiæ aditu prohibuit: quam pænam religiosus ille Imperator æquo animo ferens, publicam ex Ambrosii præscripto pœnitentiam egit. Probabiles quidem sunt hæ rationes, ea tamen vera existimatur, quæ mox sequitur. Cum enim Mediolanenses S. Ambrosio invocato ad Parabiagum victoriam sint adepti anno 1338., ex eo tempore pia civitas haud immemor accepti beneficii gloriosissimum hunc antistitem suum cum flagello depictum in æternam ejus rei memoriam habere voluit. Ita ex lectione tertia Ambrosianæ Ecclesiæ die 21. Februarii festo S. Ambrosii pro victoria, Molanus in histor. sacrar. imaginum & picturarum lib. 3. cap. 54. Vetus Beatissimi ejusdem Antistitis marmoreum simulacrum in ejusdem Basilica Mediolanensi adservatum, Puricellus delineandum curavit, & initio sui operis (*b*) post Chronologicum indicem protulit: in qua effigie S. Ambrosius apparet detecto capite, sine barba, vultu gracilis, Planeta, & Pallio Archiepiscopali insignitus, ac sinistra librum apertum ostendit, ubi proprium nomen legitur; dextera autem nil prorsus gestat, sed eam elevat benedicentis more.

Quod sub num. 5. spectandum hìc proponitur monumentum, veteris musivi ex Joannis Papæ VII. Ciborio aliàs commemorato fragmentum est; adeo tamen ob antiquitatem deformatum, ut Deiparæ Virginis effigiem in ipso exhiberi vix nosceremus, nisi id ex Inscriptione vetusto eidem ruderi subjecta perspicuè doceremur. Ea namque sic habet: *Vetustissima hæc B. Virginis musiva imago erat ad Ciborium Joannis Papæ VII. hìc anno MDCXXXI. exposita*. Turrigius (*c*) Auctor est, ipso in rudere puerum Jesum sinu Mariæ Virginis gestari; & ad ejus pedes hinc Imperatorem, inde Imperatricem conspici; quorum imagines, inquit, Constantini Magni, ejusque Matris Helenæ judicantur. Locus ubi ex recitato epigrammate monumentum hujusmodi ne intercideret, fuit expositum, est ambitus Confessionis Divi Petri, qua ad meridiem vergit.

Ibidem quoque visitur geminum ex marmore monumentum anaglypticum, num. 6. & 7. in hac tabula signatum, palm. Rom. fere IV. altitudine, latitudine verò palm. ferme III. protensum, quo Summi Pontificis Callixti III. sepulchrum olim ornabatur. Horum alterum sub num. 6. effigiem S. Joannis Apostoli ob oculos ponit, ut marmori subjecta Inscriptio, & Epiphan. Giptius (*d*) atque Turrigius (*e*) monent; qui tamen lapsu fortassis memoriæ ante scripserat (*f*) hìc Apostolum Jacobum Minorem repræsentari. Joannes Tunica, & Pallio amictus, imberbis, librumque dextera gerens aspicitur. Eisdem planè vestibus, sed barbatus, in altero lapide num. 7. Sanctus Bartholomæus Apostolus occurrit. Læva sustinet Librum, dextera vero cultrum tenet, signum profecto generis Martyris, quod S. Apostolus pro Jesu Christi fide tolerasse creditur. Bartholomæum sane, vivo detracta pelle, capite truncatum fuisse, Theodorus Studites literis consignavit: decoriatum pseudo-Isidorus etiam scribit (*g*) & vulgata habet opinio. In auctario Flori ad Bedæ Martyrologium Sanctissimus Apostolus decollatus, Rege Astiage jubente, legitur. Ipsum denique clavis confixum esse Cruci, Nicetas Paphlago, Nicephorus Callistus (*h*) aliique tradiderunt. Utrumque supplicium in S. Bartholomæo adhibitum fuisse, quidam Neoterici ostendere conati sunt. At cum nullus ex vetustis Auctoribus affirmet, Apostolum & Cruci affixum, & excoriatum esse; ea ratio discordantes scriptores illos componendi haud arridet Joanni Stiltingo Bollandiano Continuatori

K

(*a*) Crypt. Vat. pag. 27. (*b*) Cui titulus; Ambrosianæ Mediolani Basilicæ, ac Monasterii hodie Cistercienfis monumenta. (*c*) Crypt. Vatic. pag. 478. (*d*) Descript. Basil. Vatic. pag. 73. (*e*) Crypt. Vatic. pag. 478. seq. (*f*) Ibi pag. 99. (*g*) In lib. de Vit. & Obit. Sanctorum. (*h*) Lib. 2. cap. 39.

tori tom. 5. Augusti pag. 29. qui & præcedenti pag. 28. verosimiliorem putat sententiam Studitæ, Freculphi in Bibliotheca Patrum sec. 9. p. 1. pag. 505. editi, aliorumque Latinorum, S. Bartholomæo vivo pellem fuisse detractam asserentium: quam sane traditionem ex Ambrosiana præfatione & antiquis lectionariis, teste Ven. Baronio (*a*) confirmatam, ob oculos videtur habuisse hujus statuæ sculptor, qui in Bartholomæi dextera effinxit cultrum decoriationis instrumentum.

TABULA XXX.

Ciborium, quod Pontifex Innocentius VIII., ut alibi monuimus (*b*) sacræ Lanceæ custodiendæ erigi curavit; duplex inter alias marmorea tabula anaglyphico opere elaborata, figuræ orbicularis, num. 1., & 2. hic signata, cohonestabat. (*c*) Utraque palm. 1. Rom. semis quaquaversum extenditur, & in ambitu Confessionis Beati Petri ad meridionalem partem visitur: ac in altera quidem S. Lucas librum conscribens præfertur; in altera vero S. Matthæus non eodem utique gestu, ac Divus Lucas, ut apud Turrigium legimus, sed clausum codicem tantummodo gerens aspicitur. Barbati ambo, ac tunica, pallioque amicti apperent; quos autem præ manibus habent libros, hi certè Evangelium indicant, quod ipsi literis mandarunt. Hinc S. Lucæ adstat Vituli facies, Divo Matthæo autem Juvenis alati imago, propria scilicet horum Evangelistarum symbola, quæ S. Hieronymus (*d*) ita exequitur: *Matthæus quasi de homine incipit scribere*: Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abram. *Lucas a Sacerdotio Zachariæ*: *Marcus a Prophetia Malachiæ*, *& Isaiæ*. *Primus habet faciem hominis propter genealogiam; secundus faciem Vituli propter Sacerdotium; tertius faciem Leonis propter vocem clamantis in Deserto*: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. *Joannes vero .... quasi Aquila ad superna volat, & ad ipsum Patrem pervenit, dicens*. In principio erat Verbum &c. Sed hac de re egimus in Tabula LXXII.

In ipso, quem paulò ante indigitavimus sacræ Vaticanæ Confessionis loco marmoreus extat lapis hic signatus num. 3, qui, Turrigio teste (*e*) ornamento erat Pii II. Pont. Max. sepulchro. Longus est palm. VI. latusque unum semis, octo insculptis rosis distinctus, & in ejus medio cælatum Jesu Christi nomen, quod splendores undique circumdant, occurrit. Idem Venerandum nomen græco monogrammate ☧, idest Χριςός, Christus, in vetustis lapidibus præsertim sepulchralibus expressum sæpe sæpius fuisse, alibi (*f*) animadvertimus. Sed & marmora nonnulla suppetunt, queis Jesus Redemptoris nostri nomen inscriptum est per litteras *I.* vel *IH.* Exempla suppeditant, qui sequuntur lapides. Vir Clarifs. Ludovicus Antonius Muratorius vetustum edidit (*g*) marmor æra Hispan. DCXXVIII. nempe anno Christi DXC. distinctum, & in unoquoque latere ita exaratum:

ARA

(*a*) Not. in Martyrolog. 25. Aug. (*b*) Tabula XII. confer & Tabula XXIX. (*c*) Turrig. Cr. Vat. pag. 24., & 32. (*d*) Lib. 1. contra Jovinianum. (*e*) Cr. Vat. pag. 101. (*f*) Tabula I. (*g*) Tom. IV. Veter. Inscript. Class. XXV. pag. MDCCCXL. num. 2.

☧
ARA
SCA
D. N. J. (idest, Domini nostri Jesu)
☧
CONSECRATA Ē
BASELICA HEC
SCE MARIAE
II K̄L. IVNIAS
E. DCXXVIII.
☧
DEDICAVIT
HANC AEDEM
D̄M̄S̄
BACAVDA
ĒP̄S̄ CPS

Lupius in Dissertatione, atque animadversionibus ad Severæ Martyris epitaphium (*a*) lapidem exhibet, ubi ad Varroniam Plotinam, cui titulus est inscriptus, referri credit verba in ipso lapide notata, IH ☧ ΔΟΤΛΗ scilicet, *Jesu Christi Ancilla*. Quæ sane appellatio Christianis Virginibus tribui consuevit, ut ex Aureliæ Agapetillæ, & Savinillæ epitaphiis apud Boldettum (*b*) evincitur. Aliud marmor, in quo Jesu Christi nomen eadem ferme ratione expressum inspicitur Marangonius in Actis S. Victorini Episcopi Amiterni & Martyris illustratis editisque Romæ 1711. vulgavit in hunc modum:

AVR. VENERIVS. IVLIAE VITALINI CONIVGI
BENEMERENTI. QVE VIXIT MECVM ANN. XVIII.
IH̄ M. III. D. X. DEP. XI. KAL. MART. DORMIT IN PACE ☧
QVAE VIXIT ANN. XL.

In lapidibus mox prolatis siglæ I. & IH. seu IH. procul dubio *Jesum* sonant; quemadmodum nota IC. apud Græcos idipsum denotat; ut videre est tum in panibus sacrificio immolandis, quorum formam Goarius (*c*) profert, tum in Vaticanæ Basilicæ antiqua abside, cujus schema Ciampinus (*d*) delineandum curavit, tum denique, ut alia prætereant monumenta, in Emmanuelis despotis, atque Alexii Comneni numismatibus apud Cangium in Dissertatione, qua inferioris ævi numismata illustrat (*e*): huc & Amalarius Episcopus respicit, dum in Epistola ad Hieremiam Antistitem Senonensem circa annum Domini DCCCXXVII. missa & ab Acherio (*f*) typis tradita inquit: *Græci his notis J. C. conscribunt illud nomen, & legunt* IHCOYC, Jesus.

Præterea dulcissimum hoc nomen tribus literis efformatum fuisse ex aliis patet vetu-

(*a*) Pag. 137. (*b*) Osservazioni sopra i Cimiterj de SS. Martiri lib. 2. cap. 12. pag. 466. & cap. 18. pag. 580. (*c*) In Euchol. Græcor. pag. 99. Edit. Venet. 1730. (*d*) De sac. Ædific. Tab. XIII. (*e*) Num. 28. (*f*) Tom. 3. edit. Parif. in fol. 1723.

ſtiſſimis monumentis. In cælato anulari onyche, ubi navis Eccleſiam referentis ſymbolum repræſentatur, & Chriſtus Dominus Sanctum Petrum fluctibus mergi incipientem erigens aſpicitur, literis Græcis ſiglas haſce expreſſas legimus: IHC ΠΕΤ, nimirum *Jeſus, Petrus*. Gemma hæc, quam Aringhius refert (*a*) & Hieronymus Alexander junior ſingulari Commentario (*b*); paucis autem, ſed veriùs explicat (*c*) multa præſtans eruditione Cl. Franciſcus Victorius, Equeſtris Ordinis S. Stephani Commendator; remotioris quidem ætatis eſt. Quoniam verò certum tempus, quo exculpta fuerit, decernere non auſim, idcirco alia monimenta percurrenda ſunt, quorum epocham abſque ulla controverſia figere licet. In Arnulphi epitaphio, quod Muratorio curante vulgatum fuit (*d*) ille notatur obiiſſe anno Incarnationis Domini Noſtri IHV Chr. DCCCXCIII. Idemque ſanctiſſimum nomen perinde efformatum occurrit tum in antiquis Inſcriptionibus, quarum altera IX. Eccleſiæ ſæculo exſculpta a Joanne Ciampino (*e*) exhibetur, aliaſque duas ad Sæculum VIII. ſpectantes legere eſt in marmore, cujus ectypon Panvinius (*f*) publici juris fecit, & in alio lapide, quem in Urbana S. Angeli Eccleſia Diaconali in Foro Piſcium extantem Turrigius (*g*) haud ſatis accuratè exſcripſit; tum in eo, quod prælaudatus Cl. Victorius illuſtravit (*h*) Alexandri Severi Imp. æreo numiſmate, hoc lemma præferente DN IHV XPS DEI FILIUS. Sed loco tertiæ literæ quandoque Y luculentiſſime apparet ſic IHY, quemadmodum prodit S. Gregorii III. ævo inſculptum marmor, ex Divi Pauli Baſilica Oſtienſi a Margarino (*i*) typis editum: Sæpiſſime autem cernitur S hoc modo IHS: quod complura teſtantur monumenta. Satis ſit duo commemorare numiſmata, alterum Juſtiniani II. (*k*), Flavii Baſilii & Conſtantini ejus filii alterum (*l*), quæ lemma hujuſmodi præferunt *ibs Chriſtus rex regnantium*. Nec ſecus nomen ipſum in eburneo diptycho ſacro, quod Bonarotius ſuis ad vitrea fragmenta obſervationibus adſuit, expreſſum reperimus; uti etiam in teſſera gentilitia Divi Bonaventuræ, qua ante ſuſceptam ſacram Purpuram utebatur, ut apud Ciacconium tom. 2. Vit. Pap. & Card. col. 194. videre eſt.

Verum enim vero ii recte, meo quidem judicio, Chriſti monogramma delineaverunt, qui ita repræſentarunt, IHC; quemadmodum occurrit in antiqua pictura ex veteri ms. Codice Bibliothecæ Cæſareæ a Lambecio edita (*m*) ubi titulus Chriſto Crucei affixo ſuperpoſitus ſic habet: *IHC Nazarenus rex Judæorum*. Græci ſane IHCOYC Jeſus, ſcribunt; cujus nominis aſſumptis primis tribus litteris, aut ſi vis duabus primis & poſtrema, majores noſtri monogramma ipſum formarùnt. Cum vero jam ante IX. Eccleſiæ Sæculum tertia ejuſdem monogrammaris nota Græca C in S Latinam fuerit immutata; hinc Amalarius Græce doctus per epiſtolas (*n*) Hieremiam, & Jonam Epiſcopos interrogat, num IHC an IHS ſcribendum ſit, quamquam ipſi videatur, priori modo auguſtiſſimum nomen exprimi oportere. Cui Jonas ita reſpondet: Sicut *X* & *P* (nimirum Chi, & Rho) *Græcis literis*, *& alia qualicumque Latina convenienti ſuperioribus*, *ſcribitur nomen Chriſti*; *ita I*, *&* *H*, *addita convenienti Latina*, *ſcribitur IHS*. Poſtea verò factum eſt, ut hujuſce monogrammatis nota H, non Græca vocalis ητα, ſed latina aſpiratio perperam exiſtimaretur. Hic error, uti alter omnino ſimilis; latinis nimirum elementis monogramma, XPS Chriſtus, eſſe compactum; ſcite refellitur in libro, qui Florentiæ anno MDXV. opera & ſumptu Philippi Juntæ editus eſt, & Conſtantini Laſcaris de octo Orationis partibus, aliaque multa ex variis Auctoribus complectitur. Voluminis iſtius verba ad rem ſpectantia commemoratus Franciſcus Victorius in medium profert pag. 37. ſuæ Diſſertationis cedro plane dignæ, *De vetuſtate*, *& for-*

(*a*) Rom. ſubterr. tom. 2. lib. 5. cap. 9. pag. 475. (*b*) Romæ edito MDXXVI. (*c*) In diſſertat. *De vetuſtate*, *& forma Monogrammatis Sanctiſſimi Nominis Jeſu* pag. 57. ſeq. (*d*) In novo Theſauro antiquar. Inſcription. tom. 4. pag. 1831. (*e*) Tom. II. Veter. Monum. cap. 16. pag. 112.
(*f*) Antiquitat. Veronen. lib. 1. cap. XI. pag. 131. edit. 2. (*g*) Crypt. Vat. pag. 540. ſeq.
(*h*) Diſſertat. cit. pag. 60., & Epiſt. ad Paulum Paciaudi. (*i*) Inſcript. Baſil. S. Pauli p. 4. n. 30.
(*k*) Apud laud. Victorium in nummo æreo Veter. Chriſtian. part. 1. cap. 37. (*l*) Apud Gorium tom. 1. Numiſmat. max. mod. muſ. Flor. Tab. IV. num. 3. (*m*) Commentar. Biblioth. Cæſar. to. 2. pag. 433. (*n*) Apud Acherium cit. tom. 3. pag. 330.

& forma Monogrammatis Sanctissimi Nominis Jesu; ex qua non pauca in compendium redacta huc derivavimus.

Sæculo Ecclesiæ XV. S.Bernardino Senensi conciones habente, monogramma ipsum pingendi mos plurimum invaluit. S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus in suo Chronico (*a*) sic narrat: *Eo tempore* (Martino V. Pontifice), *quidam fuit Ord. Minorum Frater Bernardinus nomine, Senensis Natione, venerabilis vitæ, & famæ præclaræ, egregius Prædicator, qui quotidie post Missarum celebrationem Populis prædicabat, discurrens per Civitates & oppida Tusciæ, Longobardiæ, & Ducatus Spoletani; & cum tanta gratia, ut Ecclesias, & Plateas audientibus impleret, & fructum plurimum Deo offerret ex Verbi Dei semine per eum sparso. Hic quemdam circulum mellifluum adinvenit, ut creditur, pia intentione; ut scilicet mellifluum nomen Jesu quasi obliteratum in cordibus Fidelium incalesceret. Nam pictum, vel sculptum Jesu nomen in magna tabula ornata Populo ostensum faciebat adorare. Hoc etsi simplicibus videretur devotionem afferre, sapientes arbitrabantur idololatriam, vel saltem ad superstitionem tendere; cum Populi magis venerarentur illas literas, quam significatum per eas, scilicet Jesum Christum. Imitati sunt eum aliqui Prædicatores Ord. Minorum, tales tabulas cum illo nomine in Processionibus ferentes, & cruci, quæ de more antefertur, præferentes. Hinc ortæ sunt magnæ in Populis contentiones, aliis factum commendantibus, aliis reprobantibus; cum etiam aliqua ad exaltationem illius nominis prædicando Bernardinus proferret, quæ veritati non videbantur inniti. Demum ad Curiam Romanam citatus super his fuit: Et Martinus Papa habita prius solemni per Magistros, & Prælatos discussione materiæ, & rationis adinventione illa ut superstitiosa & periculosa ostensa, Martinus prohibuit illud amplius fieri, nec Populis sic ostendi. Quod Bernardinus filius obedientiæ humiliter mandatum acceptavit, & integre observavit.* Huc usque S. Antoninus. Verum haud multo post Eugenius IV., anno sui Pontificatus primo, Bernardinum Christianis virtutibus clarissimum ab impacta per iniquos delatores, ac testes calumnia hæreseos vindicavit, & egregii Concionatoris zelum summis est laudibus prosequutus in literis hac de re editis, atque a Raynaldo (*b*) & Waddingo (*c*) evulgatis. Tum sane Sanctissimi Nominis Jesu monogramma Templorum, & Ædium foribus cæpit adfigi, ac tabulas cælari, & ærea, aliusque materiæ amuleta eodem emblemate insignita excudi solemne fuit; cujus generis monumenta duo ad eamdem S. Bernardini ætatem spectantia prælaudatus Victorius (*d*) suppeditat. Aliud nos in hac tabula num. 3. exhibemus ex Vaticano sepulchrali monumento Pii II. qui senis perinde, ac S. Bernardinus ortum habuit, & Christianam Rempublicam gubernavit eodem sæculo, quo vir ille Sanctus inclaruit. Vidimus nostra ætate Fratrem Leonardum Ligurem ex Oppido S. Mauritii, rigidioris Instituti, quod *Strictioris Observantiæ Sancti Petri de Alcantara* dicunt, Professorem, Divi Bernardini Senensis vestigiis insistere; coram Populi frequentia pene incredibili, & quandoque etiam in conspectu Sapientissimi Pontificis Benedicti XIV. summo cum zelo habere Conciones; hortarique Fideles, ut Sanctissimo Jesu Christi Nomine proprias Domos munirent: quod plurimi pie, ac laudabiliter præstiterunt: Utinam hi omnes suis moribus Christum Jesum exprimant.

Jam verò de duabus marmoreis imaginibus num. 4. & 5. in hac tabula signatis, quarum utraque palm. Rom. IV. altitudine protenditur. In ambitu Confessionis S. Petri ad Meridionalem partem hodie prostant, quondam verò Nicolai V. Pontificis sepulchrum cohonestabant, ut Inscriptiones docent eisdem suppositæ imaginibus; quæ alatos, atque tunicis indutos Angelos repræsentant. In Synodo generali VII. Act. 5. Tarasius Patriarcha Thessalonicensis Dialogo proposuit, *Angelos oportere pingi*, adeoque etiam cælari, *quoniam circumscripti sunt, & hominum specie multis apparuerunt*: addere illud quoque poterat, Deum (*e*) Moysi demandasse, ut duos ex auro ductili Cherubinos formaret, & ad utrumque propitiatorii sive oraculi arcæ latus apponeret. Joannis, atque Tarasii sententiam Concilium probavit. Ubi tamen animadversione dignum est, quod cum Joannes Thessalonicensis inter alias solidas rationes queis, evincebat, Angelos pingi oportere, illam quoque assumeret, *intelligi-*

(*a*) Tit. 22. cap. 7. §. 5. (*b*) Ad ann. 1432. num. 24. (*c*) Annal. Minor. tom. 10. pag. 189.
(*d*) Cit. Differt. de Vetust. Nom. Jesu pag. XVI. & XVII. (*e*) Exodi cap. 25. v. 18.

ligibiles creaturas non penitus incorporeas esse; peculiari huic argumento septima Synodus, quæ Iconomachorum damnationi unicè intendebat animum, neutiquam suffragata est, ut Theologi existimant. Sed & illud fateri ingenue debemus: antiquorum complures putasse, angelos constare corporibus, tametsi certum perinde est, alios secus credidisse. Angelos enim esse Spirituales, corporis scilicet expertes, plurimi Sancti Patres, non solum Latini, nempè Leo Magnus, Fulgentius, Gregorius, Isidorus, aliique; sed etiam Græci, Eusebius Cæsariensis, uterque Gregorius Nyssenus, Nazianzenus, Epiphanius, Chrysostomus, & alii *(a)* senserunt: quorum testimoniis innixum Concilium Lateranense IV. inquit *(b)*, Creatorem omnium sua omnipotenti virtute initio temporis utramque de nihilo condidisse Creaturam; spiritualem, & corpoream, Angelicam videlicet, & mundanam.

TABULA XXXI.

Tabernaculum sive Ciborium Sacræ Lanceæ custodiendæ, Summo Pontifice Innocentio VIII. curante, erectum quatuor Evangelistarum, totidemque Latinorum Ecclesiæ Doctorum effigies marmoreæ cohonestabant. Harum alias in aliis proximis tabulis incisas dedimus: duas hìc ejusdem orbicularis figuræ, ac mensuræ palmi 1. semis, in sacræ Vaticanæ Confessionis ambitu ad meridionalem partem muro affixas exhibemus. quarum prior signata num. 1. Divum Augustinus præclarissimum Catholicæ Ecclesiæ Lumen, mitra ornatum, apertum volumen gestantem, & veste, ut videtur, monastica indutum refert. Certe in Africam a S. Doctore monasticum Institutum primitus fuisse invectum colligi potest ex iis, quæ idem Augustinus de Petiliano loquens, literis commendavit *(c)* in hunc modum: *Deinceps perrexit ore maledico in vituperationem Monasteriorum, ac Monachorum arguens etiam me, quod hoc genus vitæ a me fuerit institutum*. Petilianus erat Episcopus Cirtensis inter Donatistas magni nominis; nec facile in re obvia mentitus fuerit: quod si falsum dixisset, illum sane Augustinus mendacii insimulasset. Id autem cum Aquilinus Doctor minime præstiterit, ex prolatis verbis inferre licet ipsum in Africa monastici Instituti Auctorem fuisse: quamquam Holstenius in præfatione ad Collectionem Regularum *(d)* nullo tamen pro sua sententia producto testimonio affirmat, e Capraria Insula, ubi Monacorum degebant greges, missos ad Augustinum Monachos id Institutum in Africam intulisse. Neutiquam vero dubitandum, quin Sanctus ipse Doctor, una cum Servis Dei, quos congregaverat, idem vitæ genus, quod Hierosolymis Apostolorum temporibus, Divo Luca teste *(e)* primi Christiani coluerunt, institutum scilicet habendi omnia communia, sectatus fuerit, ut diserte Possidius *(f)* & Augustinus ipse prodit *(g)*: non ideo tamen præstanda fides est suppositiis sermonibus ad Fratres de Eremo, qui eumdem Augustinum monastico indutum habitu perperam adumbrant; vel probandi sunt pictores, qui ipsum excalceatum, & cucullatum repræsentant. Eum sane tunicam, & byrrum gestasse, ex ipsiusmet verbis deduci potest; ait enim *(h)* *Nemo det byrrum, vel lineam tunicam, seù aliquid, nisi in commune: de communi accipiam mihi ipsi, cum sciam, commune me habere quidquid habeo*. Byrrus pro quavis veste in Cangii Glossario sumitur, & apud Sulpicium Severum *(i)* videtur a lacerna distingui: attamen in prolato textu, ut certe aliud est a linea tunica, ita fortassis lacernam designat (habitum scilicet pallio similem, sed breviorem, atque angustio-

(a) Apud Petavium tract. de Angel. lib. 1. cap. 2. & seq. to. 3. (b) Cap. *Firmiter* de summ. Trinit. (c) Lib. 3. contra Petilian. cap. 40. (d) Cap. 2. (e) Act. Apost. cap. 4. v. 33. (f) Vit. S. August. cap. 5. (g) Serm. 355. (h) Serm. 50. de Divers. al. Serm. 356. num. 13. (i) Dialog. 1. cap. 14.

stiorem) cum qua byrrum idem esse censent Salmasius, & Ferrarius in Libris de re vestiaria, aliique. In S. Cypriani Actis proconsularibus legitur Beatus Martyr in Agrum Sexti productus, sese *lacerna byrro* (Cod. 1. Germ. *byrro* tantùm habet) expoliasse; tum *dalmatica* exutus, in linea stetisse, cæpisseque spiculatorem sustinere: super quem Actorum locum consule Baronium ad ann. 261. num. 41. *Byrrum*, quo S. Odo Cluniacensis Abbas *tegebatur, more Cappæ per extremitatem fimbriæ apprehendentes* Dei famuli, obsequii gratia osculabantur (*a*). Sed præter tunicam, & byrrum, seu lacernam, calceamentis quoque Augustinus utebatur, quod tradit Possidius (*b*) cum de illo inquit: *Vestem ejus, & calceamenta, & lectualia* ex moderato, & competenti habitu fuisse, nec nitida nimium, nec abjecta plurimum. Quod autem ad vestium attinet materiam scribit S. Augustinus (*c*) moris fuisse ut interiora vestimenta linea essent, exteriora lanea; seque his verbis, *vestimentorum nostrorum*, cum aliis comprehendit. Hæc veterum testimonia, aliaque nonnulla ex Divi Augustini Operibus loca, si partium semoto studio, & animo ad veritatis inquisitionem unice composito expensa fuissent, non utique inter Canonicos Regulares Lateranenses, & Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini, tam acris de ipsius præclarissimi Ecclesiæ Doctoris habitu, ac de pictura orta esset controversia Sæculo XV. quæ cum scandalis, ut ait Sixtus IV., viam aperiret, hic Summus Pontifex utrique parti de prædictorum Ordinum origine disceptanti silentium indixit, edito ea de re Diplomate ann. 1484. quod tamen haud diu viguit observatumque est.

Jam verò ad alium lapidem num. 2. signatum, qui S. Hieronymi Ecclesiæ Doctoris *pene decrepitum* sese dicentis (*d*) effigiem præfert intuitum convertamus. Venerandi Senis Codicem legentis imago occurrit, barba valde prolixa, & ea vestis forma, qua vel habitum Regularis cujuspiam Ordinis, vel Cappam Cardinalitiam, ut suspicor, voluit delineator exprimere. Sic enim in alio marmore quod hujus Operis Tabula XXVIII. exhibet, S. Doctor indutus videtur. Hic autem Divum Hieronymum effigiandi modus ex falsa, & vulgata olim opinione, ipsum scilicet Cardinalibus S.R.E. fuisse adscriptum; quam sententiam alibi (*e*) refellimus; derivavit. Ad S Doctoris lævam insculptus, auroque obductus Leo aspicitur: quod hieroglyphicum aptissime Hieronymi in Hæreticis insectandis robur sane invictum, & vehementem in eos, instar Leonis rugitus clamorem; aut magnum, quo is tenebatur, solitudinis studium, ut ad laudatam Tabulam XXVIII. animadvertimus, designare valet. Fortassis verò abs re non est opinari, Ecclesiæ Doctorem Maximum cum Leonis effigie pingi consuevisse, ex pervulgata quadam historiola, quæ in variis illius actis (*f*) VIII. aut IX. Sæculo, ac posteriori etiam ævo elucubratis; ubi tamen falsa nonnulla habentur veris admixta; narratur: Leonem scilicet, cui sentes pedem sauciarant, claudumque effecerant, Monasterii Hieronymiani claustra ingressum repente Cænobitis timorem non modicum incutiisse. At Hieronymo curante, & metus e Fratribus depulsus, & ægrotanti leoni remedium est allatum: qui incolumitati redditus, cum in primis eidem S. Doctori, tum Monachis familiaris, atque domesticus, nedum mitis evasit. Mira quoque alia, atque portentosa in prædictis actis de ipso animali teferuntur, quæ prætermitto. Hanc sane Historiam, quæ nisi certis, probatisque Auctoribus confirmetur, Eruditorum fidem sibi conciliare nequit, rudibus sæculis Pictores, Sculptoresque Divum Hieronymum cum leonis imagine effingentes verosimiliter spectarunt.

Quod sub num. 3. sequitur marmoreum monumentum anaglyptico laboratum opere, latum palm. Rom. v. ac fere totidem altum, in ambitu Confessionis B. Petri ad meridionalem nunc existit, olim autem ornamento erat Sepulchro Cardinalis Heruli, de quo alibi dicemus. Lapis exhibet Deiparæ imaginem, Infantem Jesum gestantis; quamquam Christi simulacrum apparet capite, & manu dextra mutilum, utpotè in hac parte confractum. Sedet Maria Virgo, atque ad ejus dextrum latus Angelus adstat, aliusque ad lævum, ambo manibus cancellatis sive in

(*a*) Auctor Vitæ S. Odon. lib. 2. num. 5. sec. v. Sanctor. Ord. Bened. (*b*) Vit. S. August. c. 22.
(*c*) Serm. 37. c. 5. num. 6. (*d*) Epist. 142. nov. edit. Veronen. (*e*) Tabula ipse XXVIII.
(*f*) Quæ extant tom. XI. operum S. Hieronymi pag. 251. nuperæ edit. Veronensis.

in crucis formam compositis, tunica succincti, atque alati: qua quidem forma recte exprimuntur, ut significetur, eos cetissime Divina exequi mandata. Cæterum tres insculptos lapides, quorum schemata in hac Tabula dedimus, Turrigius in Cryptis Vat. pag. 18. 26. & 100. meminit.

TABULA XXXII.

QUÆ hic num. 1. & 2. notantur duo marmora anaglyphici operis, in Vaticanæ Confessionis ambitu ad meridionalem partem hodie conspiciuntur, lata palmos Rom. 11., alta palm. 111. Olim extabant, uti docet Inscriptio utrique lapidi supposita, ac Turrigius (*a*) confirmat, ad veteris Basilicæ altare S. Luciæ sacrum, quod a Beato Gregorio Summo Pontifice consecratum fuisse, ditatumque ejusdem S. Virginis brachio ibidem recondito, atque ornatos Oratorii parietes, ex majorum traditione Petrus Mallius (*b*) literis consignavit. Ipsum in trasversa Navi Templi Vaticani ad borealem partem, ut in Alpharani Tabula Ichnographica (*c*) videre est, primitus erectum fuit. Postea verò *in novæ Basilicæ parietem, qui novam Basilicam a vetere interfecat, fuit translatum sacellum cum altare S. Luciæ Virginis ex Ecclesiæ ruinis avulsum, intra quod idem Virginis brachium, sicuti a Beato Gregorio in prima consecratione positum fuerat, hac nova consecratione cum eadem theca honorificè collocatum est; & ante dictum altare S. Luciæ sepultus fuit in pavimento Basilicæ, sicuti marmore cernitur, Franciscus de Suno literarum Apostolicarum scriptor*: Verba sunt prælaudati Alpharani ex ejus Ms. Opere (quod in Vaticani Templi Archivio adservatur, & ejusdem Basilicæ veteris, ac novæ Descriptionem complectitur) cap. 8. num. 103. sub quo numero ipsum S. Luciæ translatum altare idem Auctor in Tabula Ichnographica pluries edita notavit. Ad cultum igitur vetusti hujus altaris & sacelli Joannes Cæsarinus, inter Canonicos Vaticanos anno MCDLXXVII. relatus, dote veluti constituta peculiares attribuit reditus, & addixit, quamquam ea dos postmodum *injuriâ temporum occupata* fuerit, ut in ms. volumine Descendentiæ Canonicorum & Beneficiatorum Vaticanæ Basilicæ pag. 614. legitur: præcedenti autem pag. 613. terg. monumentum refertur hujusmodi:

D. Luciæ sacrum Joannis Cæsarini Patritii Hispaniæ, Archidiaconi in Ecclesia Leodiensi, causarum Palatii & Cameræ Apostolicæ Auditoris, Basilicæ D. Petri Canonici, Juris utriusque Antistitis, eloquentia, Principumque gratia, & omni virtute illustris, ac summa ad quæque maxima spei. Ex benef. Camillus frater erexit. Hujus itaque Joannis Cæsarini esse conicio gentilitium stemma in utroque lapide cælatum, præferens scilicet ex una parte arborem, ex alia verò tesseram dentatam, quam scuti aram directè ex æquo dividit.

In prælaudata subterranea Divi Petri Confessionis parte extat gemina marmorea tabula, utraque opere anaglyptico elaborata in altitudinem palmorum v. cum quadrante, in latitudinem palm. supra 11. Nicolai V. Summi Pontificis Sepulchrum ambæ olim cohonestarunt: & prior quidem sub num. 3. S. Philippum Apostolum exhibet, qui dextera crucem gestat, martyrii genus procul dubio significantem. Sane in Martyrologio Romano is Hierapoli, Asiæ Urbe, cruci affixus, & lapidibus obrutus fuisse legitur: quod Venerab. Cardinalis Baronius ex Eusebii Chronico ad XII. annum Claudii confirmat (*d*). In optimis tamen editionibus, multisque veteribus Mss. ejusdem Chronici laudatum ab Eminentissimo Annalista Eusebii testimonium non reperitur. Utut sit, Pseudo-Hippolytus quidem Divum Philippum Apostolum capite inverso crucifixum fuisse, diserte prodit: funibus autem per talos traje-

(*a*) Cr. Vat. pag. 25. (*b*) Descript. Vat. Basil. num. 114. apud Bolland. mens. Jun. to. 6. part. 2.
(*c*) Num. 27. (*d*) In not. ad Martyrolog. 1. Maii.

jectis suspensum in altum, acta ejus testantur apud Bollandi continuatores. Cæterum S. Philippus tunica, & pallio indutus, prolixa barba, nudis pedibus, & codicem læva gerens aspicitur. Idem profecto habitus alteri est imagini sub num. 4. qua ex Apostolis quempiam repræsentari, nil prorsus dubito. Satis tamen haud scio, num ista Divum Jacobum præferat, ut Turrigius (*a*) affirmat inscriptionem recitans, quæ hujus Auctoris ævo extabat, his verbis conceptam: *S. Jacobi statua ornamentum sep. Nicolai V.* Ratio ambigendi est, quod in Cryptis Vaticanis adhuc supersunt similes alii duo lapides, quorum alter S. Jacobum Majorem, alter Divum Jacobum Minorem exhibet, & ambo olim Nicolai V. sepulchrum decorabant, uti epigrammata docent, ac refert Turrigius (*b*). Tria simulacra, quæ duos hosce Apostolos, aut duo marmora, quæ utrumlibet ex Jacobis exprimerent ad Pontificium illud monumentum fuisse apposita, difficile crediderim. Nihil hac de re Turrigius animadvertit, sed in eo ipso simulacro, quod præsens tabula num.4. intuendum offert, S. Jacobum contemplatus; baculum, quem Apostolus dextera gerit, hastile peregrinatorium esse innuit (*c*). Certe S. Jacobum Zebedæi, Majorem quoque appellatum, Peregrinorum more indutum, posterior ætas effigiavit, qui tamen Jerosolymis primus Apostolorum ab Herode Agrippa gladio cæsus est, ut S. Lucas literis consignavit (*d*).

TABULA XXXIII.

Anaglyphicum, & eleganter elaboratum in hemycycli figuram, quod hac tab. sub num. 1. exhibemus marmor, altum palm. 11. & ultra, longum verò iv. semis, capitis S. Andreæ Apostoli effigiem refert, quam duo Angeli decenter velo sustinent. Lapis iste in ambitu Confessionis B. Petri ad Orientem nunc visitur; sed olim ciborium, sive tabernaculum ornabat (*e*) quod Pius II. sacro ejusdem S. Andreæ Capiti, qua par erat Religione custodiendo erigi curavit. Insignis procul dubio exiistit Summi hujus Pontificis pietas in venerandum illud pignus ex Peloponeso ad Urbem delatum. Ubi primum ad Pontem Milvium Pius sacrum Caput ex Bessarionis Cardinalis manibus excepit, sui erga Sanctissimum Dei Apostolum animi affectus peculiari est oratione prosequutus, quæ lacrymas ab audientium oculis expressit. Hanc a Turrigio (*f*) ex ms. tabularii Vaticanæ Basilicæ editam, referre juvat, mendis nonnullis expurgatam.

„ Oratio a Pio II. Pont. Max. habita, „ cum is Sancti Andreæ caput ex Achajæ „ Peloponeso summo cum honore tradu„ ctum exciperet. Advenisti tandem, o sacros. & adoratiss. Sancti Apostoli Caput. „ Turcorum tua te sede furor expulit. Ad „ Fratrem tuum Apostolorum Principem „ confugisti exulans. Non deerit germanus „ tuus tibi; restitueris in solio tuo cum „ gloria, volente Domino; licebitque ali„ quando dicere: O felix exilium, quod „ tale reperit auxilium. Interea temporis „ cum tuo germano aliquandiu moraberis, „ & honore [illegible]ri cum eo potieris. Hæc est „ Alma Roma, quam prope cernis, pretio„ so tui germani sanguine dedicata. Hanc „ plebem, quæ circum adstat, Beatus Apo„ stolus frater tuus pientissimus, & cum eo „ vas electionis S. Paulus Christo Domino „ regeneravit. Nepotes tui ex Fratre Ro„ mani sunt: omnes te veluti, Patruum, „ Patremque suum venerantur, colunt, ob„ servant, & tuo se uti patrocinio in con„ spectu Magni Dei non dubitant. O Bea„ tissime Apostole Andrea, Prædicator ve„ ritatis, & Assertor Trinitatis eximiæ, quan„ to nos hodie gaudio reples, dum verticem „ tuum hunc sacrum, & venerandum co„ ram aspicimus, qui dignus fuit, in quo „ vi-

(*a*) Cr. Vat. pag. 102. (*b*) Ibi pag. 134. (*c*) Ibi pag. 102. (*d*) Act. Apost. cap. 12. v. 2.
(*e*) Turrig. Crypt. Vat. pag. 100. (*f*) Ibi pag. 227. seq.

„ visibiliter sub specie ignis in die Pentecostes sanctus resideret Paracletus. O vos, „ qui Hierosolymam petitis ob Salvatoris reverentiam visuri locum, ubi steterunt pedes ejus: ecce Sedes Spiritus Sancti, ecce „ Divinitatis solium: hic consedit Spiritus „ Domini; hic tertia in Trinitate persona „ visa est; hic oculi fuerunt, qui sæpe Dominum in Carne viderunt; hoc os sæpe „ Christum est allocutum; has genas non est „ dubium, quin sæpe Jesus fuerit osculatus: „ En magnum sacrarium, en Charitas, en „ Pietas, en Animæ dulcedo, en Consolatio Spiritus. Ecquis est, cujus viscera non „ commoveantur? Cujus non ardeant intima cordis? Cui non excidant præ lætitia lacrimæ in conspectu tam venerabilium, & pretiosarum Apostoli Christi „ Reliquiarum. Gaudemus, exultamus, jubilamus adventu tuo, divinissime Apostole Andrea: neque enim dubitamus, „ quin tui carnalis capitis comes adsis, & „ cum eo ingrediaris Urbem. Odimus Turcos Christianæ Religionis hostes; in hoc „ non odimus, quod tui adventus causa „ fuerunt. Nam quid nobis optatius contingere, quam tuum hoc onoratissimum „ intueri Caput, & ejus fragrantissimo perfundi odore? Id molestum est, quod adventanti tibi non eos honores impendimus, quos mereris, nec te possumus pro „ tua excellenti sanctimonia digne suscipere. Sed accipe voluntatem nostram, & „ mentem metire non fictam, atque æquo „ animo patere, quod pollutis manibus „ tua contrectamus ossa, & te peccatores intra mænia comitamur Urbis. Ingredere „ Sanctam Civitatem, & esto propitius Romano Populo: sit omnibus Christianis salutaris tuus adventus, sit pacificus ingressus tuus, sit felix, faustaque tua nobiscum „ mora. Esto noster Advocatus in Cœlo, „ & una cum Beatis Apostoli Petro & Paulo „ conserva hanc Urbem, & Universo populo Christiano pie consule, ut vestris patrociniis fiat misericordia Dei super nos, „ & si qua est ejus indignatio propter peccata nostra, quæ multa sunt, transeat ad „ impios Turcos, & ad Nationes barbaras, „ quæ Christum Dominum inhonorant. „ Amen.

Neque hæc tantum Pius II. erga Sanctissimum Christi Apostolum, sed alia etiam Religiosi animi argumenta edidit. Ubi enim certior factus est, Thomam Peloponesi despotem, capta a Turcis Constantinopoli, inde in Italiam concedere, secumque Divi Andreæ caput Romano Pontifici tradendum deferre; Alexandrum de Saxoferrato S. Susannæ Cardinalem, Virumque sanctimonia & eruditione illustrem ad excipiendum sacrum pignus Anconam misit, & hinc Narniam asportandum jussit ab eodem Cardinali: quod Alexander anno Domini MCDLXI. præstitit. Tum Pontifex anno sequenti pretiosissimi verticis translatione ad Urbem decreta, promulgatisque Indulgentiarum præmiis, queis donatos voluit qui celebritati interessent; Cardinali Bessarioni, prælaudato Alexandro, atque Francisco Cardinali Senensi demandavit, ut e Narnia Venerandum pignus Romam deferrent. Erat solemnis Palmarum dies XII. nimirum mensis Aprilis, cum illi in Urbem regressi, sacrum Verticem ad pontem Milvium in turri, relictis Archiepiscopis Sipontino, & Beneventano, qui excubias agerent, collocarunt. Pontifex Pius cum reliquo Senatu, cumque omni Clero, cum legatis Principum, & Proceribus Urbis, ingentique populi multitudine, Porta Flaminia egressus est manu tenens palmam, quam Cardinalium, & Prælatorum quisque pariter gestabat, acceptam præcedenti die ab eodem Summo Antistite ob Salvatoris memoriam. Ut primum in prata ventum est, jussit Pontifex Cardinales, & Prælatos ab equis descendere, acceptisque sacris vestibus albi coloris, reliquum itineris pedibus agere. In altum, amplumque suggestum, quem in pratorum medio Pontifex erigi mandavit, erant duo aditus per gradus clementes; alter ponti Milvio erat oppositus, alter Urbi, & dum Pius hunc ascendit præ gaudio & devotione lacrimas effundens, sequente Cardinalium Collegio, Cleroque omni, Bessarion cum aliis duobus Cardinalibus alterum scandit, arculam ferens, in qua sacrum Caput continebatur, eaque deposita in altaris medio, Cantoribus sacra Carmina occinentibus; ac postmodum præsentatis Clavibus, recognitisque obsignaculis reserata, Bessarion accipiens sacrum Apostoli caput, flenti Pontifici tradit. Mox Pius in genua provolutus, eam, quam paulo

do ante retulimus, orationem habuit: Dein venerandum pignus osculatur, ut etiam alii, qui in suggestu erant; preces ad Deum fundit, illudque populo frequentissimo ostensum, Cantoribus Hymnum, *Te Deum laudamus*, aliudque carmen sacræ huic functioni proprium, quod Agapitus Episcopus Anconitanus ac Civis Romanus, jubente ipso Pontifice elucubraverat, concinentibus; & religioso Cleri agmine instructo, ad Ecclesiam defert *S. Mariæ de Populo* nuncupatæ, ac in altari sistit, ibique vigilias agendi curâ nonnullis Episcopis commissâ, in Monachorum Ædibus pernoctat. Postridie ex Deiparæ templo ad Vaticanam S. Petri Basilicam pretiosus quidem thesaurus est deportatus. Quamquam præcedente nocte imbres adeo ingentes ceciderint, ut optatæ translationis spes præcisa esse videretur, quod cunctos, ac eos præsertim, qui ex Germania, Gallia, & Hungaria, atque regionibus Transalpinis Romam petierant, sacram spectaturi functionem, ac Indulgentiarum thesauro participes futuri, summo affecit mœrore; ventus tamen paulo ante solis ortum nubes omnes pepulit, & Cœlum nitidum, serenumque reddidit. At cum nox pluviosa multum luti superinduxisset viæ, qua eundum erat, & transitus in lubrico solo Sacerdotibus sacra ferentibus, & sacris indutis vestimentis difficillimus appareret;tum longitudo itineris gravis videretur senibus, nam circiter duo millia passuum conficienda erant ab Æde S.Mariæ de Populo ad Basilicam Sancti Petri per mediam Urbem; idcirco multorum sententia fuit, indulgendum esse Cardinalibus, Episcopis, & Abbatibus, ut in equis incederent; reliqui pedibus ambularent. Id Pontifici minime placuit, ne vel divisa Processionis pompa videretur, vel parva Sacerdotum devotio, & minor impensa Divino Apostolo reverentia; jussitque ut omnes pedibus irent, ac ita sacrum Verticem honorarent, dignique fierent Indulgentiis: siqui vero senes, aut valetudinarii id laboris subire non possent, alia via equitanes ad Vaticanam pergerent Basilicam, & ibi expectarent ante fores adventum pompæ: & nihilominus qui totum iter pedibus agere nequirent, possent autem partem, tantum irent, quantum suo ex arbitrio valerent, selecto loco, ex quo possent ad Sanctum Petrum pervenire. Perpauci fuerunt, qui non totum iter ambulare decreverint. Ex Cardinalibus quidem Joannes Penestrinus extremo confectus senio & Prosper Columnensis podagra vexatus ad Vaticanum occultis aditibus se contulerant. Ludovicus Cardinalis S.Laurentii in Damaso, domi se continuit, sive mundo implicitus domestico, sive quod ei solemnitati non ex animo favebat. Nicolaus S. Petri ad vincula, & Joannes Sanctæ Priscæ gravi detenti valetudine, cum interesse non possent, petierunt, ut domi manentes, Indulgentiarum participes fierent, quod Pontifex indulsit: Nec Philippum Cardinalem Bononiensem Nicolai Papæ V. germanum morbus recens interesse permisit. Bessarion Tusculanus Episcopus parum validus in Campo Floræ sese pompæ immiscuit, & ad Ædem Principis Apostolorum non sine gravi labore pervenit. Reliqui omnes Cardinales, excepto Ruteno iter totum pedibus exegerunt. Paucissimi quoque ex Episcopis absuere, quamvis multi ægrotarent. Fuitque grande spectaculum grandævos videre senes suis pedibus per lubricum ambulantes, palmas in manu gestantes, & in canis capitibus albas portantes Mitras, vestimentis Sacerdotalibus indutos, nusquam flectentes oculos, sed orantes, ac Divinam Misericordiam super populo implorantes: & nonnulli, qui prius in deliciis enutriti vix centum passus ire poterant; non equis vecti, hac die duo millia passuum onusti sacris vestibus in luto, & aqua facile perrexerunt. Fuitque in omnium vultibus gravitas & religio & devotio; adeoque modeste incessit Cardinalium ordo, ut supra modum astantes turbæ commoverentur ad Religionem. Nec dissimilis visus est Episcoporum, & aliorum Prælatorum, ac totius Cleri incessus. Aderant Ecclesiarum Urbis Sacerdotes, Sanctorum Reliquias præferentes. Aderant splendide vestiti Romani Cives Conservatores Cameræ, Principes Regionum, & reliqui Magistratus, Legati quoque Regum, & Principum, & Urbis Barones, ferebantque manibus ardentes cereos, & suum quique ex ordine locum tenebant. Pars Legatorum, ac Nobilium circa Pontificem collocata est, auratum ferens supra Caput Apostoli pannum, qui Solis radios averteret, quasi umbraculum, sive ut vul-

gò dicitur Baldachinum: Reliqui antecedebant Clerum. Sunt qui asserunt, triginta millia candelarum ardentium in processu Cleri & Populi eo die supputata fuisse ad pontem Hadriani, dum illac bini & bini transirent homines: tantusque inventus est Sacerdotum numerus Sacra ferentium, ut qui priores incesserant, antea ad S. Petrum pervenerint, quam Pontifex e loco suo se moverit; tametsi alter instabat alteri, & præcedentis vestigium mox, qui sequebatur, occupabat. Pompa jamdiu cœperat, sacrumque egerat Pontifex, cum hic descendit humeris hominum, ut consueverat, sella vectus aurea; nam pedum usum jampridem abstulerat podagra, misitque Ostiensem Episcopum, qui duobus Cardinalibus sociatus ex Æde S. Mariæ, Apostoli caput ad se ferret: illi enim ob Plebis frequentiam non patebat ad Ecclesiam aditus. Receptum est ex altari nobile pignus, ac Pontifici traditum; qui illud osculatus, accipiens, & ante se ferens, atque circumfusæ multitudini benedicens, cæpit procedere hora jam decima tertia. Flexit Pontifex ad dexteram Tiberim versus, & secundum fluminis ripam incedens, ad lævam reliquit Augusti tumulum. Ad frequentia Urbis Ædificia ventum est dextro itinere: tum pompa ad sinistram flexit, & per arctos Civitatis vicos, & altas Ædes ad Templum Pantheon accessit: atque illac per plateam magni templi vertit se ad sacram Divi Eustachii Ædem: ibique rursus sinistrorsum itum est; deinde ad dexteram inclinatum, & via processum, quam Papæ vocant usque ad Ædes Maximi recens tunc editas. Illinc denuo sinistrum iter acceptum usque in Campum Florum, & in platea S. Laurentii in Damaso; hinc juxta ripam Tiberis ad Pontem Hadriani perventum: ubi Ponte transmisso per viam sacram, nunc *Borgo Vecchio* ad Vaticanam Basilicam iter habitum, quod ubique floribus & odoriferis herbis stratum fuit. Qua verò frequentes Civium Ædes inventæ sunt, tecta erat pannis, ac ramis arborum via, ne sol offenderet; & omnes domorum parietes ornati, quos aulea, pictique tapetes operuerant. Matronæ, ac Virgines in ostiis, & in fenestris domorum cum luminaribus pompæ transitum religiose intuebantur. Per universas vias erecta altaria conspiciebantur, passim thura, atque thimiamata ardebant, & odoratæ arboris ramusculi: pictas tabulas, egregias statuas, & quæ vivos exprimerent vultus, quisquis domi habuit, in portieu, ante fores, in propatulo collocavit. Nec Thusci Negociatores, mensariique, qui prope Hadriani pontem habitabant, suas domos inornatas reliquere; imò alter alterum, & sumptu, & novarum rerum studio superare contendit. Multis in locis personatus varii visebantur: Pueri Angelos Cœli repræsentantes, alii dulce canebant, organis psallebant alii, nec alia deerant musicæ artis instrumenta. Carmina quoque plurima appensa parietibus legebantur ab selectis ingeniis recens edita; quæ grandioribus conscripta literis, & Divi Apostoli laudes, & Pii Pontificis præconia complectebantur. Hoc igitur summo Præsule in plateam, quæ ante Vaticanam Basilicam late patebat, quamve externus impleverat populus (nam Romani, præter eos qui pompam duxere, in suis vicis manserunt, præsertim feminæ) perveniente, maxima exorta est vociferatio: Cuncti nimirum ad aspectum capitis Divi Andreæ, sua tundentes pectora cum gemitu sese Christi Apostolo commendabant. Ascendit Pontifex marmoream scalam multorum graduum, quam ipse magno sumptu paulo ante construxerat præ foribus atrii; vetus enim illa, Constantini opus, jam defecerat: superatoque summo gradu, vertit se ad multitudinem, & benedixit ei, sacrum ostendens verticem. Ingressus verò atrium, contemplatus effigiem B. Petri, quæ ante vestibulum Templi sedet, tanquam statua illa germani adventu lætabunda fleret, collacrimatus est; duorum fratrum, qui se jampridem non vidissent, concursum, atque complexum mente revolvens: Processitque inde in Ecclesiam, quæ tota luminibus ardere visa est; nam & ipsa plena erat viris, ac mulieribus, & pauci erant non habentes aut candelas, aut cereos in manibus accensos: tum lampades innumerabiles, & candelabra lucebant, quæ omnia modulantibus organis, & canente Clero admirabiliora reddebantur. Aræ principi caput Divi Andreæ impositum; quod Prælati, & qui aderant præstantes viri exosculati sunt. Tum Bessarion Cardinalis dextrum apprehens altaris cornu, & hinc sacrum Apostoli caput, illinc Pontificem intuens, eam habuit Oratio-

tionem, quæ incipit: *Ecce Frater tuus Beatissime Petre Apostolorum Princeps, & tu vas electionis, & Doctor Gentium &c.* quave inducit Andream enixe postulantem germani sui Petri opem, ut Christicolæ sub Turcarum tyrannide gementes libertate donentur; atque id ipsum a Pio summo Præsule petentem. Hic verò postquam Bessarion orationem absolvit, ita plane respondit: „ Si loqui possent Beatorum Apostolorum sacratissima corpora, quæ sub altari jacent, adventu profecto tui venerandissimi Capitis, Dive Andrea, magnopere congratularentur, & verbis amplissimis suam lætitiam explicarent, & quæ per te petita sunt auxilia, ultro promitterent: sed requiescunt illa sine voce usque in diem Resurrectionis. Sentiunt tamen hodie, sicut vere credimus, ob præsentiam tam cari & tam cognati capitis miram suavitatem, & internam quandam dulcedinem, maxime Beati Petri germani tui ossa, quibus fraterna charitas plus aliquid affert: spiritus autem eorum in cœlo sunt in Regno Christi: nec dubium est, quin de te cogitent, & opem divinam implorent, qua tuus hic vertex in suum solium restituatur. Agit Petrus, agit Paulus tuam causam, & digni sunt ambo qui exaudiantur a Domino: ne dubita, exaudiet Jesus Christus vocem Fratris tui, cujus est non fratrem tantum, sed fratres omnes confirmare, dicente Domino ad eum: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos; quod non inepte ad confirmationem sedium trahi potest. Restitueris, volente Altissimo, fratris auxilio, & Beati Pauli precibus; & confirmaberis in eo, ut speramus, usque in finem sæculi. Quantum verò ad Nos attinet, quia nostri quoque facta est mentio, qui locum germani indigne tenemus, ne multis moremur, tibi, Andrea dignissime Christi Apostole, quem ab ineunte ætate cultu praecipuo venerati sumus, & intra Coeli Cultores cum plerisque aliis nobis Advocatum, & Protectorem elegimus, omnes suppetias, quæ sunt in nostra potestate, ad recuperandas oves, tuamque domum hic in terra, volenti & cupido animo pollicemur. Nihil est enim, quod nobis magis cordi sit, quam Christianæ Religionis, & orthodoxæ fidei defensio, quam tui, nostrique hostes Turcæ conculcare nituntur. Quod si Christiani Principes nostram vocem audire voluerint, & suum Pastorem sequi, videbit, & lætabitur omnis Ecclesia, nec nos quæ sunt officii nostri neglexisse, nec te frustra huc impetratum fratris auxilia venisse „. His dictis, & collecta decantata, surgens dimisit in altari nobile pignus, ut omnibus ea die videndum pateret, auditoribusque sacri Palatii custodia demandata. Indeque abiens cantantibus Cardinalibus, & Episcopis, & alta voce Deum laudantibus, contendit ad locum, ex quo videri poterat, & multitudini benedixit, ac filius fratris ejus, Senensis Cardinalis, plenarias Indulgentias annunciavit: in Palatium reditum est. Celeberrimæ hujus translationis historiam, prætermissis tamen nonnullis minus necessariis, eisdem fere verbis recitavimus, quibus ea legitur in Pii II. Commentariis (a) tum prælo editis, tum manu exaratis: Horum autem nomine præstantissimum intelligo Bibliothecæ Corsinianæ codicem commentaria ipsa complectentem, utpote quem Joannes Gobellinus eidem Pontifici ab epistolis, ad voluminis calcem se excripsisse testatur: unde etiam elicere fas est, Pium II., ut tradit Platina, illius operis germanum esse auctorem, non vero Gobellinum, sub cujus nomine Commentaria eadem Bandinus Piccolomineus Romæ an. Domini MDLXXXIV. typis evulgavit, & summo Antistiti Gregorio XIII. nuncupavit. Unum dictis adjiciam: Particulam scilicet capitis Sancti Andreæ Apostoli in pervetusta sane theca ex argento inaurato, quæ ipsum sacrum caput & repræsentat, & apud Patracenses continuerat, inclusam, anuloque Piscatoris obsignatam laudatus Pius II. Ecclesiæ Pientinæ dono dedit: Hinc Pientinorum, eisque proxime circumjacentis populi existit peculiaris erga Sanctum Apostolum cultus; ad cujus augmentum Franciscus Maria ejusdem Pientinæ Ecclesiæ Pontifex, Piccolomineæ gentis ornamentum, & majorum suorum in S. Andream pietatis æmulus, anniversariam translatæ ipsius particulæ memoriam ritu

(a) Lib. 8. sub initium.

ritu solemniori a Pientinæ Urbis clero celebrandam curavit.

Lapidi (*a*) quem hujus tabulæ numerus 2. signat, suppoſita legitur Inſcriptio: *Crux hæc marmorea erat olim ad ſepulcrum Pii Papæ II.* Marmor anaglyphicum crucem preſeferens, altum eſt palm. II. ſemis, & latum palmo I. cum dimidio; ſed amplius protenditur, ſi aliis, qui illud circumſtant lapidibus commiſſum ſpectetur. Ex hiſce tabulis ſuperior columbam, Spiritus Sancti ſymbolum, exhibet ſplendoribus fulgidam; quæ autem hinc inde conſpiciuntur, alatos Angelos repræſentant, & ſi Gittium (*b*) audiamus, prælaudatum Pii II. ſepulcrum ornabant, quondam in Vaticana Baſilica exiſtens, ut alibi diximus.

TABULA XXXIV.

Prior hujus Tabulæ figura ſub num. I. marmoream Chriſti imaginem exhibet, altam palm. Rom. III. ac ferme ſemis; & qua magis protenditur, palm. item III. latam: quæ ſi Turrigio credimus (*c*) ad Bonifacii VIII. ſepulchrum extabat, nunc certe altari imminet in Cryptarum veterum Occidentali parte. Redemptor noſter elata dextera, pollice conjuncto cum digito medio, ſiniſtra verò librum gerens conſpicitur; de quo volumine, uti etiam de digitorum manus dexteræ benedicentis diſpoſitione, alibi diximus (*d*). Quamquam in antiquis imaginibus nunc coma non admodum prolixa, ſed duobus hinc inde cincinnis attorta, nunc brevibus, attonſiſque capillis, & imberbis non ſemel appareat; in hoc tamen marmore barbatus, & capillo oblongo, atque in humeros defluente, quemadmodum & in aliis longe vetuſtioribus monumentis occurrit; pallio denique, & tunica indutus cernitur. Hanc verò duplicem veſtem Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum geſtaſſe ex Joannis Evangelio Cap. XIX. verſ. 23., & 24. non obſcure intelligimus. Hic enim duo Chriſti indumenta S. Joannes commemorat; alterum a militibus in quatuor partes diſſectum; alterum inconſutile, nimirum tunica, quæ idcirco diſciſſa non fuit. Prius illud indumenti genus Vulgata verſio appellat *Veſtimenta*; Textus autem Græcus *ἱμάτια* dicit. At vocabulum *ἱμάτιον*, ut videre eſt apud Græcos Lexicographos & Suicerum, ſæpenumero *pallium* latine ſonat: hinc vetuſtiſſimus Auctor Italæ Pſalmorum verſionis apud Vaticanæ Baſilicæ Clerum uſitatæ, verſiculum VI. Pſalmi CIV. (*e*) *Ἄβυσσος ὡς ἱμάτιον τὸ περιβόλαιον αὐτοῦ*, ſic reddit: *Abyſſus ſicut pallium amictus ejus*. Vox igitur *ἱμάτια*, etſi pluriali numero, fortaſſis ex græce loquentium more a S. Joanne uſurpata, in prælaudato Evangelii loco *pallium* videtur deſignare. Equidem Euſebius (*f*) & Sozomenus (*g*) apud Cæſaream Philippi ad ſua uſque tempora æream Servatoris noſtri ſtatuam pio ſtudio mulieris a ſanguinis profluvio liberatæ, illi erectam, indutamque *διπλοΐδα*, hoc eſt pallium duplicatum, quale apud Bonarotium (*h*) occurrit; profeſſe tradunt. In eadem figura apparet Chriſti tunica undequaque clauſa, nullis conjuncta vinculis, aut fibulis, ſimiliſque plane ſubuculis ſeu camiſiis nulla parte ſciſſis; & hac ratione, non quod nullas futuras haberet, a Divo Joanne *ἄῤῥαφος* inconſutilis vocata eſt, ſi Claudium Salmaſium in Vopiſcum audiamus: Nam fibulas illas, ſeu corrigias, aut potius tunicarum partes & oras fibulis inter ſe conjunctas & commiſſas Novator ille, humanarum literarum cæteroqui ſcientiſſimus, Græcis *ῥαφὰς* dictas fuiſſe pluribus adſtruere nititur, ut videre eſt apud Suicerum in Rerum Eccleſiaſticarum Theſauro (*i*). Non ideo tamen improbandam cenſeo Octavii Ferrarii ſententiam, qui lib. 3. de re veſtiaria cap. 16. propugnat, tunicam illam inconſutilem vere fuiſſe non conſutam,

(*a*) Turrig. Crypt. Vatic. pag. 102. (*b*) Deſcript. Baſil. Vatic. pag. 75. (c) Turrig. Cr. Vat. pag. 285. (*d*) Tabula II., & X. (*e*) In Latinis Verſionibus numeratur CIII. (*f*) Hiſt. Eccl. l. 7. c. 18. (*g*) Lib. 5. (*h*) Vitr. Tabula V. fig. 3. pag. 35. & ſeq. (*i*) Verbo Χιτών.

tam, ideſt ſarcinatoris acu minime, nullaque in parte conſutam, ſed ad inſtar ſubucularum, & tibialium, quæ apud nos ſerica, vel lanea tota ſimul texuntur, non quidem pectine, & in tela, ſed per acus longiores reticulatim conficiuntur. Albertus quoque Rubenius lib. 1. de re Veſtiaria cap. 9. Salmaſium reiicit, & vulgatæ de inconſutili Redemptoris noſtri tunica opinioni ſuffragatur.

In ſecunda præſentis Tabulæ figura ſub num. 2. aſpicitur marmorea Chriſti imago pietatem excitantis: Latitudine palm. Rom. v. altitudine palm. fere quatuor extenditur; ac olim honeſtabat Calixti III. Sepulchrum, quod integrum ænea tabula inciſum videſis apud Ciaconium *(a)* Lapideum hoc fragmentum affabre elaboratum ne intercideret anno MDCXXXI. in Cryptiis veteribus ad Occidentalem partem ſupra altare, curante Turrigio. *(b)* collocatum fuit. Hic quoque barbatus, & crine in humeros defluente Chriſtus Dominus exhibetur.

In eadem veterum cryptarum parte, Turrigio item curante *(c)*, parieti adfixum eſt anno Domini MDCXXXI. die 3. Januarii marmoreum monumentum, quod tabula hæc fig. 3. repræſentat. Ipſum palmi unius Romani menſuram fere exæquat; & agnum exhibet nimbo ad caput inſignem, ac pede anteriori dextro elevato, veluti incedentem, nec non crucem, quæ ad ejuſdem agni tergum aſtat, vel potius incumbit. Ubi olim extiterit mihi ſane latet: Sed agni effigiem apud Majores noſtros celebrem fuiſſe, rerum antiquarum Periti probe norunt. Hanc veteres Chriſtifideles tum in Muſivis, in Baſilicarum præſertim abſidibus expreſſerunt, tum in ſacrarum Ædium ſuperis liminibus, & in ſarcophagis aliquando cælarunt. Sanctorum Coſmæ, & Damiani abſis hodiedum extat, in qua agnum ſub Cruce jacentem ſpectamus: idipſum, ut alia hujus generis monumenta prætereram, in antiqui templi Vaticani abſide a Joanne Ciampino *(d)* exhibita olim cernebatur: cujus quidem abſidis partem, in qua agnus ſub cruce expreſſus erat, Auguſtin. Mariotti vir tum ſacra tum profana eruditione inſtructus ex apographo, quod poſſidet, accuratius delineandam curavit, & P. Brandolini de Salvatoris noſtri morte Orationi a ſe in Hetruſcam linguam converſæ præmiſit. Agnus itidem in liminibus Eccleſiarum S. Pudentianæ, & S. Stephani Æthiopum in Vaticano ſculptus apparet. Ad ſarcophagos quod attinet, in templo Sanctæ Mariæ Cryptæ Ferratæ anno MDCCXXXIX. loculus fuit repertus, in cujus extima parte agnus depictus conſpicitur ferme ad ejus inſtar, quem in præſenti damus tabula. Sepulchrum iſtud oſſa Benedicti IX. Rom. Pont. continere nonnulli judicarunt, quos inter D.Gregorius Placentinus, ut rem evinceret, diſſertationem concinnavit ſane eruditam an.Domini MDCCXLVII. typis excuſam. In ea contendit *(e)* Romani Antiſtitis teſſeram, ſeu Pontificium inſigne eſſe agni imaginem in prædicto loculo depictam: utque ſuam hanc ſententiam fulciat, vetuſtiſſimum Cryptoferratenſis Eccleſiæ altare indigitat, in quo Pontificiæ claves hinc inde ſuperiori parte exſculptæ ſunt, ad lævum vero cornu apparet agnus ejuſdem figuræ & habitus ac in tumulo cernitur. Hujuſce auctoris inter Baſilianos Monachos non minus doctrina, quam modeſtia, aliiſque virtutibus admodum conſpicui, quem amicitia mihi conjunctum, apoplexiæ ictus nuper e medio ſuſtulit, recitatam opinionem libens amplecterer, ſi eam ſolidioribus argumentis confirmatam viderem. Idcircò ſatius arbitror, paucis demonſtrare in agni effigie, vel crucem geſtantis, vel ſub ea jacentis, a primis etiam Chriſtianæ Reipublicæ temporibus Redemptorem noſtrum Chriſtum Jeſum ſymbolice deſignari conſueviſſe. Duos tantummodo hujus rei teſtes, eos tamen locupletiſſimos, proferam. S.Paulinus Antiſtes Nolanus *(f)* picturam, qua Eccleſiam ſuam Fundis exornandam curavit, eleganter deſcribens tradit, in ea agnum ſub cruce expreſſum fuiſſe, qui Chriſtum referebat, hoſtiam Deo pro nobis oblatam. Verba Paulini hæc ſunt.

Sub

(a) Vit. Pap. & Card. tom. 2. pag. 087. *(b)* Crypt. Vatic. pag. 344. *(c)* Ibi pag. 333.
(d) De fac. ædific. Tabula XIII. *(e)* Pag. 28. ſeq. *(f)* Epiſt. 12.

Sub cruce sanguinea niveo stat Christus in agno ;
Agnus ut innocua injusto datus hostia leto .

Salvatorem nostrum ita adumbrare antiqui Fideles dubio procul didicerant tum ex Prophæta Isaia (*a*) qui de Christo ait : *Sicut ovis ad occisionem ducetur , & quasi agnus coram tondente se obmutescet , & non aperiet os suum* : tum ex Divo Joanne Præcursore , qui Jesum videns inquit (*b*) *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum Mundi* . Alterum testimonium est Synodi Quinisextæ anno Domini DCXCII. habitæ , cujus Patres cum statuunt, ut agni effigiei substitueretur humana Christi forma ; vetustissimum , de quo agimus, ritum non obscure innuunt . Canon quippe LXXXII. Concilii hujus a Sede Apostolica reprobati sic habet : *In nonnullis venerabilium imaginum picturis agnus , qui digito Præcursoris monstratur , depingitur , qui ad gratiæ figuram assumptus est , verum nobis agnum per legem Christum Deum nostrum præmonstrans* (*c*) . *Antiquas ergo figuras & umbras , ut veritatis signa & characteres Ecclesiæ traditos , amplectentes , gratiam , & veritatem præponimus, eam ut legis implementum suscipientes . Ut ergo quod perfectum est vel colorum expressionibus omnium oculis subiiciatur , ejus qui tollit peccata Mundi , Christi Dei nostri humana forma characterem etiam in imaginibus deinceps pro veteri agno* (*d*) *erigi , ac depingi jubemus* . His adiicere juvat Amalarii locum ex lib. I. de Ecclesiasticis Officiis (*e*) ubi scriptor hic noni sæculi , de Sabbati Sancti ritibus edisserens, ex vetustissimo Romano Ordine ita loquitur : *Romanus Libellus narrat eodem die* (Sabbato Sancto) *benedici ceram oleo mixtam : indeque fieri agnos , eosque reservari usque in octavas Pascha . In octavis verò post communionem dari populo . . . . . Agni quos Romani faciunt , agnum pro nobis factum immaculatum designant. . . . . . Quando agnum de cera videmus , agnus præfiguratus , & in Pascha immolatus ad memoriam reducitur . Cui S. Gregorius oleum infundit, quando Mysteria paschalis agni reseravit* . Duo quidem ex adducto Amalarii testimonio docemur , alterum scilicet, fideles in agni effigie Christum Dominum fuisse contemplatos ; alterum vero , ut obiter dicam , ritum agnorum cereorum esse in Romana Ecclesia vetustissimum , cum de illo Amalarius verba faciat ex Romano Libello , sive Ordine, qui sane Amalario ipso antiquior est .

Quæ superest quarta figura , mensam præfert , sive marmoreum abacum ; cujus sustentaculum , non inconcinne scalptum altitudine palmos Rom. III. & quadrantes totidem exæquat . Ad cornum dextrum altaris de Pietate nuncupati , de quo paulo ante memini in secunda hujus tabulæ figura , lapis hic collocatus cernitur .



TA-

(*a*) Cap. 53. v. 7. (*b*) Joann. cap. 2. v. 29. (*c*) Τὸν ἀληθινὸν ἡμῖν διὰ τοῦ νόμου προϋποφαίνων ἀμνὸν Χριστὸν τὸν Θεὸν ἡμῶν . (*d*) Ἀντὶ τοῦ παλαιοῦ ἀμνοῦ .
(*e*) Cap. 17.

TABULA XXXV.

Comitissæ Mathildis munificentiam in S. Romanam Ecclesiam Domnizo presbyter ejusdem piissimæ Matronæ rerum gestarum scriptor coævus, oculatusque testis ita literis consignavit.

Propria Clavigero suo subdidit omnia Petro,
Janitor est Cœli suus hæres, ipsaque Petri.
Accipiens scriptum de cunctis Papa benignus &c.

Hic nimirum fuit Gregorius VII., quo Pontifice Mathildes patrimonium suum Divo Petro, ejusque Apostolicæ Sedi Religiosa obtulit. Cum vero hujusce Donationis diploma, aut deperditum esset, aut alicubi lateret; ne ipsa aliquando posset in controversiam revocari, aliud munificentiæ suæ monumentum inclita Princeps confici voluit: quod primum in membrana exaratum est, deinde marmore incisum patebat olim adeuntibus veterem S. Petri Basilicam; ubi Mallio teste, nomina quoque Civitatum, quas Carolus Magnus Romanæ contulit Ecclesiæ, in valvis æneis magnæ Porticus adnotata legebantur. Inscriptus ille lapis jampridem intercidit; cujus tamen fragmentum in hac tabula expressum Turrigius in Cryptarum pavimento nactus anno Domini MDCXXXI. mensis Februarii die 3. in eisdem Cryptis muro adfigi curavit; alia verò ærea tabula primus edidit (*a*) Stephanus Borgia, temporalis dominii Apostolicæ Sedis illustrandi studiosissimus præsul, tum hoc, tum aliis certe nominibus de Romana Ecclesia optime meritus. Idem autem Turrigius eam, de qua præfati sumus, posteriorem donationis chartam, juxta Ms. Sebastiani Vannini sic typis excudit (*b*) ut ea quæ in ipso fragmento habentur, literis uncialibus, & majoribus exprimi, cætera characteribus minoribus exhiberi voluerit. Idipsum hic a me præstandum censeo: integram tamen dabo ipsius donationis chartam prout ex veteri Codice Leibnitius tom. I. Rerum Brunsvicensium (*c*) ac deinde Muratorius (*d*) evulgarunt:

„ In Nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis, anno ab Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi MCII. xv. die Kalend. Decembris Indictione x. Tempore Domini Gregorii Septimi Papæ, in Lateran. Palatio, in Cappella S. Crucis in præsentia Cencii Frangipane, Gratiani, Cencii Franculini, & Alberici de Petro Leone, & Benincasa FRATRIS ejus Uberti DE THUSCia, & aliorum plurium; Ego Mathildis Dei gratia, Comitissa pro remedio ANIMÆ MEÆ & parentum meorum dedi, & obtuli Ecclesiæ S. Petri per interventum domNI GG. (*e*) PP. VII. omnia bona mea jure proprietario tam quæ tunc habueram, quam EA QVÆ IN ANtea acquisitura eram, sive jure successionis, sive alio quoCVMQVe JVRE AD Me pertinent, & tam ea, quæ ex hac parte Montium habebam, QVAM ILLA, QVÆ IN VLTRA montanis partibus ad me pertinere videbantur; omnia sicut DICTVM EST PER MANVM DOMINI GREG. Septimi Papæ Romanæ Ecclesiæ dedi, & tradidi, & chartulam inde fieri ROGAVI. SED QVIA CARTula nusquam apparet, & timeo, ne donatio, & oblaTIO MEA IN DVBIVM REVOCEtur; ideo ego, qui supra Comitissa Mathilda, iteRVM A PRESENTI DIE DONO, ET OFFero eidem Romanæ Ecclesiæ per manum Bernardi Cardi-NAL. ET LEGATI EIVSDEM ROMANÆ Ecclesiæ, sicut in illo tempore dedi per manum Domini Gregorii omnia BONA MEA, TAM QVÆ NVNC HA-
M „ BEO,

(*a*) Memor. Istor. Benev. part. 2. pag. 84. (*b*) In Crypt. Vatic. pag. 338. seq. & 593.
(*c*) Pag. 687. (*d*) Tom. 5. Script. Rer. Italic. pag. 384. (*e*) Id est Gregorii.

„ BEO, quam quæ in posterum, Deo propitio, acquisitura sum; & tam ea, quæ ex hac parte montium, quam in ultramontanis partibus habeo, quam quæ in posterum, Deo propitio, acquisitura sum alio quocumque jure, pro mercede, & remedio Animæ meæ, & parentum meorum. Quæ autem ista mea bona juris mei superius dicta, una cum accessionibus, seu cum superioribus, & inferioribus suarum (a) qualiter supra legavi (b) in integrum ab ea die, in eadem Ecclesia dono, & offero, & per præsentem chartulam offersionis ibidem habendam (c) confirmo. Insuper per cultellum, festucam nodatam, gantonem (d) & vascionem (e) terræ, atque ramum arboris (f) & me exinde foras expuli, garpivi (g) & absentem me feci, & a parte ipsius Ecclesiæ habendam (h) reliqui faciendum (i) exinde pars ipsius Ecclesiæ dederit a præsenti die quidquid voluerit, sine omni mea & hæredum, ac prohæredum meorum contradictione. Si quid verò (quod futurum esse non credo) sive ego comitissa Matilda, quod absit, seù quælibet opposita persona contra hanc chartulam quandoque offersionis ire, agere tentaverimus; aut tam (k) per quodvis ingenium infringere quæsierimus, tunc inferamus ad illam partem, contra quam exinde litem intulerimus, mulctam, quod est pœna auri optimi libras mille; argenti pondera quatuor millia, & quo (l) repetierimus vindicare non valeamus. Sed præsens hæc chartula offersionis omnibus temporibus firma permaneat, atque persistat, & pergamena cum atramentario de terra levavi (m) paginæ Guidonis Notarii tradidi, & scribere rogavi. In qua subter confirmans, testibus obtuli roborandam. Actum Canusiæ fæliciter, Mathilda Dei gratia, si quid est in hac charta a me facta &c. (n).

„ ⨳ Ego Ardericus (o) Judex interfui &c.

„ Ego Ubaldus interfui &c.

„ Signum manu Ationis de Monte Barranzonis, & Bonvicini de Canusia, rogati testes.

„ Ego Guido Notarius Palatii, Scriptor hujus chartulæ offersionis post traditam complevi, & dedi.

Hactenus documentum donationis Mathildæ, quæ ex Bonifacio Duce, & Marchione Tusciæ, atque ex Beatrice Lotharingica parentibus orta anno Christi MXLVI., e vivis abiit anno salutis MCXV. Ejus pietatem emulata non est secularis Potestas: anno quippe MCXVI. Henricus V. in Italiam descendens totam sibi per vim adtribuit defunctæ Comitissæ hæreditatem. Quocirca Summi Pontifices ad Patrimonium Divi Petri tuendum; quod eorum munus est; animum applicuerunt. Nec frustra ipsos pro Ecclesia Romana adlaborasse, discimus ex Innocentii II. diplomate (p) quo Summus hic Pontifex *allodium* a Comitissa Mathilde Sedi Apostolicæ collatum, Lothario II. Imperatori committit; & ejusdem Augusti votis indulgens *eamdem Terram* Genero ipsius Lotharii Henrico Bavariæ Duci, hujusque Uxori ex Apostolica benignitate concedit, his tamen legibus: Primo, ut centum libras argenti Romano Pontifici quotannis persolvant: Secundo, ut *qui arces tenuerit vel Rector Terræ fuerit*, Beato Petro, eidemque Summo Pontifici *fidelitatem faciant*: Tertio, ut post Ducis, ejusque coniugis obitum, prædictum Mathilde allodium ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ jus, ac ditionem integrum, & absque difficultate reducatur.

Quam-

(a) Forte legendum *suis* pro *suarum*. (b) Vulgaris eorum temporum formula est *qualiter supra legitur*; atque ita heic scribendum. Murator. (c) In hujusmodi chartis *habendum* usitata est Notariorum formula. Murator. (d) Idest Chirothecam. Leibnitius. (e) Gwascionem lego, gwasionem, idest cespitem. Leibn. (f) Supple, *tradidi*, vel tale aliquid. Leibn. (g) Idest ejeci. Leibn.

(h) Habenda. Leibn. (i) Barbarum est, pro: et faciat exinde pars ipsius Ecclesiæ, quicquid voluerit. Vox *dederit* videtur redundare. Leibn. (k) Scribe, *aut eam*; ita enim in aliis ejusmodi chartis. Muratorius. (l) Quod. Leibn. (m) Paginam Guidoni Notario. Leibn. (n) Pro &c. Turrigius legit, *ss. scripsi*, & sic procul dubio legi debet, ut colligitur ex Instrumento quod anno Dñi 1080. confectum, publica luce donavit ex Tabulario Farfensi Clariss. Monachus Casinen. Petrus Aloysius Gallettius in Epistola de nonnullis antiquis Episcopis Viterbiensibus ad eruditissimum Joann. Antonium Berretta data. Eam quippe veterem chartam sic Mathilda subsignat: *Mathilda Dei gratia si quid est ss.*, nempe subscripsi. (o) Turrigius habet, Arelerius. (p) Apud Baron. ann. 1133.

Quamquam verò Apostolicæ Sedis jura in Mathildæ res solidissimis hisce fundamentis innixerentur, eas tamen postmodum a Friderico Ænobarbo sive Barbarossa injuste fuisse occupatas certo scimus. Profecto capitula Pacis inter Alexandrum III. & Imperatorem ipsum inita, & a Baronio relata, illud quoque complectuntur, ut scilicet Fridericus Mathildis bona Sedi Apostolicæ redderet: id verò executioni demandatum non est. Conquerebantur sane Alexandri Successores, Lucius III. & Urbanus itidem III. de gravi injuria Ecclesiæ Romanæ illata; ac de jure suo, patrimonio scilicet Mathildis, eidem Ecclesiæ restituendo satagebant. Res tandem huc pervenit; nempe Henricus VI. Imperator, qui ipsum Patrimonium in Philippum Ducem fratrem suum transtulerat, & anno Christi MCXCVII. defunctus est; testamento constituit, quemadmodum Innocentii III. acta produnt (*a*) ut si filio suo Friderico Imperium, Regnumque Siciliæ Romanus Pontifex confirmare vellet, tota Terra Comitissæ Mathildis restituatur Domno Papæ, & Romanæ Ecclesiæ præter Medisinam, & Argelatam cum eorum pertinentiis. Annuit conditioni Summus Præsul Cælestinus III. & hac ratione, ut scribit coævus Auctor Rogerius Novedenus in Annalibus Anglorum (*b*) *magna pars Thusciæ, quam idem Imperator* (Henricus VI.) *& Prædecessores sui abstulerant Romanis Pontificibus, reddita est Domno Calestino Summo Pontifici, videlicet Eke Pendante* (*c*) *& S. Crispina, & Monsflascum* (*d*) *& Radecock* (*e*) *& Saintclere* (*f*) *cum omnibus pertinentiis eorum: redditæque sunt ei Sicilia, Calabria, Apulia, & omnes Terræ, quæ fuerunt Regis Siciliæ, sicut proprium patrimonium S. Petri; de quibus ipse ut supra dictum est, constituit Fredericum Henrici Romanorum Imperatoris filium Regem*. Quæ, & quanta fuerint bona a Principe Mathildæ Sedi Apostolicæ collata, accurate hìc expendere non vacat. Petrus Diaconus Casinensis Leonis Ostiensis continuator (*g*) perspicue innuit, Matronam illam Gregorio VII. Liguriam, & Thusciam Provincias donasse. Æneas Sylvius, seù Pius II. (*h*) meminit Mathildem fama inclitam, & apud Historicos late memorabilem, *quæ a Radicofano Senensis agri oppido usque Ceperanum interjacentem* Terram donavit Ecclesiæ. Blondus Flavius (*i*) Etruriam describens, ubi venit ad Torrentem Pissiam ait, eodem tanquam termino secerni reliquam Etruriæ partem, quæ a prædicta comitissa Gregorio VII. oblata, Patrimonium S. Petri deinceps dicta est, & alibi (*k*) ipsius Patrimonii luculentius designat limites, nempe commemoratum Torrentem Pissia, Sanctum Quiricum oppidum mare inferum, flumenque Tiberim. Ad hæc Turrigius (*l*) ex Vaticana pinacotheca Inscriptionem refert sic habentem: *Hanc Etruriæ partem ab Tyrreno mari Tiberi flumin. & Pallia amnibus interclusam, quod Mathilda Comitissa Romanæ Ecclesiæ obtulit, S. Petri Patrimonium appellatam constat*. Illud autem singulare est quod Maphæus Vegius (*m*) scribit, eamdem Principem tanti Basilicam S. Petri fecisse, ut, quo luminaribus adhibitis decoraretur, tanquam debitam ei dotem donasse Flaminiam cum omnibus oppidis, ac juribus ejus: additque, memorabilem ipsius Mathildis sententiam vulgò celebratam fuisse; nimirum etsi centum millibus passuum territorium, quod dono dederat, extenderetur, modicum tamen Terræ illud appellabat. Nolim equidem hanc Vegii narrationem, qua late patet, propugnare: at viros novi plane doctos, qui Etruriæ partem, Patrimonium Sancti Petri modo appellatam, a Mathildis hereditate excludunt, ac propria ejus bona Sedi Apostolicæ dono data, alibi quærenda esse putant. Extat profectò apud Raynaldum an. 1215. num. 40. monumentum sane luculentissimum, Salinguerræ Ferrariensis juramentum, quo sibi concessam a Pont. Max. Innocentio III. bonorum illorum portionem sic recenset: „ Id totum, quod mihi concessistis „ in feudum de terra quondam clar. mem. „ Comitissæ Mathildis, videlicet Medici- „ nam, & duas partes Argellatæ, Momba- „ roxzone cum plebatu S. Mariæ, Carpum, „ Carpinetum, Besinatum, Mandrinam, „ Bi-

(*a*) Num. 27. apud Balutium tom. 1. Epist. Innoc. III. pag. 10., & seq. (*b*) Part. poster. in Richardo I. pag. 774. script. Rer. Angl. edit. Francofurt. (*c*) Acquapendente. (*d*) Monsfaliscorum. (*e*) Radicofanum. (*f*) S. Quiricus. (*g*) Lib. 3. cap. 45. (*h*) Hist. Boemor. cap. 21. (*i*) In Ital. Illustr. pag. 302. edit. Basil. 1559. (*k*) Histor. dec. 2. lib. 4. pag. 234. cit. edit. (*l*) Crypt. Vatic. pag. 337. (*m*) Rer. memor. Basil. Vatic. num. 100. lib. 3.

„ Bibianellum, Castrum Ariani, Foscundum, Mozole, Bondenum, Ardumi, Pipigniacium cum universis Curiis & pertinentiis, juribus & honoribus omnium prædictorum castrorum & locorum, & cuncta jura & reditus, responsiones jurisdictiones & honores, usus & albegarias, quæ sunt dicti Poderis prædictæ Comitissæ Mathildis piæ memoriæ in iis locis sive pertinentiis, videlicet in Sablono, Gazolo, Belegaria, Biolotorta, Dianzano, Casale Magno, Casale Ligogno, Tregasso, Pregnano, Caviano, Runcaliis, Planzo, Castro Canusiæ ejusque Curiæ, Fontana, Campogajano, S.Martino de Riosustinolo, Padis, Corregia, Fossacanalis, Miliare, Gurgatellis, Fossulis, Brundiono, Soleriat & in toto Podere q. Cavalcacomitis, ac universo Imolæ Comitatu, & in toto eo quod est in prænominato Podere: in Episcopatu Bononiensi, Mutiensi, Regino, Parmensi, cæterisque aliis Episcopatibus, adjutor ero ad retinendum & defendendum quæ habet, & quæ non habet ad recuperandum „: Tum præter alia spondet, se Romanæ Ecclesiæ quotannis census nomine quadraginta marchas argenti persoluturum. Bona hic enumerata, & tractu Bononiensi, Mutinensi, Regiensi, Parmensi, Forique Cornelii sita, ad Mathildem spectasse, tam certiùs cognosci potest, quam splendidius, præstantius, & exploratioris fidei est monumentum mox allatum. Prætere a ejusdem comitissæ juribus Carfagnanam esse accensendam, tum ex Joannis Villani testimonio cap. 20. lib. 4. hist. Florent., ubi præter alia Mathildianæ ditionis loca, nempe *Montevedro*, *Montezano*, *&* *Bianello*, *Canossa*, *Guastalla*, *&* *Suzana*, ac majorem Friniani partem, diserte ea provincia nominatur, tum ex Friderici Aug. diplomate comprobat præsul valde quidem spectabilis Joseph Garampius pag. 5. & 6. eruditissimæ suæ lucubrationis, cui titulum fecit: Illustrazione di un' antico Sigillo della Garfagnana. Nonnulla etiam bona declarat Mathildes ipsa in aliquot ab se editis Privilegiis, exhibitisque a Bacchinio in Appendice ad Monasterii Padolironensis Historiam, ut illud est, quod pag. 88. ejusdem Append. legitur, & castra Pigognagam, Gonzagam; utrumque Bondenum, de Roncoris, & Arduini; atque Lectum Paludanum designat. Tandem qui ingenii sui, studiorum, ac eruditionis vires omnes ad temporalem Sedis Apostolicæ ditionem tuendam contulit Cajetanus Cennius, non modo castra & villas, sed quatuor etiam Civitates, *Regium & Mutinam sine ullo dubio; necnon Parmam & Mantuam, tametsi non suppetant monumenta satis firma*, ad Mathildianam hæreditatem referendas esse, in Monument. Dominat. Pontific. tom. 2. Differt. 5. cap. 2. asserit. Utut sit, insignem proculdubio fuisse Mathildis munificentiam in Sedem Apostolicam, nemo inficias ibit. Hanc sane præ aliis testatus est Urbanus VIII. Pont. Max. qui eidem Matronæ nobile in Vaticana Sancti Petri Basilica monumentum erigi curavit, ubi hoc legitur Epitaphium:

Urbanus VIII. Pont. Max.
Comitissæ Mathildis virilis animi fœminæ
Sedis Apostolicæ propugnatrici
Pietate insigni liberalitate celeberrimæ
Huc ex Mantuano S. Benedicti
Cœnobio translatis ossibus
Gratus æternæ laudis promeritum
Mon. pos. an. MDCXXXV.

Sancti Benedicti Monasterium, de quo mox recitata inscriptio meminit, *Polirone* dicitur, & Mathildes ipsa in agro Mantuano inter duo flumina, Padum scilicet, & Larionem, magno sumptu excitaverat. In eo corpus piissimæ Principis fuisse primo tumulatum, innuunt Domnizonis carmina:

Te

Te Benedicte Pater, moriens hac curat amore,
Cœnobiumque tuum ditatur corpore cujus.

Atque idipsum perspicue docent duo Instrumenta: quorum alterum a Bacchinio in Cœnobii Polironensis Historia commemoratum, pertinet ad translationem exuviarum Mathildis factam anno Domini MCCCCLV. alterum ab Andrea Rota Soc. Jesu presbytero relatum (*a*), fidem facit, ejusdem Comitissæ corpus novis indutum vestibus anno MDCXIV. alia in arca fuisse repositum.

TABULA XXXVI.

DIE 20. Augusti MDCXVIII. cum ad tintinnabulariam turrim in Vaticani Templi latere Australi erigendam fundamenta foderentur, marmoreum hoece fragmentum repertum fuit, ac in Meridionali veterum Cryptarum parte VIII. Idus Februarii MDCXXXI. Turrigio curante, collocatum, & ab ipso (*b*) primum, deinde a Muratorio (*c*) Donioque (*d*) editum. Duplex enarrat visum; sed mutilus cum sit lapis neutrius spectaculi series plane intelligitur: Præterea vetus hæc Inscriptio ob literas inconcinne formatas, notasque compendiarias lectu est difficilis: idcircò singlis explicatis, suppletoque ex Turrigio primo verbo *sionibus*, nempe *visionibus*, eam ita reddimus:

. . . . *sionibus exterrere cepit* (*e*)
. . . . *tedium. In prima vero visione vidi*
. . . . *tenentem in manu virgam, & erant*
. . . . *o tres ex una parte, & tres ex alia parte*
. . . . *re ante eum statim venerunt tres canes, qui*
. . . . *Sancti Petri, & ascenderunt super armos meos* (*f*), *& lin*
. . . . *collum meum ex una parte, & alter* (*g*) *ex alte* (*h*)
. . . . *& tercius* (*i*) *inter duos armos, & ego cadebam* (*k*) *in t* (*l*)
. . . . *signavit me, & Sanctus* (*m*) *Petrus dedit mihi panem*
. . . . *imis & ait mihi: Vade. Fuit autem secunda visio*
. . . . *porticu* (*n*) *ante portam Sancta Marie vidi*
. . . . *merabiles* (*o*) *pueros ludentes*
. . . . *e ad pinnam, que est in*
. . . . *t.* (*p*). . . . .

Qui

(*a*) In Vita Sancti Anselmi cap. 30. (*b*) Crypt. Vat. pag. 340. (*c*) Inscription. tom. 4. p. 1967.
(*d*) Inscription. pag. 544. (*e*) Ita legendum puto pro eo quod habetur apud Turrigium; *extra recepit*. (*f*) Ideit *lingebant*, ut Turrigius legit; qui prosequitur, *Tunc collum* &c. At Donius, *In Collum* &c. (*g*) Donius pro, *alter*, perperam. habet, *altera*. (*h*) Nempe *ex altera* ut bene supplet Turrigins. (*i*) Scilicet *Tertius*. Nam literæ *C* & *T* facile apud Latinos permutantur. Complura sunt exempla. Unum profero: origo poscit ut scribatur *Conditio*. Attamen *Condicio* veteres libri tenent, atque lapides, quemadmodum Christoph. Cellarius observat in sua Orthographia pag. 20. edit. Venet. CIↃIↃCCXXXII. (*k*) Contra fidem lapidis apud Donium legitur *Gadebam*. (*l*) Turrigius habet, *in terram*: sed fortasse explicandum, *inter*. (*m*) Ita plane, non *fanctes*, legendum mihi videtur.
(*n*) Turrig. *in porticu*. (*o*) Donius *me pabiles*: Turrig., *rabiles*: Legendum vero, *morabiles*, hoc est *mirabiles* ex promiscuo usu *E* pro *I*. (*p*) Turrig. legit: *in omni tempore*.

Qui in lapide prostat undecimus versus, totus apud Donium ex oscitantia prætermittitur. In eo secunda visio in porticu ante portam Sanctæ Mariæ contigisse narratur. Sermo autem est de porta Sacelli sive Oratorii, quod *Sancta Maria in Turri* titulo insignitum, in porticu veteris Basilicæ Vaticanæ olim existebat, ut apud Alpharani Tabulam Ichnohraphicam (*a*) licet inspicere. Sane hoc Sacellum in vetustis tum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, tum ejusdem Basilicæ monumentis commemoratur. Fragmentum prisci cæremonialis libri ab Innocentio VI. insertum suo Diplomati (*b*) quod anno MCCCLV. ad Petrum Ostiensem Episcopum, & ad Ægidium S. Ceciliæ Cardinales datum est, præscribit, ut Princeps corona Imperii a Summo Pontifice donandus, postquam Vaticani Templi gradus ascendit, ejusdem Supremi Antistitis pedes osculetur; tum deducatur in Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Turribus, ubi ad Romanam Ecclesiam defendendam jurejurando sese obstringat. Idipsum habet tum Ordo Romanus (*c*) quem Jacobo Cardinali Gaetano Mabillonius attribuit: tum Romanæ Ecclesiæ cæremoniale a Christophoro Marcello vulgatum, quod insuper ipsam Sanctæ Mariæ Cappellam statuit *extra Ecclesiam* Sancti Petri *in prima porticu sub turri Campanaria* (*d*). Ad hæc jusjurandum, quo promissa Henrico Imperatori Petrus Leonis firmavit ex parte Paschalis II. legitur *actum* 11. *nonas Februarii in atrio Beati Petri in Ecclesia Sancta Maria, quæ dicitur in turri* (*e*) Concinunt monumenta Vaticanæ Basilicæ. Nam in Joannis XIX. & Benedicti IX. Constitutionibus decernitur, ut Silvæ Candidæ Episcopus quotannis die Dominica Palmarum *cum Processione ab Ecclesia Sancta Maria in Turri exeat, & ad magnum S. Petri* altare accedat, rem divinam facturus: alia nonnulla ad hoc argumentum spectantia videsis in notis ad ejusdem Basilicæ Bullarium (*f*), ubi utraque illa Constitutio recitatur.

Vocabulum *Pinna*, quod in tertio decimo Inscriptionis versu occurrit, præter alias notiones altitudinem parietis excelsi designat apud Cangii Glossarium, in quo etiam reperiuntur voces *Pinnaculum*, & *Pignaculum* notantes turrim sacræ ædis, ubi campanæ pulsantur: & in hoc sensu nomen *Pinna* in nostro lapide fas est accipere. Ex iis porrò quæ in eodem Inscriptionis fragmento memoriæ consignantur, capta occasione aliud Turrigius refert visum cuidam Sacerdoti objectum in Urbana Sanctæ Ceciliæ Ecclesia, & in Vaticana Basilica, atque a S. Petro Damiano lib. 3. epist. 10. literis mandatum. Huic adjungere aliud poterat, alteri item presbytero in somnis oblatum circa nonnullorum altarium in eadem Vaticana Basilica consecrationem, quod Innocentius Tertius (*g*) enarrat. Hæc verò cum ad præsens marmor illustrandum non pertineant, libenter prætermimus.

TABULA XXXVII.

Antequam Julio II. Pont. Max. vetustum deiiceretur Vaticanum Templum, in posteriori ejus navi ad Meridiem, ut videre est in Tiberii Alpharani Tabula Ichnographica num. 58., Sacellum extabat Deiparæ, Sanctisque Apostolis Petro, & Paulo sacrum, de quo hic Auctor in suo de veteri eadem Basilica libro Ms. ad cit. num. 58. sic tradit: *In Basilica lateribus ad Meridiem, & juxta alteram parastatem erat Sacellum pulcherrimum cum altari ab Eugenio IV. restitutum sub Invocatione Beatæ Mariæ semper Virginis, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, juxta quod Dominus Petrus Barbo tit. S. Marci Presb. Cardinalis ejusdem Pon-*

(*a*) Num. 146. (*b*) Apud Raynald. ad ann. 1355. num. 3. & seqq., & apud Bullar. Vatic. Basil. tom. 1. pag. 351. & seq. (*c*) Cap. 105. apud Mabillon. tom. 2. Mus. Ital. (*d*) Lib. 1. cap. 3.
(*e*) Apud Murator tom. 3. Rerum Italic. pag. 361. (*f*) Tom. 1. pag. 18. not. c. (*g*) Bullar. Vatic. Basil. tom. 1. pag. 79.

Pontificis Nepos elegantissimum marmoreum sepulchrum Patruo Beatissimo extruxerat; insuper Sacellum, & altare perpetua pensione dotaverat. Quatuor ibi legebantur versus præstitum illud a Cardinale Barbo, qui postea Summus Pontifex renunciatus fuit, dictusque Paulus Secundus, pietatis officium commemorantes in hunc modum:

Hoc altare Deo stabili cum dote dicavit,
Atque animæ Quarti Romani Antistitis almæ
Eugenii ipse Nepos, Venetus de sanguine Barbo
Petrus Cardo sacer, tuus & Vicentia Præsul.

Tetrastichon istud a Grimaldo in Ms. opere de Vaticanæ Basilicæ Archipresbyteris (*a*) atque hinc a Turrigio (*b*) relatum, Cappellaniam indicat a Card. Barbo ipsius Basilicæ Archipresbytero in prædicto Sacello, & altari erectam ad juvandam avunculi sui Eugenii IV. animam: eademque fundatio lapideo alio consignata fuit monumento, cujus fragmentum altum palm. Rom. fere 11. & in præsenti Tabula exhibitum Turrigius anno MDCXXXI. in sacris veteribus Cryptis Vaticanis ad Austrum, ubi hodiedum visitur, muro affigi curavit (*c*) ac tum ipse (*d*) tum Grimaldus (*e*) & Augustinus Oldoinus (*f*) alicubi haud satis tamen fideliter, suppletum recitant. Nam apud Grimaldum sic refertur:

Sacrum hoc altare Petro, Pauloque Apostolorum Principibus Petrus Barbus Archipresbyter Sacrosanctæ Basilicæ hujus, tit. Sancti Marci Presbyt. Cardinalis, & Pontifex Vicentinus . . . . ibi ex testamento celebrandum statuit in salutem Pontificis Maximi Eugenii IV. avunculi sui pientissimi anno Christi MCCCCLI. Apud Turrigium verò tum in Viterbiensi anni 1618. tum in Romana anni 1639. sui de Cryptis Vaticanis Opusculi editione, atque ex eo apud Oldoinum ita legitur:

Sacrum hoc altare Petro Pauloque Apostolorum
. . . . avito Petrus Barbus Archipresbyter
Sacrosancta Basilicæ hujus, tituli Sancti
Marci Presbyter Card. & Pontifex Vicentinus
Ibi ex testamen. celebrandum statuit in
. . . . . . , te Pontificis Maximi Presb. . . . . . avunculi
sui pientiss. anno Christi Millesimo CCCCIIIILI.

Adeo incongrue notam chronologicam in lapide expressam fuisse, difficile crediderim. Sacerdotii hujus institutionem non ante annum 1451. peractam existimo. Ejus enim fundator Petrus Barbus in monumento appellatur Presbyter Card. tit. Sancti Marci, & Episcopus Vicentinus. At is anno 1451. die 3. Februarii, ut constat ex Nicolai V. Diplomate (*g*) Ecclesiæ S. Mariæ Novæ, qua jampridem fuerat ab Avunculo Eugenio IV. decoratus Card. Diaconus adhuc erat; tametsi anno 1453. ex ea Diaconia jam transierat ad S. Marci titulum, cum in Instrumento (*h*) eodem anno 1453. die 14. Decembris confecto Presbyter Card. tit. S. Marci nominetur. Rursus Vicentinam Sedem juxta Ughellium (*i*) obtinuit an. 1451.

Quod verò ad ipsius Cappellaniæ Censum attinet, eam Cardinalis ipse Barbus, teste prælaudato Grimaldo (*k*) annuo DC. aureorum redditu suburbani Prædii Radicelli nuncupati locupletavit: quem sane redditum una cum oneribus Gregorius XIII. Sacrario Vaticani Templi attribuit, atque univit, ut idem Grimaldus animadvertit (*l*). Extat quidem hujus Pontificis Diploma (*m*) die 8. Septembris anno MDLXXX. editum, quo duæ Cappellaniæ, alia ad altare S. Marci Evangelistæ, Nicolai V. & Pauli II. nuncupatum in dicta Divi Petri Basilica, & Beatæ Ma-

(*a*) Pag. 113. in Petro Barbo Archipresbytero. (*b*) Crypt. Vatic. pag. 387. (*c*) Ibi.
(*d*) Pag. 28. & seq. (*e*) Loc. cit. (*f*) Not. in Ciacon. tom. 2. col. 1095. (*g*) Apud Bullar. Vatic. Basil. tom. 2. pag. 135. (*h*) Ibi pag. 143. (*i*) Ital. sac. to. 5. col. 1061. (*k*) Loc. cit.
(*l*) Ibi. (*m*) Bullar. Basil. Vatic. tom. 3. pag. 137.

Mariæ Virgariorum altera, ducentorum ac quindecim Ducatorum auri de Camera valorem annuum, quoad earum fructus, insimul non excedentes, prædicto sacrario adducuntur. Si autem S. Marci Cappellania a Gregorio XIII. in ejusdem Sacrarii commodum conversa, eadem est ac illa, ut Grimaldus innuit, quam Cardinalis Barbus ad altare SS. Petri, & Pauli Apostolorum instituit, dicamus oportet, ejus redditus centum ac triginta circiter annorum intervallo fuisse diminutos, ac veterem SS. Petri, & Pauli titulum in Sancti Marci appellationem transiisse. Utut sit in Demetrii Guaselli, qui exeunte Sæculo XV. & XVI. ineunte Ecclesiæ S. Petri beneficiatus agebat, codice chartaceo *(a)* die 17. & 18. Julii anno MDIIII. collatio *Cappellæ S. Marci sitæ in Basilica Principis Apostolorum de Urbe* memoratur: nec ullo modo vocare in dubium licet piam Card. Barbi liberalitatem, qui de Basilica Vaticana benemeritus fuit, tum Archipresbyter eidem Ecclesiæ Præsidens, tum Summus Pontifex Pauli II. nomine Christianam Rempublicam gubernans. Jam vero ad aliam, quæ in hujus Tabulæ inferiori parte exhibetur, Inscriptionem pergamus.

Variis externorum virorum monumentis in Vaticana Basilica hactenus asservatis merito accenseri debet, quod in præsenti Tabula delineavimus vetus marmor Amaurico Montis-Fortis Comiti positum. Is præclaræ memoriæ Simonis Comitis Montis-Fortis, & strenuissimi Ducis exercitus Crucesignatorum adversus Hæreticos Albigenses filius fuit, ac Successor in Comitatus Tholosani, aliorumque locorum Ditione, quam eis Pater armis sibi comparaverat, & ex Decreto Innocentii III. atque Concilii Generalis Lateranensis IV. jure possidebat, Raymundo seniore Tholosano Comite principatu suo ob pervicaciam in fovenda Albigensium hæresi ab Ecclesia exuto. Sed Amalricus, sive Amauricus, utroque enim nomine, imo, & Almaricus a Scriptoribus appellatur; tum quia probe nosset inconstantem erga se Tholosatium fidem, tum quia viribus imparem suis experiretur belli molem a Raymundo Juniore Comitatus Tholosani recuperandi causa paratam; jura sua transfudit in Ludovicum VIII. Galliarum Regem, qui Officium Constabulatus per totum Regnum Franciæ exercendum eidem Almarico, uti viro provido, ac strenuo militi commisit *(b)*. Hinc S. Ludovici Galliarum Regis Diplomati anno Domini MCCXXX. edito *(c)* subscribit *Amalricus Comes Montis-Fortis Franciæ Constabularius*; & aliæ ejusdem S. Ludovici literæ *(d)* ipsius *Amaurici Constabularii* mentionem faciunt.

Constabularius autem idem profecto est ac Comes Stabuli, alias Conestabilis, sive Comestabilis appellatus: Officialis nimirum in Regia Gallorum Domo, hoc est *Regalium Præpositus equorum, quem vulgo Comistabilem vocant*, inquit Aimoinus *(e)*. Dignitatem ipsam S. Gregorius Turonensis *(f)* *Comitatum Stabulorum* nuncupat: eamdemque rem declarat Regino ad annum DCCCVII. ubi de Carolo Magno loquitur his plane verbis: *Burchardum Comitem Stabuli sui, quem corrupte Constabulum appellamus, cum Classe misit in Corsicam*. Id tamen munus militare evasit, adeout Comites Stabuli Copiarum Duces præcipui fuerint, uti ex dato Reginonis testimonio colligitur, & recte Cangius observat *(g)* hujusque officii jura, privilegia, ac prærogativas insuper indigitat, quod & P. Anselmus præstitit in sua Historia Genealogica Comitum Stabuli Franciæ. Hac dignitate auctus Amauricus, cum exercitu Crucesignatorum ad Terram Sanctam ab Infidelium jugo liberandam incumbit. At res, nec pro votis, nec feliciter cessit: Is enim Babylone a Saracenis in carcerem detruditur. Quæ vero postmodum contigerint, Guillelmus de Nangis Scriptor æqualis Natione Gallus, Ordinis S. Benedicti in Cœnobio Sandionysiano prope Parisios in suo, quod ab Orbe condito ad annum MCCCI. composuit, Chronico ita memoriæ prodidit ad annum MCCXXXIX. *Ricardus Comes Cornubiæ frater Regis Angliæ Henrici cum magno exercitu in Terram Sanctam profectus, multum invenit Francorum ibidem exercitum perturbatum: qui Terræ Sanctæ valde compatiens, fecit*

(a) Pag. 165. & 172. apud Basil. Vatic. Archiv. Ms. sign. lit. A. (b) Amalric. Auger. in Honorii Tertii vita apud Murator. to. 3. Part. 2. Script. Rer. Ital. col. 390. (c) Apud Duchesn. to. 5. Script. Hist. Franc. pag. 422. (d) Apud Martene tom. 1. Vet. Script. col. 1254. (e) Histor. Franc. lib. 3. cap. 71. (f) Hist. lib. 5. cap. 48. (g) Glossar. X. *Comes Stabuli*.

cit communes treugas inter Christianos, & Saracenos, pactis initis, confirmari, & captivos, quos tenebant, procuravit fideliter liberari. Almaricus Comes Montis-Fortis de carcere Saracenorum liberatus, in reditu suo dum Romam venisset, ibidem defunctus est, in Basilica Beati Petri venerabiliter sepultus, cui successit in suo Comitatu Joannes filius ejus. Unus est, in quo hæc narrans Guillelmus de Nangis labitur, nempe Almaricum Romæ esse defunctum; nam Hydrunti obiisse, fidem indubiam facit ipsum, de quo agimus sepulchrale ejus marmor ita inscriptum.

Hic jacet Amavricvs Comes Montis Fortis; Francie Connestabilis, qui Contra Albigenses pro Fide Catholica sepius dimicavit postea contra Saracenos ad partes Sirie transfretavit, a qvibvs in bello captus fuit, & div in captivitate detentvs, tandem per treungam liberatus dum rediret ad propria, apvd Idrontum expiravit anno Domini Millesimo CCXLI.

Quòd lapis ad sinistram ejus partem tantillum est mutilus, in extremitate primi versus relativum pronomen *Qui* ex Raphaele Maffeo Volaterrano supplevimus: Hic enim doctus Auctor, quo tempore ipsum marmor omnino integrum erat, epitaphium vidit, exscripsit, ac suis Commentariorum Urbanorum libris Julio II. Pontifici Maximo nuncupatis inseruit (*a*). Et recte quidem in fine secundi versus, atque initio tertii habet; *postea contra Saracenos ad partes Syriæ transfretavit*; secus ac apud Turrigium, qui (*b*) pro, *ad partes* mendose recitat, *abeuntes*. Haud satis scio, an P. Anselmus supra laudatus ullam habuerit hujus epitaphii notitiam, de quo silet omnino, quamquam præter alia de Amaurico, ex fluxu sanguinis Comitem hunc periisse, & in Vaticana Sanctì Petri Basilica tumulatum dicit. Sed & Abbatiæ *Hautebruyeres* Gallice nuncupatæ, quædam indicat (*c*) monumenta, ex quibus fertur, Amaurici corpus in S. Joannis Ecclesia Lateranensi, summo jubente Pontifice sepultum fuisse, cor verò ad illam delatum Abbatiam; ubi Albericus Episcopus Charnotensis illud juxta ipsius Comitis simulacrum pilæ innixum condidit. Iis memoriis quanta sit vis non quæro. Exploratum sane, ratumque mihi videtur Amaurici cadaver ex Hydrunto, ubi is occubuit, Romam deportatum, non in Lateranensi Basilica, sed in Vaticana humatum fuisse, ut Guillelmus de Nangis Scriptor æqualis, loco paulo ante prolato disertissime testatur; atque idipsum ostenditur ex ejusdem Comitis sepulchrali monumento in Sacris Varicanis Cryptis nostra adhuc ætate adservato; quod prælaudatus Volaterranus olim commemoravit his plane verbis: *Amauricus Dux quidam Gallicus, qui plura contra Saracenos gessit, in pretio fuit, cujus Sepulchrum in Basilica S. Petri cernitur hodie cum hoc elogio: Hic jacet Americus* &c.

Insalutata præterirì non debet Crux diaglypha, sive excavata, quam inscriptus lapis jure meritoque præfert, utpote ad nobilem bellì sacri Militem spectans. Patet siquidem, sacræ expeditionis seù Militiæ characterem & notam fuisse crucem. Urbanus Secundus Summus Pontifex in oratione ad Synodum Claramontanam profecturis ad Terræ Sanctæ recuperationem injunxit, ut specimen crucis vestibus assuerent, quo interioris fidei amorem exterius prætenderent (*d*). Jubenti Antistiti Maximo obtemperatum est: Guillelmus enim Tyrius (*e*) aliique veteres bene multi (*f*) testantur, inter omnes, qui sacræ hujus expeditionis amore incensi erant, convenisse, ut quotquot ejusdem Militiæ Voto sese obligarent, vivificæ crucis salutare signum vestibus imprimerent, unde Fratrum de cruce, & crucesignatorum nomine in Ecclesiastica historia celebrantur. Quo igitur redemptionis nostræ signo Amauricus inter crucesignatos miles eximius, dum viveret, tam familiariter utebatur, illud satis congrue in medio sepulchrali ejus titulo in loco magis conspicuo

N cæ-

(*a*) Lib. 22. pag. 255. edit. Basileensis. (*b*) Crypt. Vatic. pag. 343. (*c*) Hist. Genealog. to. 5. pag. 71. (*d*) Apud Vvillelm. Malmesbur. de Gest. Reg. Angl. lib. 4. cap. 2. (*e*) De bello sacro lib. 1. cap. 16. (*f*) Vide Gretserum de Cruce Christi tom. 3. lib. 2. & Ducangium V. Crucem assumere.

cælatum est. Epitaphiorum autem verbis apud vetustiores etiam Christifideles crucis figuram fuisse aliquando interfertam, nemo inficias iverit. Boldettus (a) hanc profert Inscriptionem, in qua non semel quidem, sed ad singula prorsus verba ita crux effigiatur:

III. ✠ *Kal.* ✠ *Mar.* ✠ *Fortvnvla* ✠ *que* ✠ *bixit* ✠
ann. ✠ *L* ✠ *Mens.* ✠
III.

At de prisco more imprimendi crucem tabulis sepulchralibus nos alibi. Illud hic in mentem venit, quod in veteri tabula marmorea, in qua Paschalis Papa I. translationem Corporum S. Ceciliæ, Lucii, & aliorum testatam voluit octo versibus exametris, crux inest inter eos versus sculpta, frangens nonnihil ipsos; ut Baronius monet ad Christi annum DCCCXXI. num. 7. Hæc satis de marmoreo Comitis Amaurici monumento, quod altitud. palm. Rom. I. longitudine verò palm. VIII. protenditur, & in Meridionali veterum Cryptarum parte existit.

TABULA XXXVIII.

QUod in Australi sacrarum veterum Cryptarum parte hodie extat Carolæ Cypri, & Hierusalem Reginæ sepulchrum, in antiquæ Basilicæ minori navi ad Meridiem ante Sixti Quarti Cappellam, Alpharano teste (b) situm erat. De hac Regina Jacobus Grimaldus ex Stephano Lusignano (c), ex Diariis, aliisque monumentis Commentariolum, cujus pars a Turrigio (d) recitatur, composuit. Carola igitur Lusignana post mortem Joannis Regis Patris sui anno Domini MCCCCLVIII. ingenti hominum plausu Regina Hierusalem, Cypri, & Armeniæ salutata est, atque more majorum ritu solemni coronata. Infaustum, brevique duraturum ejus Regnum, multi ex eo sunt ominati, quod Regina post susceptum diadema, dum magna pompa equitaret ex ejus capite regalis corona in terram decidit. Infelix certe ejus regni exitus fuit. Jacobus enim Joannis prædicti Regis Filius Nothus regium nomen, & imperium affectans ac rebellioni studens, Ægyptii Soldani ope, validoque Mamaluchorum exercitu repente conflato, Carolam, quæ Aloysio Sabaudiæ Duci nupserat, per summam tyrannidem Regno expoliavit. Carola, sive ut vulgo dicebatur, Carlotta complures iniit vias, ut regiæ ditioni restitueretur. Cæteras inter, quas suscepit navigationes, *Tyberina eum appulisset ostia*, ut legimus in Commentariis Pii II. (e) *Romam, & Christi Vicarium visere statuit, missisque Nunciis, qui aditum peterent, adverso flumine vecta, apud ædem S. Pauli descendit in terram. Pontifex Cardinales, & universam Curiam occurrere jussit, advenientemque in aula consistorii publicè excepit, ac deinde in parte Palatii seorsum collocavit, cibariaque illi, & familiæ magnifice administravit. Mulier quatuor, & viginti annos nata videbatur, statura mediocri, lætis oculis, facie inter fuscam, & pallidam, sermone blando, & Græcorum more torrenti simili, vestitu Gallico moribus qui regio sanguini convenirent. In primo congressu exosculatis Pii pedibus; pauca locuta est.* Verum postridie cum inter paucos Pontificem convenisset, proprias exponit ærumnas, quibus ad extremam fere paupertatem redacta, a summo Ecclesiæ Præsule auxilium humillimis precibus nec sine lacrymis implorat. Eam Pius II. benigne consolatus, se opem allaturum spopondit. Regina dies circiter decem in Urbe permansit donec præcipuas Martyrum Basilicas visit. Roma discessit cum sufficienti equorum numero ex Pontificis cura parato, ad-

(a) Osservaz. sopra i Cimiterj de SS. Martiri lib. 2. cap. 3. pag. 349. (b) Tab. Ichnograph. nu. 7[illegible]. (c) Corografia, e breve Istoria dell' Isola de Cipri pag. 63. seqq. e 73. seqq. (d) Crypt. Vatic. pag. 288. seq. (e) Lib. 7.

additoque dispensatore, qui sumptus itineris ministraret. Cum nobillimis viris nonnullis Cypriis, qui eam adversâ fortuna vexatam secuti summa fide fuerant (hos inter numerantur Ludovicus Podocatharus magnus Philosophus postea Cardinalis renunciatus, Ugo Lingles Eques Nicosiensis Regni Cypri Camerarius, & Georgius Flatus, qui filiam in matrimonium tradit Petro Aldobrandino, ex qua genuit Silvestrum Clementis VIII. Parentem, ut patet ex arbore apud Illustrissimos Aldobrandinos, inquit Grimaldus) plurimum allaboravit, ut suum sibi Regnum vindicaret. At irriti omnino conatus omnes. Quare ad Urbem iterum accedit Sixto IV. sedente, a quo benigne ac munifice excepta, in Vaticanæ *Basilicæ Parochia*, ut prosequitur Grimaldus, *habitare voluit in Palatio, quod hodie Joannes Dominicus Spinola Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor possidet e regione ædiculæ Deiparæ Virginis de Puritate via Alexandrina, licet non in tam magna forma. Et quoniam spiritus tristis siccat ossa, Carola ex animi mœrore in paralysim incidit, brevique se morituram sentiens, Testamentum condidit, in quo munus ipsi Vaticano templo piè legavit, & Vaticanæ Bibliothecæ Codicem Ms. nobilissimum non parva impensa insigni pictura decoratum pariter reliquit. Obiit Romæ in Burgo S. Petri in Palatio prædicto ex peralysi die 16. Julii MCCCCLXXXVII. hora 13. Corpus insigni pompa in Vaticana Basilica sepultum fuit humi prope Sacellum Sixti IV. & eadem die hora 22, funus prosequentibus Prælatis in Curia tunc existentibus cum Familia Papæ, & Familiis Cardinalium. Die ultima ejusdem Mensis Exequiarum solemnia pro ejus anima in eadem Basilica celebrata sunt, quibus interfuerunt XI. Cardinales scilicet, Rodericus Borgia Valentinus Hispanus, Episcopus Portuensis & S. Rufinæ, S. R. E. Cancellarius; Stephanus Nardinus Forolivienfis, Archiepiscopus Mediolanensis Presbiter Cardinalis S. Mariæ Transtib.; Georgius Costa Lusitan. Archiepiscop. Ulixipon. Card. SS. Marcellini & Petri; Hieronymus Bassus de Ruere Savonen. Episcop. Recanaten., Presb. Card. tit. S. Chrysogoni; Joannes de Comitibus Romanus, Archiepiscopus Consanus, Presbyter Cardinalis tit. S. Vitalis; Joannes Jacobus Sclafenatus Civis, & Episcopus Parmen. Presbiter Card. tit. S. Stephani in Cœlio Monte; Raphael Riarius Savonen., Diacon. Card. S. Georgii in Velabro, S. R. E. Camerarius; Joannes Baptista Sabellus Rom., Diaconus Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano; Joannes de Columna Rom. Domicellus, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Aquiro; Joannes Baptista Ursinus Rom. Diaconus Card. S. Mariæ Novæ; Ascanius Maria Sfortia Vicecomes Mediol., Diac. Cardinalis SS. Viti & Modesti in macello Martyrum. Vixit annos plus minus XLVII. & ejus ad vivum expressa imago cernitur. hodie inter alias picturas, quas Sixtus IV. P. M. in Hospitali S. Spiritus pingi fecit. Anno MDCX. cum Pauli V. P. M. jussu antiqua Vaticana Basilica pro novo, & augustissimo templo absolvendo ad terram deiiceretur, Carolæ Reginæ Sepulchrum apertum fuit, ut habetur in publico Instrumento per me rogato. Corpus redactum erat in ossa, Caput parvum, & ex ossium inspectione videbatur mediocris fuisse staturæ. Reperta fuerunt quædam frustra vestium ex serico nigro, & fibulæ quædam inauratæ, & quoddam ornamentum inauratum fortasse reginalis cinguli ex cremesino. Ossa, & vestium fragmenta collecta, humata fuerunt intra marmoream Arcam tectam magno lapide*. Huc usque Grimaldus. In necrologio autem ejusdem Vaticanæ Basilicæ sic adnotatum legimus: *Anno Domini MCCCCLXXXVII. Carola inclita Regina Cypri die 16. Julii obiit: sepulta in hac Basilica ante Cappellam Sixti Papæ IV. quæ eidem Basilicæ reliquit unam Planetam cum Dalmatica, & Tunicellam pulcherrimam auri intertexti brocati cum ornamentis. Item quatuor libras Argenti optimi; Item duas planetas de serico, & duo Altaris Paramenta. Fiat oratio specialis in die obitus sui*. Tabulam sepulchralem Carolæ Reginæ primum positam, in qua ejus imago expressa est Ciaconius (a) exhibet. Rursus ad illius Tabulæ marginem inscriptio literis, quæ vulgo Gothicæ appellantur, exarata erat, cujus initium solummodo ac finem, scilicet; *In Nomine Domini Amen. Anno . . . . . in pace Amen*; apud prælaudatum Ciaconium legimus, reliqua epitaphii parte jam exesa, & consumpta. Hinc, ut opinor, Carolæ Reginæ tabula sepulchralis in eam postea formam innovata est, quæ hic a nobis repræsentatur, ac in Hypogeo Vaticano cernitur absque regali stemmate, quod apud eumdem Ciaconium occurrit cum alia simul epigraphe Romanis literis expressa, ire-

N 2

(a) Tom. 3. col. 123.

iterumque in hoc nostro opere fidelius edita. Nunc ad aliud monumentum in hujus æneæ Tabulæ inferiori parte incisum veniamus.

Cardinalis Stephani Nardini corpus, ut ex Ichnografica Alpharani Tabula (*a*) colligimus, tumulatum fuit in antiquæ Vaticanæ Basilicæ navi minori ad Austrum vergente, ubi S. Thomæ Apostoli Sacellum extabat. Ea Sacræ Ædis parte, Paulo V. Pontifice, solo æquata, ut novum S. Petri Templum perficeretur; eximii Cardinalis Sepulchrum in Meridionalem veterum, ut ajunt, Cryptarum navim, ubi hodiedum extat, delatum est. Marmoreum ejus epitaphium hic reddimus modeste quidem concinnatum. Verum is a Callixto III. Collegio Canonicorum Vaticanæ Basilicæ adscriptus (*b*) & Sixto IV. Sacra Purpura decoratus, vel ex uno Collegio Nardino hactenus existente, quod ille instituit, ac redditibus ditavit, satis commendatur. Præter Avenionensem Legationem, qua functus est, quamve sepulcralis Inscriptio memorat; antequam S. R. E. Cardinalis renunciaretur, Thesaurarius generalis Marchiæ Anconitanæ, Massæ Trabariæ, Præsidiatusque Farfensis, & Rector Patrimonii Beati Petri in Tuscia est constitutus (*c*) Urbis Præturam gessit, acre bellum, quod pluribus annis inter Helvetios, Ducesque Austriæ exarsit, sua prudentia sedavit; & ad extinguendos Germaniæ bellicos motus a Pio II. Pontifice aliis suis Oratoribus Stefanus feliciter adjunctus fuit (*d*). Mediolanensem rexit Ecclesiam, idcircò *Cardinalis Mediolanensis* nomine ab ejus ævi scriptoribus indicatur. Ejusdem opera Paulus Secundus plurimum usus est tum in rebus Pontificiæ ditionis, tum in civili Gallorum bello componendo (*e*) Jacobus Piccolomineus, sive Ammannatus, Cardinalis Papiensis vulgo dictus, Nardinum laudat: Verumtamen haud tacet (*f*) ex ejus etiam consilio factum esse, ut quas singuli Cardinales, & ipse Paulus Secundus jurejurando ac voto se observaturos spoponderant, salubres nonnullæ pro Ecclesia leges non tam temperarentur, quam abolerentur: quod summopere optabat idem Pontifex, cujus desideria illis legibus impediebantur. Cæterum Lapidis suprema pars quum ab altaris suppedaneo tegatur, ideoque primus lateat Inscriptionis versus; hunc ex Turrigio (*g*) supplevimus, reliqua vero, nempe a S. M. TRANSTIB. usque ad finem, ex marmore ipso describentes, integram dedimus epigraphen. *D. O. M Stephano Nardino Forolitviensi Tit. S. Mariæ Transtiber. Presb. Card. Mediol. Legato Avenion. posit. an. sal.* 1484. XI. *Cal. Novembr.* Certe Cardin. Nardinus die 22. Octobris feria sexta obiisse dicitur ex Burchardi Diario apud Ciaconium (*h*) qui & illius epitaphium recitat paulo aliter quam in præsenti tabula exhibetur; & ejusdem virtutes, atque præclara munera recenset.



TA-

(*a*) Num. 72. (*b*) Ex Regist. 16. Epistolar. de Curia Callixti III. apud Archiv. Apost. Vatic.
(*c*) Ex Regist. 1. Officior. Callixti III. apud idque Archiv. (*d*) Raynald. ad ann. 1459. num. 55.
(*e*) Idem ad ann. 1466. num. 13. (*f*) Commentar. lib. 2. (*g*) Crypt. Vatic. pag. 288.
(*h*) Tom. 3. col. 48., & 49.

TABULA XXXIX.

HANC ut facilius valeat quisquis legendo percurrere, nexibus, ac verbis quæ compendio exarata sunt, explicatam, & ad laterale utrumque latus, ubi etiam aliquanto mutila est, literis diverso tamen charactere expressis suppletam ita reddimus.

. . . .
. . . . . . SANCTI LVCII PAPÆ
S. PigmENII PRESBYTERI
Sanctorvm ChrVSANTHI (a). ET
ThrasONIS. Sancti CAII PAPÆ
S. QviRINI (b). S. MILITI
SanctoRVM TROPHI ET CALOCEri
Sanctorvm ZEFFERINI PAPÆ ET
TARSICII S. IPPOLVTI (c)
SANCTORVM QVIRIACI. LARCI
SMARGDI. ET ARCHELAI
S. CORCONII (d) ET ALIORVM
SANCTORVM QVORVM NOMINA DEVS SCIT
S. IANVARII. SANCTORVM XXV.
SANCTORVM PAMPHYLI ET PAVLI
SANCTORVM PROIECTI ET SEDERi
SANCTORVM OPTATI ET POLVCHAMi
S. DIONYSII PAPÆ S. NEMESII DIACONI
SancTARVM DARIÆ ET HILARIÆ
SANCTARVM MEMMIÆ ET IVLIANæ
SanCTARVM ARTHEMIÆ CONCORDIæ
SanCTARVM SOFIÆ PISTIS HELPIS ET
ACAPÆ SANCTÆ CONCHILIÆ Et
TRIFONIÆ SEV CYRILLÆ
SANCTORVM STEPHANI SILVESTRi

Ea modo, quæ circa ipsam tabulam observanda sunt, persequamur. In veteris Basilicæ atrio ad ortum prope Ottonis II. Imper. sepulchrum extabat *parvula ædicula*, ut loquitur Tiberius Alpharanus in ejusdem templi ichnographica delineatione num. 119, multorum Sanctorum Reliquias continens, ubi integra legebatur inscriptio, quam Ugonius Station. XI. pag. 94. meminit, ac nos mutilam, prout nunc existit, in hac tabula exhibemus. In sacris nonnullis Urbanis ædibus hodiedum suppetunt vetusti lapides, in quibus majores nostri Reliquias Sanctorum in propriis Ecclesiis adservatas recenseri curarunt. Exemplo sit prisca marmorea inscriptio, quæ ima parte templi S. Angeli in Piscina cuique patet, & sic incipit: *Hæc sunt nomina Sanctorum, eorum beneficia* (nempe Reliquiæ: eo tamen vocabulo cave ne existimes, Sanctorum Corporum particulas fuisse semper designatas; sed frequenter intellige brandea, seu pannos alta ribus impositos, aut lampadarum Oleum, aut sacrum quidpiam hujusmodi) *hic requiescunt*; *idest Domini*

(a) Idest *Chrysanthi*. Veteres enim V pro Y quandoque usurpasse, alibi animadvertimus.
(b) Hic Turrigius Crypt. Vat. pag. 18. nomen S. *Satiri* ponit contra marmoris fidem. (c) Nimirum *Hippolythi*, V loco Y. (d) Nempe *Gorgonii*.

mini & Salvatoris nostri Jesu Christi, *Sanctæque ejus Genitricis Mariæ Dominæ nostræ*, *Sancti Michael*, *& Gabriel Archangeli*, *Sancti Petri*, *Sancti Pauli* &c. Huic epigrammati aliud Vaticanum, de quo inpræsentiarum agimus, simile videtur; indiculus nimirum esse creditur sacrarum Reliquiarum in præfata ædicula conditarum. Sancti, quorum propria nomina mutilus præfert lapis, numero sunt unus & quadraginta; omnes, tribus circiter exceptis, Martyrii gloria illustres: cumque, si paucos demas, in Martyrologio Romano celebrentur, non est cur de his singulatim dicam: quare de illis dumtaxat paucis, quos idem Martyrologium reticet, nonnihil adnotandum puto. Ac primus sese offert *Militus* in lapidis versu V; hunc autem vetus alia tabula marmorea in porticu Ecclesiæ Sancti Silvestri in Capite, aliquot Sanctorum dies natales exhibens (*a*), his plane verbis commemorat: *Die xxv. mensis supra-scripti* (nempe Aprilis) *Natale Sancti Militi Martyris*. Insuper Militus adnumeratur aliis compluribus Christifidelibus, qui sub Maximiano Byzantii Martyrio coronati sunt, & apud Bollandianos die 8. Maii recensentur. Versu VI. mentio est Sanctorum *Trophi* & *Caloceri*: & quoniam in sacris fastis ut nomen hujus occurrit, ita illius desideratur, equidem puto, in nostro lapide male exaratum esse *Trophi* pro *Trophimi*, nam in prædicta Ecclesiæ S. Silvestri tabula sic legimus: *Mense Majo die XII. Natale Sanctorum Trofimi & Caloceri*. Versu decimotertio notantur XXV. Martyres, tacitis tamen eorum nominibus, ac ii videntur esse non qui ex Græcis Synaxariis die 1. Julii Nicomediæ igne consumti sunt, sed qui Romæ, Diocletiano imperante, simul comprehensi, primum XXIII., deinde Abundius & Abundantius, eorum tum socii tum coryphæi, truncatis capitibus Martyrium compleverunt, uti ferunt eorum acta, qualiacumque tandem ea sint, ex pluribus ms. olim Romæ a collegio Patrum Societatis Jesu, ac postmodum a Bollandistis die 16. Septembris edita. Quòd vero neque hac die, neque Nonis Augusti mensis, quando XXIII. Martyres Socii Sanctorum Abundii & Abundantii ex Romano Martyrologio coluntur, sed mensis Novembris *die* XV. *Natale Sanctorum vigintiquinque* enunciatur in prædicta Silvestrina tabula, non idcircò ab ea, quam mox proposui conjectura secedendum puto, illa siquidem tabula in designandis diebus natalitiis Sanctorum a Martyrologio Romano plerumque discrepat. In versu XV. pro *Seder* legi debet *Seberi*; nempe *Severi* ex literarum V & B frequenti apud veteres permutatione: nostri lapidi sculptor in ventre tertiæ literæ *D* transversum lineam, qua *B* efformatur, ducere per oscitantiam omisit; & sane eadem Ecclesiæ S. Silvestri tabula die 13. Octobris *Natale Sanctorum Projecti & Seberi* perspicue indicat. Ibidem V. Kal. Decembris natale habetur SS. *Optati & Polychami*, quemadmodum in nostro lapide versu 16. etiam legimus. In Ecclesiæ fastis non invenio Polychami nomen, pro quo Ugonius Stat. 30. Tabulam Silvestrinam Italice vertens *Policarium* posuit, ac Turrigius Vaticanam recitans (*b*) *Polyanum* scripsit, sed uterque contra gemini marmoris fidem, licet depravati corruptique nominis suspicioni sit locus; quare ut illi Policarius & Polyanus suffectus fuit, sic quoque, veluti divinando, *Polycarpum* substituere fas esset. Deinde *Memmia & Juliana* vers. 19. in præsenti lapide commemorantur, easdemque vetustissimum Romanum Kalendarium, a Bucherio vulgatum, VIII. Augusti die cum aliis Martyribus Cyriaco Largo & Crescentiano celebrat: propterea nonnihil miror, in Martyrologio Romano pridie Id. Augusti, ubi de his Sanctis mentio fit, *Nimmiam* legi loco *Memmiæ*. Tum versu 20. Vaticani marmoris sequitur S. *Arthemia*, quæ Romæ titulo Virginis & Martyris decora in Philippi Ferrarii Catalogo Generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, die 12. Augusti occurrit, ac recensetur cum in charta pergamena in Archivo Monasterii prædictæ Ecclesiæ S. Silvestri asservata, tum in ejusdem sacræ ædis marmore. Duo hæc vetera monumenta a Joanne Giacchetto in ipsius Ecclesiæ historia cap. 8. & 11. recitantur, atque ambo nomen quoque præferunt Sanctæ *Conciliæ*, quæ sane alia non est nisi *Conchilia* versu 22. nostri lapidis annotata. De hac paulo infra. Interim observare juvat

(*a*) Tabulam istam referunt Ugonius & Giacchettus paulo infra laudati, ac Vignolius exacte delineatam Libro Pontificali præmisit. (*b*) Crypt. Vatic. pag. 18.

vat miram ejusdem Vaticani lapidis cum indicatis Ecclesiæ S. Silvestri in Capite monumentis consonantiam, cujus quidem ratio mihi explorata non est: sed cum anno MCCLXVII. in eadem S. Silvestri Ecclesia sub S. Dionysii altare sacra complurium Sanctorum pignora inventa fuerint, & inde in alium ipsius templi locum translata, uti ex memorata pergamena charta laudatus Giacchettus cap. 8. memoriæ prodidit; ea occasione fieri potuit, ut ex repertis Sanctorum Reliquiis particulæ fuerint excerptæ, & in Vaticanam S. Petri Basilicam deportatæ. Id vero simillimum esse intelliget qui animadverterit, Sanctos illos, quorum nomina, sacrasque exuvias inventas & translatas prædicta enunciat vetus membrana, in nostro etiam lapide recenseri. In ipso præterea ad vers. 21. & 22. inter Beatos Cælestis patriæ cives enumerantur Sophia, Pistis, Elpis, & Agapæ græcis quidem vocabulis, at eædem sunt quæ apud latinos Sapientia, Fides, Spes, Caritas nominantur; ut Notkerus in suo Martyrologio die 1. Augusti disertis hisce verbis adnotavit: *Passio Sanctarum Virginum Pistis, Elpis, Agapis, quæ latine Fides Spes, Charitas dicuntur, & matris earum Sophiæ, quæ Sapientia interpretatur*. Omnes in Urbe, Hadriano Imperatore, Martyrium subiisse, verosimilius videtur. Ipsas latinis nominibus expressas, meminit etiam vetustissimus sacrorum oleorum a D. Gregorio M. ad Theodelindam Reginam ex Urbe missorum Indiculus, quem ex autographo in papyro Ægyptiaca exaratum descripsit Mabillonius: Muratorius autem, & Ruinartius (a) ediderunt. Caute propterea legendus Sollerius Bollandianus, cum ad diem 1. Augusti in Commentar. de SS. Virginibus Fide, Spe, & Caritate, earumque matre Sapientia scribit, frustra inquisitum, unde Usuardo, qui IX. Ecclesiæ sæculo floruit, innotescere illæ potuerint, quæ nempe omnibus Ecclesiasticis tabulis prorsus sunt incognitæ. Recensetur item S. Conchilia; cujus nomen cum apud Bollandianos socios, tum in sacro Gynecæo, seù feminarum Sanctarum Martyrologio, quod Arturus du Monstier concinnavit, studiosus, & anxius perquisivi, sed frustra quemadmodum Ruinartius in brevi adnotatione ad passionem S. Drosidis Virg. & Mart. testatur sibi non licuisse in Martyrologiis reperire nomen hujus Sanctæ feminæ, quam tamen S. Joannes Chrisostomus to. 5. homil. 71. pro concione laudavit. Nisi dicamus, oscitantem lapidicam nomen ipsum depravasse, memoriam vel aliquam S. Conchiliæ alias mihi ignotæ, huic marmori acceptam referre debemus. Verum nonnulla occurrunt Sanctorum nomina, quæ varie a variis scribuntur. Sic Abundius Vaticanæ Basilicæ Custos, de cujus Sanctimonia Gregorius M. lib. 3. Dialog. cap. 25. verba facit, dicitur etiam *Acontius* in pluribus antiquis codicibus, quos Turrigius Crypt. Vatic. pag. 181. vidit, & Patres Congregationis S. Mauri in hunc Divi Gregorii locum consuluerunt: sic *Maclovius*, celebris apud Armoricos Episcopus, cujus meminit Romanum Martyrologium die 15. Novembris, *Machutus* etiam appellatur: sic tandem, ut alia id genus missa faciam; *Κοΐντα Chointa*, Martyr Alexandrina, eadem profecto est ac *Quinta*. Jam coniicere quis vetat Conchiliam non aliam esse a *Quinctilla* Surrentina Martyre, cujus memoria XIV. Kal. Aprilis celebratur? Denique versum penultimum illustrat antiquus codex, ut dicitur IX. seculi (b) qui Urbana SS. Martyrum loca enarrat, & circa viam Tiburtinam ait: *Ibi est Triphonia uxor Decii Cæsaris, & Cyrilla filia ejus*. Consule Baron. not. in Martyrolog. die 18. & 28. Octobris. Marmor hocce latitudine palmos Rom. 1. & semis, longitud. pal. V. cum quadrant. protenditur, & in veteribus Cryptis Vaticanis ad Austrum in præsentiarum extat.



TA-

(a) Act. Mart. sub fin. (b) Apud Joann. Georg. Eckhart tom. 1. Commentar. de rebus Franciæ Orientalis &c. pag. 831. & seq.

TABULA XL.

ALterum inscripti lapidis præcedenti similis, & admodum vetusti fragmentum hic delineatum aspicitur longe accuratius quam apud Turrigium (*a*) refertur, qui illud anno Domini MDXXXI. die 18. Februarii comperit in pavimento altaris S. Mariæ *Prægnantium*, & post biduum muro affigi curavit. Marmori, de quo proxime locuti sumus, impræsentiarum adjacet, altumque est pal. fere 11., ac nonnullorum præfert Sanctorum nomina, eorum scilicet, si eidem Turrigio audiamus, quorum Sacræ Reliquiæ in Vaticana Basilica asservabantur. Plures Martyres *Zotici* nomine distinctos meminit Martyrologium Romanum. Zoticus in hoc marmore indicatus, is videtur esse, qui cum aliis sub Hadriano Imperatore ex eorum actis a Baronio ad diem 10. Februarii laudatis martyrio coronatus dicitur, in cujus quoque honorem Deo erecta in Monte Palatino olim fuit Sacra ædes ab ipso Baronio, & Florav. Martinellio (*b*) commemorata, quam aliquandiu ob vetustatem cultu destitutam Urbanus VIII. Pont. Max. funditus instauravit. Post S. Zoticum mox in lapide sequitur S. *Eutychius*, quo sub nomine in Martyrologio Romano complures leguntur martyres: hos inter celebris est ille, cujus natale pridie Nonas Februarii celebratur, & magnam in variis cruciatibus pro Christo Domino perferendis constantiam S. Damasus Summus Pontifex carm. XVII. commendavit. Ubi marmor habet S. EVANGEL . . . . . suppleri forsitan posset sic perlegendo: *S. Evangelista Lucas*, aut alius ex Evangelistis: cum tamen in Martyrologii Hieronymiani apographis, atque in aliis veteribus agiographis nonnullis *S. Evangelius* Martyr Alexandriæ occurrat, quem etiam Bollandiani Socii ad diem 27. Maii to. 6. ejusdem mensis pag. 678. meminerunt, legi quoque probabiliter potest: *S. Evangelius*. Notanda est figura literæ G uncialis seu majusculæ sic quidem efficta, ut in sinistra ejus parte hasta sive linea non sursum sed deorsum ducta sit, qualis potissimum ab antiquis Scriptoribus usurpari consuevit: uti non modo apud Mabillonium in tractatu de re diplomatica, verum etiam apud Josephum Blanchinum in prolegomenis ad quartum Anastasii Bibliothecarii volumen pag. XXI. Ballerinios fratres pag. VI. præfat. in S. Zenonem, & alios cuique licet perspicere; ac idipsum edocent Inscriptiones a Clariss. præsule Benedicto Passioneo illustratæ pag. 116. 120. &c. *S. Olympicus* num idem est ac Olympius tribunus, qui cum ejus uxore Exuparia, & filio Theodulo, atque Symphronio, cujus opera ii ad Christum conversi sunt, Romæ igne combustus in gestis S. Stephani Papæ Martyr occubuisse (*c*) traditur? Quoad S. *Epictetum* attinet, in Portu Romano S. Epicteti Martyris ejusque Sociorum memoriam die 22. Augusti Romanum Martyrologium celebrat. Sed difficile est certo quidpiam statuere, & truncatum hunc lapidem omnino supplere.

Par difficultas circa aliud fragmentum in hac Tabula expressum altum pal. 11. semis, latum 111. in antiquo Vaticanæ Basilicæ pavimento repertum a Turrigio (*d*); & eodem curante in veteribus cryptis ad Australem partem muro affixum cum hac inscriptione: *Vetustum fragmentum sepulchri viri Christiani hic affixum MDCXXXI.* Quod autem hujus epitaphii versibus compositi superest, sic habet:

...S

(*a*) Crypt. Vatic. pag. 331. 332. (*b*) Rom. ex Ethn. Sac. pag. 302. & seq. (*c*) Martyrol. Rom. 26. Jul. & 31. Octobr. (*d*) Crypt. Vatic. pag. 332. & seq.

. . . . S PONDERA CARNIS
. . . . SVL' HIC SVA MATER H..
. . . . IC QVID DE PVLVERE Svmsit
. . . . rEDDIDIT OSSA
. . . . FVERAT SVPER AEThera
. . . . diVITIBVSQVe . . . .
. . . . II SI CARVs . . . .
. . . . . VSv . . . .

Modicum supplementum hic minusculo charactere exaratum confecit Turrigius, qui tamen epigraphem recitans, verbum FVERAT vers. 5. ex typographi forsan oscitantia omisit. Animadvertenda in lapide est forma literæ C angulata, quam pro rotunda veteres aliquando usurparunt, ut ex Mabillonio de Re Diplomat. lib. 5. Tab. 2. pag. 347. facile deprehenditur. Figura autem literæ Q vers. 6. ita se habet, ut circulari formæ nulla exterius nota inhæreat, sed intus affixa sit recta lineola, quo certe pacto hanc literam antiqui sæpe affinxerunt, ut præsentis Operis Tabula XVI. vers. 1., memorata paulo ante alia tabula Ecclesiæ S. Silvestri in Capite, quam Libro Pontificali Vignolus præmisit, aliaque vetera monumenta luculentissime demonstrant. Illud vero signum, quod vers. 2. ad finem nescio cujus vocabuli (ibi namque marmor est mutilum) adscriptum sic videmus, SVL', apostrophen licet existimare, notam videlicet adscitam ultimæ verbi literæ, quæ literam ab eo loco aversam indicat; cujus quidem rei apud Plautum & alibi exempla extant: Consulatur Dausquius in Orthograph. tom. 1. tract. 4. cap. 18.

TABULA XLI.

MArmoreum hoc monumentum alt. palm. 11. & semis, latum 111. cum dimidio, majori sane diligentia & fidelitate exhibemus, quam a Turrigio (a) refertur. Illic olim extabat (b) quo, veteris Basilicæ parte altera disjecta, Julio II. Pontifice, in alteram superstitem translata est ara in honorem SS. Processi, & Martiniani Martyrum (c) ac *Visitationis Beatæ Virginis*, Pompejo Ugonio teste (d), Deo sacra, ad dexteram scilicet ingredientium ampliorem, seu mediam ipsius Basilicæ navem; nunc autem muro affixum cernitur sub novi templi pavimenti fornice Meridiem versus. Parietina, ubi sacra imago erat expressa, anno Domini MDCXXVIII., aut MDCXXX. cum ex uno in alium locum deportaretur, confracta periit; cujus rei indubiam prælaudatus Turrigius (e) fidem facit. Sic enim habet: *Tal imagine fu depinta da Giotto Fiorentino, e dopo molti anni fu abbellita con varj ornamenti da Nicolò Acciajolo Fiorentino nel* 1544. (notandus erat annus 1543. juxta Inscriptionis fidem) *dedicando l' altare alla Visitazione della Beata Vergine; e nel fare l' adito di S. Andrea nel* 1628. *si ruppe di maniera, che non si puote più rimettere insieme* (Sacram Imaginem anno 1630. intercidisse, alibi (f) Auctor enunciat; ac proinde alterutro in loco mendum typographi cubat) *e solo vi si conserva la sua Iscrizione marmorea . . . . la quale anco si sarebbe smarrita, se io non avessi procurato, che di nuovo fosse affissa al muro alli* 3. *di Febraro* 1631.

Jottus autem, qui eam iconem coloribus

O de-

(a) Crypt. Vatic. pag. 41. (b) Ex eodem Turrig. ibid., & pag. 330. (c) Alpharan. Tab. Ichnograph. num. 42. (d) Station. XI. pag. 97. (e) Pag. 125. (f) Pag. 331.

delineavit, a Ciambue celebri pictore eruditus, eo Magistro sic profecit, ut non modo illius exæquarit peritiam, verum etiam picturam a Barbaris deturpatam, pristinum in statum restituerit. Magnum hinc sibi nomen dum vixit, ac post obitum, qui anno Domini MCCCXXXVI. contigisse fertur, jure-merito comparavit, ut cum pictæ ab eo tabulæ, quarum nonnullæ adhuc supersunt, tum illustrium virorum de ipso testimonia luculentissime demonstrant. Jottum quippe etsi inconcinna fuisse corporis forma Boccacius; & Petrarca moneant, hic (*a*) tamen pictorem egregium prædicat, ille (*b*) uti virum facete differentem, modestum, ac inprimis stilo, sive calamo, aut penicillo singularem naturæ imitatorem, valde commendat: Flavius Blondus (*c*) *Appelli comparandum* existimat; ac teste Pio II. (*d*) *constat sui temporis omnium Pictorum fuisse nobilissimum*. Politianus quoque in Jotti laudem carmina concinnavit, quæ ad hujus libri Tabulam XXVI. recitantur. De præclaris autem Operibus, quæ in multis Italiæ Urbibus perfecit, Vasarius (*e*) & alii loquuntur. Romæ in Vaticana S. Petri Basilica Apostolorum navim ventibus agitatam accuratissime effinxit; dicitur etiam (*f*) ipsius templi absidem Summo Pontifice Benedicto XII mandante, affabre exornasse; utque ibidem sacras Novi, ac Veteris Testamenti historias adumbraret, selectus esse, quemadmodum refert laudatus Vasarius, qui mox ista subjungit; *Onde cominciando Giotto, fece a fresco l' Angelo di sette braccia, che è sopra l' Organo, e molte altre pitture, delle quali parte sono da altri state restaurate a dì nostri, e parte nel rifondare le mura nuove, o state disfatte, o trasportate dall' edificio vecchio di S. Pietro fin sotto l' Organo, come una nostra Donna, in muro* (hæc potissimum notanda ad præsentis epigrammatis illustrationem) *la quale, perchè non andasse per terra, fu tagliato attorno il muro, & allacciato con travi, e ferri; e così levata, e murata poi, per la sua bellezza, dove volle la pietà, & amore, che porta alle cose eccellenti M. Niccolò Acciajoli, Dottore Fiorentino, il quale di Stucchi, e d' altre moderne pitture adornò riccamente quest' opera di Giotto*. Hæc tamen Nicolai Acciajoli cura non obstitit, quin ipsa Deiparæ imago post annos circiter LXXXVIII. periret, ut paulo ante narratum est.

Præter hanc pictam tabulam, ejusque præstantissimum Auctorem Jottum, meminit etiam inscriptus lapis perillustrem, ac veterem Acciajolorum Familiam a Joanne Villanio, Scipione Ammirato, aliisque Scriptoribus de Etruriæ rebus laudatam, ac præsertim a Matheo Palmerio, qui Nicolai Acciajoli sæculo Ecclesiæ XIV. Viri clarissimi vitam (*g*) copiose est prosequutus. Hunc quidem Nicolaum nemo non videt alium esse ab eo, quem Inscriptio, & Vasarius commemorant: sed & Donatus Acciajolus Urbis Senator, qui in eodem lapide occurrit; in serie Senatorum Urbis apud Crescimbenium (*h*) desideratur. Attamen in brevi narratione de origine Familiæ Acciajolæ, ac perillustribus ejus viris, ab aliquo, ut coniicere fas est ejusdem domus lucubrata, atque a Joanne Bapt. Ubaldino evulgata ad calcem Historiæ Familiæ Ubaldinorum, pag. 176. Donatus Acciajolus recensetur, quæ gessit præclara munera, indicantur; ac insuper de ipso hæc habentur: *Fu da Ladislao Re di Napoli fatto Barone di Basciano, e del Castagno negl' Abruzzi l' anno 1392. Senator di Roma, e dal detto Popolo cittadino Romano*. In quinto versu epigrammatis sigla E. Æ. Turrigius (*i*) explicat, *Ejus ære*, nempe ejus sumptibus: Aldus Manutius in Commentario de veterum notarum explanatione, quæ in antiquis monumentis occurrunt E. Æ., *Ejus ætas* interpretatur. In hoc tamen lapide legendum videtur: *ex ære*, vel *ejus* (scilicet imaginis) *æreum*, nempe *ornatulum*, quam dictionem ad significandum, ut puto, modicum ornatum auctor Inscriptionis adhibet, nullo bonæ antiquitatis, quod sciam, exemplo.

(*a*) In Testamento inter ejus Opera Tom. 3. pag. 117. edit. Basilcæ per Sebast. Henricpetr.
(*b*) Decamer. Gior. 6. novell. 5. (*c*) Ital. Illustr. reg. 2. (*d*) In Commentar. lib. 2.
(*e*) Vit. de Pittori par. 1. pag. 119. & seq. edit. Florent. 1568. (*f*) Turrig. Cr. Vat. pag. 62.
(*g*) Apud Murator. Script. rer. Italic. tom. 13. pag. 1202., & seqq. (*h*) De Statu Eccles. S. Mariæ in Cosmed. lib. 3. cap. 4. (*i*) Cr. Vat. pag. 41.

TABULA XLII.

PRope duo monumenta, de quibus mox locuti sumus, extat marmoreum sepulcralis Inscriptionis fragmentum, pal. 111. latum, altum 1. semis, exametris & pentametris versibus concinnatum, quod in veteris Basilicæ Vaticanæ pavimento Turrigius (*a*) invenit, ac die 29. Julii MDCXXXI. muro affigi curavit, apposita hac epigraphe: *Vetus fragmentum sepulcbri uxoris Domitii feminæ Christianæ*. In Epitaphio autem uxor defuncta superstitem maritum alloquens per prosopopejam a poeta inducitur, quale est illud Augusti ætate exornatum, hisque conceptum verbis:

Immatura peri; sed tu felicior annos;
Vive tuos, conjux optime, vive meos.

Sed marmor nostrum ex eo præstat, quod Christianam mulierem exhibeat prohibentem, ne se mortuam vivens maritus lugeat. Et merito quidem: luctum enim hujusmodi, quem in suorum obitu vel philosophi ethnici non ferebant, quamquam eis utpote salutis æternæ spe destitutis maxima esset ratio cur ingemiscerent; Christianæ Religionis instituta jure vetant. Sane Cypriano, ut ipse S. Martyr ait in libro *de Mortalitate*, revelatum est, & frequenter ac manifeste ex Dei dignatione præceptum, ut contestaretur assidue & publice prædicaret, Christifideles *non esse lugendos accersitione Dominica de seculo liberatos; cum sciamus, non eos amitti sed præmitti; recedentes præcedere ut proficiscentes ut navigantes solent; desiderari eos debere non plangi, nec accipiendas esse hic atras vestes, quando illi ibi indumenta alba jam sumpserint: occasionem dandam non esse Gentilibus, ut nos merito ac jure reprehendant, quod quos vivere apud Deum dicimus, ut extinctos & perditos lugeamus*. Eadem est pluribus aliis Patribus sententia, quam Apostolus jam docuerat ad Thessalonicenses (*b*) scribens in hunc plane modum: *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus* (vita mortali functos vocat *Dormientes* Κεκοιμημένους, unde & locus, in quo Christianorum cadavera tumulantur Κοιμητήριον Cœmeterium Græce, Latine Dormitorium, dicitur ob infallibilem resurrectionis fidem) *ut non contristemini sicut & ceteri, qui spem non habent. Si enim credimus, quod Jesus mortuus est, & resurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo*. Confer Tabulam XLIV. His verò luctum inordinatum tantummodo inhiberi, Sanctorum virorum, qui sibi charos morte ereptos, tristitiæ tamen modum imponendo doluerunt, exempla comprobant: Consulatur Augustinus lib. 9. Confess. cap. 12. ubi loquitur de mærore animi, quo ob Sanctæ Matris suæ obitum affectus est, & de lacrimis, quas exigua parte horæ profudit. Ceterum Domitius in lapide memoratus V Ecclesiæ seculo circa Summi Pontificis Leonis Magni tempora vixisse censetur a Turrigio, qui hoc epitaphium referens, perperam legit vers. 3. *Revolutus* pro *Revolutis*, & vers. ult. *escit* pro *nescit*, initium autem primi vocabuli versus quarti ita supplet *te*NVI. Verba singula, quæ in tituli versibus continua sunt, nos, ut facilius perlegantur, intervallo distinximus.

Nunc ad aliud explicandum hujus Tabulæ monumentum accedamus. In meridionali veterum Cryptarum navi hodie in pavimento extat marmoreum hoc sepulchralis Tituli fragmentum, quod apud Turrigium (*c*), & ex eo apud Ciaconium (*d*), legitur turpissime depravatum, hic vero a nobis ex monumento ipso fideliter descriptum recitatur. Epigramma certe positum fuit Richardo Oliverio Longolio de Augio, natione Gallo e Normannia, Guillelmi de Longueil, seu de Varengevilla, & Offreinvilla domini (*e*) Vicecomitis Augi filio; cujus quidem nec Petrus Frizon in *Gallia Purpurata*, nec Samarithani fratres in *Gallia Christiana*, nec Ciaconius in Cardinalium Vitis, nec alii, quos legi, patriam enun-

O 2 cia-

(*a*) Crypt. Vatic. pag. 332. (*b*) Epist. 1. cap. 4. vers. 12. (*c*) Crypt. Vatic. pag. 348.
(*d*) Vit. Pont. Rom. & Cardin. to. 2. col. 996. (*e*) Ita Sammartani Gall. Christ. to. 11. col. 893.

ciarunt, dicere tantummodo contenti, Richardum Longolium fuisse e Normannia Galliarum Provincia. Sed quod illi tacuerunt, lapis præsens indicat eis plane verbis: *Patria Thoca fuit.* Jam vero *Touquam, quæ validissima est in Normannia arx*, luculente meminit Gallus ejus ætatis, nempe XV Ecclesiæ seculi, Scriptor Robertus Gaguinus in suis rerum Gallicarum Annalibus pag. 198. edit. Francofurt. ann. 1577. & in magno Vocabulario Geographico, quod Bruzen La Martiniere edidit, Thoca Gallice Touques sic describitur; Burg de France en Normandie avec Chateau & Port de Mar. Ce Burg est situé dans le pays d'Auge, au diocese de Lizieux, latine Lexoviensis &c. Longoliorum autem familiæ nobilissimum plane genus, vetustatem, atque splendorem, dignitatem quoque ac honores, Christophorus Longolius in Oratione coram Leone X. Rom. Pontifice habita anno MDXXI. testatur. Nihil autem, aut parùm fieri debet in Richardo Oliverio præclarum ejus genus, quum animi in primis virtutes expendi oporteat, in quibus veram nobilitatem sitam esse, vel ipsi Ethnici Philosophi intellexerunt, ac pronunciarunt. Profecto Pii II. Summi Pontificis de nostro Richardo Constantiensi Præsule, ut Jacobus Piccolomineus, Cardinalis Papiensis vulgo appellatus refert (*a*) hoc fuit judicium: *Utinam Constantienses haberemus plures, bene consultum esset Ecclesiæ; Vir gravis est, vir bonus, vir mitis, vir doctus, semper in suis sententiis vesus*. Idem vero Papiensis (*b*) Richardum appellat Sacerdotem in dicenda sententia liberum, in proposito constantem, justi & æqui amatorem, nihil gratiæ indulgentem aut corruptelæ; atque alibi (*c*) sic affatur; *Sola virtus tuum me fecit: es doctus, es integer, es humanus, & qui digne sedeas ad consilium Romanæ Ecclesiæ*. Hominem his virtutibus ornatum, Carolus VII. Galliarum Rex primum sibi consiliarium delegit, Calixtus Tertius Summus Pontifex Constantiensem Episcopum in amplissimum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Collegium Titulo Sancti Eusebii adscripsit; Paulus II. Romanus item Pontifex Portuensem Episcopum, & Vaticanæ Basilicæ Archipresbyterum renunciavit, ac Legatum Perusiam misit.

Hac in Urbe Richardum obiisse scribit Ughellius (*d*) sed Turrigius (*e*) & Ciaconius Romæ decessisse vere affirmant. Eodem Turrigio teste (*f*) vir adeo eximius, postquam in memorata S. Petri Basilica annos v. menses II. dies XXII. Archipresbyteri dignitatem gessit, anno reparatæ salutis MCCCCLXX. die 20. Augusti ex hac vita migravit. Die autem 22. ejusdem mensis, atque sex proxime subsecutis diebus ei a Canonicis parentatum fuit celebri sane pompa, in qua ceræ quadringentas supra mille libras consumptas fuisse perhibetur. Corpus tumulatum est in SS. Martyrum Processi, & Martiniani Sacello, quod in veteris Basilicæ Navi ad Austrum extabat: atque ad ejusdem Sacelli altare hæc olim legebatur Inscriptio: *Richardus Episcopus Portuensis Cardinalis Constantiensis, Normannia oriundus hoc altare vetustissimum nova facie & dote nova, testamento jussit ornari, ubi in pace requiescit. MCCCCLXX.* Ipsum pietatis officium magis explicatur in Ms. Codice, cujus particulam Turrigius (*g*) profert in hunc modum: *Cappella SS. Processi, & Martiniani Mart. a Riccardo Episcopo Portuense Card. Constantien., Archipresbytero Basilicæ ornata, ac dotata anno Domini MCCCCLXX. cum onere, ut per duos Cappellanos celebrentur singulis annis* 120. *Missæ, idest per quemlibet* 60. *Missæ*. Duo Cappellani hodieque existunt, quorum singuli quotannis ad eorumdem SS. Martyrum altare sexagies debent rem Divinam facere, & Cappellani ad Altare *S. Petri ænei*, seu *de Bronzo* (*h*) *nuncupantur*. Æneum Apostolorum Principis Simulacrum, quod in Oratorio veteris dirutique Monasterii S. Martini ad Vaticanum colebatur, Maphæo Vegio teste, in SS. Processi & Martiniani Cappellam translatum, juxta eorum altare positum fuit: hinc altare ipsum duplici titulo appellatum invenitur, quemadmodum Turrigius (*i*) scite animadvertit ex duobus Instrumentis; quorum alterum anno 1579. confectum sic habet: *Altare S. Petri de Bronso, sive SS. Processi, & Martiniani*: in altero ita legitur: *Altare, quod vulgariter dicitur S. Pietro di Bronso, alias SS. Processi, & Martiniani*.

Si

(*a*) Epist. 97. (*b*) Ibid. (*c*) Epist. 111. (*d*) Ital. sacr. to. 1. pag. 144. (*e*) Cr. Vat. p. 116.
(*f*) Ibid. (*g*) Pag. 348. (*h*) Bullar. Basil. Vatic. to. 2. pag. 362. & 391. & to. 3. pag. 65. seqq.
(*i*) Ad calcem Opusculi, quod inscribitur, *Li sacri Trofei Romani* pag. 154.

Si Ughello cit. audiamus, Riccardus Longolius curavit, ut destructa Jovis Capitolini Statua, ipsum, de quo loquimur, Simulacrum æreum S. Petri fieret, & in Basilica Vaticana collocaretur. At Ughellum erasse in hac parte, Turrigius loco mox laudato asserit nonnullorum prolatis auctorum testimoniis: quos inter Maphæus Vegius (anno æræ Christianæ MCCCCLVII. aut paulò post, nimirum anno primo Pontificatus Pii II. vita functus) in libro IV. de rebus antiquis memorabilibus Basilicæ S. Petri, *ad sinistram partem*, ait, *ingressu Basilicæ veniamus, inveniemus primo ibi locum, quo nullus propinquior altari Majori, ubi situm erat tertium Monasterium S. Martini . . . . in quo habitabat tertia alia Congregatio servientium Basilicæ, cujus etiam Oratorium cum aliquibus adjunctis domunculis paulò ante hæc tempora vidimus, nunc omnia (quod non sine dolore magno scribimus, sicuti, & superiora, quæ commemoravimus) funditus disjecta sunt. Erat sane Oratorium ipsum summæ apud omnes devotionis, maxime, quod esset posita in eo imago ænea S. Petri, transportata postmodum ad aliud Oratorium Sanctorum Processi, & Martiniani: neque in tota Basilica post altare majus, ullus locus erat, ad quem major præ devotione fieret concursus populorum, majoraque oblatæ etiam stipis commoda susciperentur*. Nullus dubito, quin eversio hæc Oratorii S. Martini acciderit Pontifice Maximo Nicolao V. qui ad supremam hujusmodi dignitatem assumptus fuit anno Christi MCCCCXLVII., quique novum, & ingens ad caput Vaticanæ Basilicæ ædificium excitaturus, ut Probi templum eodem Vegio teste (*a*) solo æquavit, ita huic templo proximum (*b*) Sancti Martini Oratorium dejecisse existimandus est. At jampridem vetusto ipsi oratorio summam apud omnes devotionem ænea, de qua nunc nobis sermo, Sancti Petri imago inprimis conciliaverat. Igitur venerandum hoc simulacrum jam ante existebat, quam Longolius a Callixto III. Nicolai V. successore cooptaretur in S. R. E. Cardinalium Collegium, & a Paulo II. Basilicæ Vaticanæ Archipresbyter eligeretur (quo ex tempore in eamdem Basilicam munificus esse cepit); imo antequam in lucem prodiret. Non itaque Riccardus curavit, istud Principis Apostolorum simulacrum conflari; sed ei marmoream basim tantum posuit: quam nostra etiam ætate vidimus, licet paucis ab hinc annis aliud eidem æreæ imagini sustentaculum, idque admodum nobile, suppositum fuit; veteri illa basi, utpote rudi, sublata, delataque in Vaticani Seminarii ædes, quæ tamen, ni fallor, sub pavimento Basilicæ juxta Longolii sepulcralem lapidem fuisset aptius collocata. Ad hanc gentilitia Longoliæ Familiæ præferentem insignia provocant, qui in Ciaconium notas elucubrarunt: postquam siquidem animadverterunt, Frizonium scripsisse, scutum prædictæ insignis familiæ cæruleum esse, sex rosis, tribus superioribus aureis, aliisque inferioribus miniatis exaratum, mox ajunt: *Nos tamen, quæ in Vaticano sunt, cum Ciaconio supra expressimus*.

Prælaudatus Turrigius monet (*c*), Oliverium ab Impetatore Friderico III., qui anno Domini MCCCCLXV. cujusdam voti causa Romam iterum venit, confirmationem impetrasse omnium privilegiorum, quibus Augusti Præcessores Vaticanam Sancti Petri Basilicam donarunt; ac domum archipresbyteralem in ejusdem veteris Basilicæ atrio ad Australe latus olim extantem (*d*) pene a fundamentis instaurasse, quo pertinent hi versus (*e*) in atrio aliquando insculpti, & obvii:

Quam bene stare vides, quondam disjecta jacebam,
Et decus hoc facies fert modo culta novum.
Riccardus Normanna tuus Constantia Præsul,
Cardineæ struxit gloria magna togæ;
Presbyter, & Veneto Paulo regnante secundo,
Primus in hac Petri qui fuit Ecclesia. MCCCCLXX.

TA.

(*a*) Sub initium cit. lib. 4. (*b*) Vide Alpharan. Tab. Ichnograph. lit. *a* & *K*. (*c*) Cr. Vat. p. 116.
(*d*) Alpharan. cit. num. 150. (*e*) Apud Turrig. loc. cit., & Ciacon. col. 996.

TABULA XLIII.

Quod in hac Tabula delineatum cernitur sepulchrale monumentum marmoreum Cardinalis Francisci de Tebaldescis, longum palmos fere x., latum iv. sub pavimento Basilicæ occurrit ad Australem partem: olim verò existebat in sacello *De Ossibus Apostolorum* nuncupato, ac prope Divi Petri Confessionem erecto Boream versus, ut in Alpharani Tabula Ichnographica (*a*) licet inspicere. Fuit autem Franciscus de Thebaldescis, ut docemur ex Vaticani Archivii ms. Codice (*b*) patria Romanus, in Parionis regione ortus, Jacobi de Stefanescis Cardinalis S. Georgii ex sorore Nepos. In Divi Petri Basilica erat Canonicorum prior (sic ante Sixtum IV. vocabatur ex eisdem Canonicis antiquior, qui tamen postea, eodem Pontifice jubente (*c*) Decanus est appellatus) cum ab Urbano V. sacra purpura insignitus fuit, ac S. Sabinæ titulo donatus. Tenuit Canonicatum annos XXXIV., scilicet ante promotionem suam ad Cardinalitiam dignitatem annos XXIV., & post assumptionem usque ad obitum annos X., ac propterea, ut opinor, *Cardinalis de Sancto Petro* nuncupatus est. Sacellum *de Ossibus Apostolorum* mox memoratum pulcherrimo ornatu, pecunia ab se testamento legata, ædificavit; in eoque lapidem porphyreticum super quem Ossa Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli a Sancto Silvestro divisa dicuntur, magnificentius collocavit. Alterum Turrigius (*d*) monumentum suppeditat ad Cardinalem Thebaldescum spectans, atque ex membranaceo codice, qui Martyrologium simulque Necrologium complectitur, & in prælaudato Basilicæ Vaticanæ tabulario adservatur, ita descriptum: *In Nomine Domini Amen. Anno Nativitatis Domini MCCCLXXVIII. Die vero* VI. *Mensis Septembris. Obiit bo: me: Reverendiss. Pater, & Dominus D. Franciscus de Tebaldescis tit. S. Sabinæ presb. Card., Prior, & Concanonicus noster, qui nostram Basilicam multum dilexit. Nam juxta majus Altare construi, & erigi fecit Cappellam suam, in qua requiescit, quæ vocatur Altare* De Ossibus Apostolorum, *in qua instituit, & ordinavit tres presbyteros Clericos Chori, ultra numerum XX. Clericorum institutum per fel. rec. Dominum Bonifacium Papam VIII. per quos voluit perpetuis temporibus omni die celebrari in dicto Altari tres Missas pro Anima ipsius Cardinalis, ac Domini Theobaldi ejus Fratris Concanonici nostri, Notarii Domini Papæ, & suorum* &c. Ex iis profecto corrigenda sunt apud Ciaconium (*e*) duo, scilicet Franciscum de Thebaldescis fuisse Priorem S. Petri in Vincula, & Vaticanæ Basilicæ Archipresbyterum. Utrumque falsum. Nam ille extitit Prior, idest Decanus Canonicorum S. Petri in Vaticano, non *in Vincula*. Ecclesia quippe S. Petri in Vincula, alia certe est a Vaticana ejusdem Principis Apostolorum Basilica: in qua Franciscus de Thebaldescis Archipresbyteralem dignitatem nunquam obtinuit, quum ejus nomen, neque in Archipresbyterorum catalogo, quem Turrigius (*f*) edidit, neque in opere (*g*) quod de iisdem Jacobus Grimaldus elucubravit, reperiatur. Quanta autem in rebus gerendis prudentia claruerit Cardinalis de Thebaldescis, gravissima ostendunt munera eidem demandata. Nam Gregorius XI., inquit Ciaconius, illum contra perduelles Ecclesiæ Legatum nominavit; & Sabinæ, Campaniæ Maritimæ, Patrimonio Beati Petri in Thuscia, Ducatui Spoletano, ac nonnullis Urbibus insignibus cum multa auctoritate præfecit. In prædicto ejus sepulchrali monumento anaglyptice sed rudi plane Minerva excalpto, nihil notandum succurrit, præter Inscriptionem in lapidis margine incisam; quam commemoratus Ciaconius recitat in hunc modum:

Hic

(*a*) Num.9. (*b*) Cujus hac de re fragmentum profert Turrig. Crypt. Vatic. pag.234. (*c*) Bullar. Vatic. Bas. tom. 2. pag. 207. (*d*) Ibi pag. 235. (*e*) Tom. 2. col. 570. (*f*) Loc. cit. p. 606. seq. (*g*) Ms. asservatur in Vaticano Capitulari Archivio.

Hic requiescit Reverendissimus Pater Dominus
Franciscus de Thebaldescis tituli S. Sabinæ
Presbyter Cardinalis de . , ...
Qui vixit annos . . . . . .
Obiit a. Dom. 1388. *die* 7. *Mensis Septembris*
Indict. . . . . cujus Anima requiescat in pace Amen.
Orate pro eo.

Marmorea ipsa Tabula cum in veteris Basilicæ pavimento sita esset, epitaphii hujus pars non modica pedibus incendentium deleta est; quæ autem nunc superest, ita habet: *Hic jacet Reverendissimus Pater Dominus Franciscus de Thebaldescis tt. S. Sabinæ presb. Cardinalis . . . . . . Indiction. cujus anima requiescat in pace. Amen. Orate pro eo.* Undenam apud Ciaconium suppleta sit hujus Inscriptionis lacuna, equidem ignoro. In eo tamen supplemento illud pro arbitrio positum, falsumque esse opinor, die *septima* Septembris Thebaldescum obiisse, qui procul dubio, ut ex prælaudato Vaticano Necrologio palam fit, die sexta ejusdem mensis ex mortali vita migravit. Certe ejus obitus hac ipsa die consignatus reperitur etiam in Lapide sub initium sec. XVII., aut circiter exarato, & juxta vetus monumentum sepulchrale mox illustratum posito, quem in præsenti ænea tabula exprimendum quoque curavimus. In recenti hoc Epitaphio emortualis annus Thebaldeschii primum adnotatus fuit MCCCLXXXVIII. postea vero ex tribus notis æqualibus xxx. una deleta atque abrasa vir quispiam peritus mendum castigavit: Et merito quidem. Nam Franciscum Thebaldescum S. R. E. Cardinalem obiisse die VI. Septembris anno MCCCLXXVIII., luculenter constat ex duobus Vaticani Necrologii vetustis Codicibus in Archivio Basilicæ Sancti Petri asservatis: Unde corrigi etiam debet ejusdem Tebaldeschii titulus sepulchralis apud Ciaconiom relatus, ubi ille ex hac vita anno Domini MCCCLXXXVIII. decessisse perperam legitur.

TABULA XLIV.

Quod in hac Tabula exhibetur marmore insculptum sepulchrale epigramma, sub novæ Basilicæ pavimento ad Austrum, ubi modo visitur, die 8. Februarii anuo MDCXXXI. muro infigi, ne vetus monumentum intercideret Turrigius (*a*) curavit: qui etiam testatur, hunc titulum jussu Nicolai V. Pontificis in janua, quæ ad Atrium ducebat fuisse collocatum (nempe *adhibitum*, Grimaldi inferius allegandi verba sunt, *in usum portaram ante atrium Basilicæ*;) traditque insuper, positum esse Petro Priori Canonicorum Basilicæ Vaticanæ anno Dom. MXLIV. vita functo. Juxta hanc sententiam, quam Epiphanius Gizzius (*b*) amplectitur, ejusdem Inscriptionis lemma ab ipso Turrigio, vel saltem ejus ætate conceptum est his plane verbis: *Epitaphium Petri Prioris Canonicorum hujus Basilicæ, qui obiit anno* 1044. *hic affixum anno* 1631. Certe inficias non eo, per id tempus in eadem Basilica extitisse Canonicos, sive presbyteros divinis officiis ibidem celebrandis addictos: suppetunt enim tres Leonis IX. Romani Antistitis Sanctiones (*c*) sexta Indictione editæ, nempe anno æræ vulgaris MLIII., quarum altera inscribitur *Joanni Archipresbytero Venerabilis Ecclesiæ Beati Petri Apostoli, & ejusdem Ecclesiæ Canonicis in Monasterio S. Martini nunc ordinatis, & ordinandis, ut in Choro Beati Petri die,*

(*a*) Crypt. Vatic. pag. 347. (*b*) Descrizione della Basil. Vatic. pag. 80. (*c*) Apud Bullar. Basil. Vatic. tom. 1. pag. 22., & seqq.

die, *noctuque divina officia decantent*: altera eidem Joanni Archipresbytero, & memoratæ Ecclesiæ *Canonicis in Monasterio S. Stephani Majore nunc ordinatis*, *& ordinandis*: tertia demum ipsi Joanni, & prædictæ Divi Petri Basilicæ *Servitoribus*. Monasteria hæc Sancti Martini, & S. Stephani Majoris juxta eamdem Ecclesiam olim sita erant (*a*) in quibus longe ante decimum Christianæ Reipublicæ sæculum Monachi primum, Anastasio Bibliothecario teste, laudibus Deo in in ipsa Basilica concinendis emancipati, deinde circa annum Domini Millesimum presbyteri degerunt: qua de re pluribus in peculiari opusculo, si Deus dederit, disseremus. Verosimile igitur admodum est, epitaphium, de quo agimus, ad antiquiorem ex Canonicis, seu presbyteris anno Christi MXLIII. Vaticanæ Basilicæ inservientibus pertinere: quum is, cui posita inscriptio est, non solum eo nomine commendetur, quod dignus ob virtutes fuerit, qui *a reliquis*, scilicet, ni fallor, a collegis, sive inter collegas suos primum haberet locum; verum etiam Basilicæ Divi Petri dicatur *longævus vernula*, nimirum diuturno tempore eidem sacræ ædi inserviisse. At virum hunc Petri nomine fuisse insignitum, unde Turrigius resciverit, me quidem latet. Si forsitan ex epigrammatis postremo versu rem deduxit, oppido erravit: nam Petrus ibi alius non est, nisi Beatissimus Apostolorum Princeps, qui invocatur, ut Basilicæ suæ ministerio diutius addictum memoria teneat, defunctum scilicet precibus apud Deum adjuvet. Ignoramus itaque proprium nomen illius, cui titulus fuit inscriptus. Idcircò prælaudatus Jacobus Grimaldus in suo Instrumentorum libro (*b*) Lapidem hunc recte appellat fragmentum epitaphii cujusdam antiqui Canonici Basilicæ Sancti Petri defuncti anno MXLIIII. Nomen illud proprium in ea tituli parte, quæ periit, notatum fuisse crediderim; quæ autem portio superest, sic habet:

. . . . l domo p . . . . dolor . . . . . . mo
Jura Sacerdotis meritis implevit honoris,
A reliquis primum dignus habere locum.
Spiritui vixit; carni, prosternere, dixit:
Quodque sibi cavit, non obiit, sed abit.
Ergo tui templi longævus vernula menti
Sit, pie Petre, tibi: dicite corde pii.
Decessit XIII. *Kal. Aprilis anno Domini MXLIV.*

Priorem, eumque mutilum, ex recitatis hisce verbis ita legit Grimaldus (*c*)

. . . . lo . . . . domo prob dolor . . . mo.

In quarto versu; *Carni prosternere, dixit*: τὸ *prosternere* idem esse censeo ac *prosternitor*, secunda persona singularis modi imperativi passivi: & ea loquendi ratione significatur, Canonicus, de quo in epitaphio agitur, juxta Salvatoris nostri, & Apostolorum ejus præceptum cunctis omninò fidelibus impositum, facta carnis mortificasse, ut spiritu viveret (*d*). In ea, quæ proxime sequitur, sententia; *non obiit, sed abit*; mihi videtur epigrammatis auctor ad veram, & solidam, æternamque felicitatem alludere, qua post mortalis hujus vitæ ærumnas justi recreantur, atque potiuntur. Perinde Paulus Apostolus (*e*) Christifideles vita functos *Dormientes* appellat, ob spem scilicet futuræ resurrectionis. Huc sane spectant ea quæ in Joannis Bernardini Scoti S. R. E. Cardinalis epitaphio, anno MDLVIII. in S. Pauli Basilica Ostiensi juxta Sanctissimi Sacramenti Sacellum posito, leguntur verba illa Græco idiomate, Ουκ ἀπέθανεν, ἀλλὰ καθεύδει, (*f*), nempe, *Non est mortuus, sed dormit*. Longe vetustissima est alia Sancti Alexandri Mart. Inscriptio in Callixti Cœmeterio reperta, & a Boldetto (*g*) relata, quæ ita exorditur: *Alexander mortuus non est, sed vivit super Astra, & Corpus in hoc tumulo quiescit*. &c. Consulatur Tabula XLII.

TA-

(*a*) Alpharon. Tab. Ichnogr. lit. *a* & *b*. (*b*) Pag. 168. (*c*) Ibidem. (*d*) Ad Rom. cap. 8. v. 13.
(*e*) 1. Ad Thessalon. cap. 4. v. 12. (*f*) Græca hæc epitaphii pars mendose recitatur apud Ciaconium tom. 3. col. 847. (*g*) Osservaz. sopra i Cimit. lib. 1. cap. 44.

TABULA XLV.

IN Gryptarum veterum Australi fornice hodie extat, quod sub hujus Tabulæ num. 1. exhibetur sepulchrale Felicis Diaconi monumentum, ubi sic legitur: *Depositus Felix Diaconus V. Idus Martias Theodosio XV. & Placido Valentiniano IV. Augustis viris clarissimis, Consulibus*. Anno æræ Christianæ CCCCXXXV. Theodosius junior consulatum decimoquinto gerebat, & cum eo Valentinianus III. Consul quarta vice processit: Hoc igitur anno Felix est depositus. Vocabulum hocce in veterum Christianorum sepulchralibus titulis passim obvium. Eo sane antiqui Fideles designarunt cadaveris humationem, ut ex Divo Augustino, multisque epitaphiis luculentissime colligitur. Sanctus Doctor (*a*) de funere agens S. Monicæ Matris suæ: *Cum ecce corpus*, inquit, *elatum est, imus & redimus sine lacrymis; nam neque in eis precibus, quas tibi fudimus, quum offerretur pro ea sacrificium pretii nostri, jam juxta sepulchrum posito cadavere, priusquam DEPONERETUR, sicut illic fieri solet, nec in eis precibus ego flevi, sed* &c. Ex Inscriptionibus nonnullas profero. In lapide apud Boldettum (*b*) *Challotes* legitur *defunctus pri. Idus Jan. depositus* XVIII. *Kal. Febr.* Perinde habet apud Marangonium (*c*) alter lapis, ubi dicitur .... *III. Idus Majas fatum fecit*, idest obiit, *Leo*, *& depositus pridie Idus Majas* &c. Quis non videt, diem emortualem a die depositionis in hisce titulis distingui, & dies depositionis non alios esse, quam ii, quibus Challotis, & Leonis corpora tumulata fuerunt? Alia id genus epitaphia refert Vir Clar. Franciscus Victorius (*d*) nec absimile est illud a doctiss. Mabillonio prolatum (*e*) *VII. Idus Junias decesset de seculum* (sic) *puer Victorinus* ... DP V *Idus Junias*. Victorinus ergo animam egit die VII. Junii, ac post biduum die IX. ejusdem Mensis *depositus est*, nempe tumulatus. Hae insuper notione vox ista solis Christianorum sepulchris propria est, neque in re funerea Ethnicis unquam usurpata, quidquid Basnagius in historia Judaica secus judicet: Cujus quidem sententiæ neutiquam suffragatur Ovidii versus (*f*):

Depositum nec me qui fleat, ullus erit.

Nam τὸ *Depositum* recte explicatur desperatus, seu morti proximus; quod Servii auctoritate facile evincimus, qui in illud Virgilii (*g*)

Ille ut depositi proferret facta parentis;

Sic ait: „ *Ut depositi*, idest desperati. Nam „ apud veteres consuetudo erat, ut desperati ante januas suas collocarentur, vel „ ut extremum spiritum redderent terræ, „ vel ut possent a transeuntibus forte curari, qui aliquando simili laboraverant „ morbo. Cicero *agram & prope depositam* „ *Reipublicæ partem suscepisse*. Statius in „ Thebaide: *Ferte depositis opem*„: In veteri sane Vaticana Basilica ipsum, de quo loquimur, Felicis Diaconi epitaphium ad ejus tumulum extabat: Qua de re Jacobus Grimaldus testis omni exceptione major, hæc refert (*h*). *Die 6. Julii MDCVII. fuit apertum sepulchrum Felicis Diaconi sub Sancto Sixto III. situm ad pedes VIII. columnæ navis prædictæ lateralis* (minoris scilicet Meridiem versus) *erat autem satis consumptum, fereque in pulverem redactum: inde amotum, sub fornice novi pavimenti Ecclesiæ* (ubi hodiedum jacet) *humatum est cum suo antiquo epitaphio, quod a basi columnæ secandum curavi*: quod-

P ve

(*a*) Confession. lib. 9. cap. 12. (*b*) Osservaz. sopra i Cimit. lib. 2. cap. 6. pag. 396. (*c*) In Append. ad Acta S. Victorini pag. 104. (*d*) Dissert. Philolog. pag. 41. not. 2., & pag. 74. (*e*) Epist. de cultu Sanctor. ignotor. sub Eusebii Romani nomine §. 6. (*f*) Trist. lib. 3. Eleg. 3. (*g*) Æneid. lib. 12. v. 395. (*h*) In Ms. libro Instrumentor. pag. 159. terg.

ve clarr. Viri Aringhus (*a*) & Bottarius (*b*) in Roma subterranea evulgarunt. Vetustissimo igitur monumento in Cryptas delato positum fuit lemma istud: *Felix Diaconus sub Leone I.*: quod certe castigandum est, Felix enim, qui, ut vidimus, anno Domini CCCCXXXV. e vivis cessit, Diaconi munus Sixto III. Pontifice obire quidem potuit, non autem sub S. Leone I., qui anno æræ Christianæ CCCCXL. summus Antistes est renunciatus.

Quam sub num. 2. conspicis marmoream urnam, palmos Rom. VIII. longitudine superantem, altam vero palm. III., hæc Ottonis II. Imperatoris cineres continet. Augustum hunc Principem qui in Urbe Roma anno æræ vulgaris 983. e vivis decessit, tumulatum fuisse *ubi introitus orientalis Paradisi* (*c*) *domus Sancti Petri cunctis patet Fidelibus*, Ditmarus (*d*) tradit; aliique veteres cum Ottone Frisingense (*e*). Profecto, ut videre est in Alpharani Tabula Ichnographica (*f*) ad lævam ingredientium veteris Basilicæ quadriporticum extabat sepulchrum istud: quod viridis coloris marmoribus ornatum, & in superiore parte amplissimo porphyretico lapide contectum fuisse, Severanus prodit (*g*). At Jacobum Grimaldum, testem ocularem audire præstat in quadam adnotatione, quam Turrigius (*h*) ex Vaticana Bibliotheca profert, sic habentem: *Anno MDCIX. in demolitione atrii veteris Basilicæ Sancti Petri in Vatic. ob novam, & Augustissimam templi frontem a S. D. N. Paulo V. a fundamentis ædificatam Othonis II. Imperat. sepulchrum, & corpus ejus repertum fuit in quadam marmorea arca humi sepulta, quæ tegebatur, & sub labro porphyrato. Arca marmorea, ubi erat corpus, servit hodie ad usum fontis in primo atrio sub coquinas Palatii Quirinalis duabus imaginibus unius Consuli Roman., & ejus Uxoris sculpta. Corpus Othonis in ossa redactum erat, parva statura, dentes firmos, & caput parvum: fuit sepultum cum dicto labro sub fornice novi pavimenti Basilicæ, ibique hodie* 1618. 23. *Aprilis, ita notavi Ego Jacobus Grimaldi, qui omnia vidi, & ossa sepulturæ tradidi*. Othonis igitur ossa in alio sunt recondita sarcophago, qui præsenti Tabula exhibetur, & ad Orientale veterum Cryptarum latus visitur. Superpositus huic sarcophago lapis ille porphyreticus, sive labrum, uti a Grimaldo nominatur ad Christi annum MDCXCIV. permansit: Quo demum tempore e Cryptis ad Baptisterium delatus est; tum in amplissimæ conchæ formam redactus, opus dirigente Equite Fontana, ac Joanne Antonio Tedeschi, & Marcello Pigerio adlaborantibus (*i*) ad sacri Fontis usum adhiberi cœpit. Marmor ipsum, si Francisco Scotto (*k*) fidem habemus, cæteros porphyreticos lapides quotquot per Italiam cernuntur, mole superat; ac olim ad Imperatoris Adriani Sepulchrum extasse a nonnullis (*l*) dicitur: inter quos Turrigius (*m*) ex Benedicto Sancti Petri Canonico rem confirmat. Sed in Benedicti Romano Ordine quidpiam hujusmodi me legisse non memini. An alium ejusdem Canonici Libellum manuscriptum Turrigius innuat, me quidem latet. Mallius certe in Descriptione Vaticanæ Basilicæ num. 131. de prædicti Hadriani Augusti porphyretico tumulo agens; *quod nunc*, inquit, *est Lateranis, in quo sepultus est Innocentius Papa II. cujus opertorium est in Paradiso* (nempe atrio) *Beati Petri super Sepulchrum Præfecti*. Iste auctor, ni mea me fallit opinio, Othonis loco *Præfectum* male posuit.



TA-

(*a*) Lib. 2. cap. 10. num. 17. (*b*) Tom. 2. pag. 104. (*c*) Idest Atrii Vaticanæ Basilicæ. Vide hujus Ecclesiæ Bullarium tom. 1. pag. 31. (*d*) Chronic. lib. 3. sub finem. (*e*) Chronic. lib. 6. cap. 25. (*f*) Num. 120. (*g*) De VII. Eccles. pag. 59. (*h*) Crypt. Vatic. pag. 365. (*i*) Bonann. cap. 22. (*k*) Itinerar. (*l*) Severan. loc. cit. (*m*) Crypt. Vatic. pag. 364.

TABULA XLVI.

Romani Pontificis Gregorii V. sepluchralem titulum, & Sarcophagum Tabula hæc, tibi Lector, ob oculos ponit. Utrumque monumentum in Cryptis, ut ajunt, veteribus ad orientem extat. Inscriptionem, quæ marmorea est, & altitudine palmos III. latitudine verò palm. IX. & semis protenditur, Turrigius (a), aliique vulgarunt. Otto, ex quo Brunonem, nempe Gregorium V. Pontificem, natum perhibet quartus epigrammatis versus, Francorum, seu Franconiæ Dux extitit, ut vetusti Auctores memoriæ prodiderunt. Wippo illius ætatis Scriptor in vita Conradi Salici meminit duorum fratrum, Hetzelis ideſt Henrici, & Chunonis nempe Conradi; mox vero addit: *Ipsos ab Ottone Duce Francorum* (seù Franconiæ) *natos accepimus cum duobus aliis BRUNONE, & Willelmo; ex quibus BRUNO Apostolicæ Sedis Romanæ Ecclesiæ Papa effectus murato nomine, GREGORIUS APPELLATUS EST*. Willelmus autem Argeminensi præsedit Ecclesiæ. Ditmarus (b) etiam, atque Hermannus Contractus ad annum CMXCVII. eumdem Brunonem, dein Gregorium V., Ottonis Ducis filium dicunt. Extat insuper hujus Ottonis diploma fundationis Monasterii Grevenhusæ in Vosago, & Diœcesi Spirensi: quæ quidem charta, relata a Francisco Guillimanno in Syntagmate de vera origine & stemmate Cunradi II. Imperatoris Salici (c) sic habet: *Ego OTTO Dei gratia Dux, animæ meæ, parentumque meorum prospiciens, suadente Juditha conthorali* (ideſt conjuge) *mea, cum adsensu trium Filiorum meorum Heinrici, BRUNONIS, Cunonis, hortante & annuente II. Ottone Imperatore, pro amore summi Regis, & S. Lamperti Martyris* &c. Ex hujusmodi privilegio innotescit Brunonis non modo pater Otto Dux, verum etiam Juditha mater, quod præsenti epitaphio optime concinit, ubi Bruno ab Ottone ex Juditha genitus legitur.

Ottonis I. Imperatoris, quem appellant Magnum, pronepos quoque fuit Gregorius Quintus aut ex Luitholfo ejusdem Ottonis Magni filio, ac Ottonis Alamanniæ, & Bojoariæ Ducis patre, ut prælaudatus Guillimannus in suo syntagmate existimavit; aut potius ex Luidgarda ipsius Ottonis I. Imperatoris filia, ut insinuant uterque Pagius, Antonius (d) & Franciscus (e), ac Ludovicus Muratorius (f): hæc quippe Conrado Lotharingiæ, & Wormatiæ Duci nupta, Ottonem genuit Ducem, Brunonis, seu Gregorii V. parentem. Huc quidem attinet tertius epigrammatis versus, ubi idem Bruno *Francorum Regia proles* fuisse dicitur. Qui enim Germaniæ olim dominabantur, eos sæpe sæpius Francorum Reges a vetustis Scriptoribus appellatos reperimus. Qua de re Gotfridus Viterbiensis in suo Chronico (g) hæc inter alia animadvertit: *Tempore Caroli Magni Regis Francorum, tota Gallia, ideſt Celtica, & Belgica Lugdunensis, omnisque Germania, quæ est a Rheno usque ad Illyricum, una Francia fuit. Postea vero Regno inter filios filiorum diviso, aliud Orientale, aliud Occidentale Francorum Regnum dicebatur. Utrumque tamen vocabatur Regnum Francorum, quod usualiter dicitur Teutonicum; deficiente stirpe Carolorum, Henricus I. de Gente Saxonum successit in Regnum* &c. Qui plurima scire cupit exempla, quibus ostenditur tàm Galliam, quam Germaniam Transrhenanam Franciæ appellatione olim fuisse donatas; is Hadrianum Valesium consulat in *Notitia Galliarum* (h).

Wangiones, seu Wangiam; ubi Bruno in quinto Inscriptionis versu *doctus* refertur, esse hodie eam Urbem, quæ vulgari vocabulo dicitur *Worms*, testatur libellus Provinciarum, Civitatumque Galliæ, ut Cluverius in Germania antiqua (i) notat.

Quæ autem versu IX., & X. enunciatur facta sabbato quoque a Gregorio Quinto vestium distributio duodecim pauperibus, inter

(a) Crypt. Vatic. pag. 349. (b) Lib. 4. (c) Pag. 12. edit. Friburgi Brisgojæ 1609. (d) In Crit. ad annum 1024. (e) In Breviar. Rom. Pontif. in Gregorio V. (f) Antiquit. med. ævi to. 3. col. 745. (g) Part. 17. anno Dom. Incarnat. CMXIII. (h) V. Francia. (i) Lib. 2. cap. 13.

ter alias ejus laudes jure quidem recenseri debet, non unicum tamen exemplum est singularis Romanorum Pontificum sollicitudinis, studiique in miseros sublevandos, ut vulgatum Anastasium, aliaque vetera monumenta consulentibus plane liquet. Earum rerum species, frumentum nempe, vinum, oleum, & alia nonnulla, quæ ex Apostolicæ Sedis redditibus congerebantur, ad cujusque Mensis Kalendas generatim erogare pauperibus Sanctissimus Pontifex Gregorius Magnus consuevit (a) Pamelianum ejusdem Sancti Gregorii Sacramentarium in Sabbato ante Dominicam Palmarum, sic habet. *Dominus Papa eleemosinam dat*: idemque in aliis multis Romanæ Ecclesiæ vetustis Ritualibus Libris adnoratum reperimus. Peregrinos duodecim a Magno ipso Gregorio *juxta consuetudinem suam* mensa fuisse recreatos, & his peregrini facie aliquando sese Angelum Domini adjunxisse, Joannes Diaconus tradit (b). Hinc fieri potuit, ut pius derivarit mos nostra adhuc ætate servatus, tresdecim pauperes singulis diebus convivio excipiendi in pontificiis ædibus, de quo plura Turrigius (c). Cencii Camerarii Ordo Romanus tempore Cælestini III. conscriptus duplicem pedum lotionem Feria v. in Cœna Domini a Summo Pontifice fieri solitam exhibet (d) alteram scilicet, Missa mox absoluta, duodecim Subdiaconis, quorum singuli duobus solidis denariorum Papiensium donabantur; alteram verò post prandium tredecim pauperibus, queis idem Pontifex denarium, quem Marabotinum dicebant, elargiebatur; propriaque manu poculum præbebat. Ex duabus hisce functionibus una hodie sic viget, ut nimirum Romanus Pontifex prædicta Feria v. Majoris hebdomodæ tredecim indigentium Sacerdotum pedes abluendo, simulque eis dapes, vestes, ac numismata suppeditando, tum Christi exemplum lavantis Apostolorum pedes, tum S. Gregorii benignitatem, ac misericordiam tresdecim Peregrinos inopes mensa reficientis pie, sancteque imitatur. Illud insuper notandum, Beatum Gregorium X., teste Ptolomæo Lucensi, primum fuisse, qui solemnem ordinavit eleemosynam in Romana Curia, sive, ut nonnulli ajunt, primum omnium in Apostolico Palatio piarum in pauperes largitionum præsidem instituisse: sed hac in re Ptolomæo, aliisque sic adhibenda fides est, ut firmum & inconcussum perstet Innocentii III. testimonium, quo Summus hic Pontifex, septuaginta tres ante Gregorium X. annos ad regendam Ecclesiam selectus, Romani Pontificis eleemosynarium pecun as in egenos erogantem diserte (e) commemorat.

Sextum Epitaphii Distichon minimè nos dubitare sinit, quin sæculo Ecclesiæ decimo vetus Latinorum lingua adeo jam immutata fuerit, ut in alteram plane diversam, nempe vulgarem pertransiisse dignosceretur; quamvis opinari liceat ante id tempus sub Longobardorum Regno Latinum Sermonem, qui in barbariem multam prolapsus jam fuerat, gravius depravatum, faciem novæ Linguæ præferre cœpisse. Illud ratum tenemus, diversitatem hanc tum ex ipsa linguarum indole, quæ mutationi apud rudem Populum quotidie obnoxiæ sunt, tùm ex diversarum gentium colluvie, quæ in Italiam, atque in Urbem confluxere sensim originem duxisse. Qua de re consulendi sunt, præter alios, Viri Clarissimi Justus Fontaninus in suo Opere *Dell' Eloquenza Italiana*, & Ludovicus Muratorius Volum. II. Antiquitatum medii ævi Dissertatione XXXII., quæ de origine linguæ Italicæ inscribitur. Quænam vero lingua *Francisca*, qua Gregorius loquebatur? Hanc potius Germanicam, quam Gallicam fuisse arbitror cum eodem Muratorio (f). Bruno siquidem in epitaphio lingua Teutonicus appellatur, & Francorum nomine frequentissime a veteribus Germanos fuisse nuncupatos, paulo ante demonstravimus. Franciscos perinde; non Gallos dumtaxat, ut scribit Ducangius (g) sed etiam Germanos olim appellatos esse, idem Muratorius existimat (h) ad elegiaca provocans Ermoldi Nigelli Abbatis Carmina, quibus Auctor hic synchronus gesta Ludovici Pii Augusti ab anno Christi DCCLXXXI. ad DCCCXXVI. est prosequutus. Apud Ven. Card. Baronium (i) hoc epitaphium recitantem in novissima etiam

(a) Joan. Diac. Vit. S. Gregor. Magni Lib. 2. cap. 26. (b) Vit. S. Gregor. l. 2. c. 23. (c) Crypt. Vatic. pag. 294., & seqq. (d) Num. 25., & 27. (e) Apud Basil. Vatic. Bullar. to. I. pag. 90.
(f) Loc. cit. col. 1020. (g) Glossar. V. Franciscus. (h) Loco, & pag. cit. (i) Ann. 999.

etiam Annalium Ecclesiasticorum editione Lucensi pro *Francisca*, ut splendide marmor habet, perperam legitur *Francigena*. Demum quoad Italicam, seù vulgarem linguam, qua Pontifex Gregorius populos instituisse perhibetur; hanc apud vulgus usitatam Bruno videtur didicisse, quo tempore pater ejus Otto in Italia degens, Marchiæ Veronensi præerat, dictus idcircò *Veronensium Comes*, uti Fontaninus ex Ditmaro, & Muratorius (a) ex Annalibus Hildesheimensibus, Chronographo Saxone, & Adelboldo in S. Henrici vita tradiderunt.

Lucem affert septimo Disticho prior Auctor Anonymus vitæ S. Adelberti Pragensis Episcopi, sic enim scribit. *Hoc tempore iter agit Romam Rex Francorum Otto Tertius* (notandum hic, quod supra dicebamus, *Francorum* appellatione Germanos olim designatos) *Romani Proceres, & Senatorius Ordo ... quem pro eo* (Joanne Pontifice mortuo) *ponerent, regalem exquirunt sententiam. Erat tùm in Cappella Regis quidam Clericus Bruno, sæcularibus literis egregie eruditus, & ipse regio sanguine genus ferens, magnæ indolis; sed, quod minus bonum, multum fervidæ juventutis. Hunc, quia Regi placuit, a majoribus electum Maguntinus Archipræsul Willigisus, & suus Collega Adelbaldus Episcopus adduxerunt Romam: Proinde a Romanis honorifice acceptum, ad hoc ordinari Episcopi Apostolico honore promulgarunt.* Insuper Chronographus Hildensheimensis, seù potius alter anonymus, qui ab anno CMXCV. ad MCXXXVII. opus ejus continuavit, anno CMXCVI., hæc literis mandavit: *Indictione* IX. *Joannes Papa obiit; unde Imperator in Italia positus, rumore incitatus, præmissis quibusdam principibus, publico consensu, & electione fecit in Apostolicam Sedem ordinari suum Nepotem Dominum Brunonem Ottonis filium*. Varias, quas subit mutationes electio Romani Pontificis præter alios enarrant Mabillonius (b). Quamquam Octava Synodus (c) sanciverit, neminem Laicorum Principum, vel Potentatum debere semet inserere electioni, vel promotioni Patriarchæ, aut Metropolitæ, aut cujuslibet Episcopi, cum nullam in hoc negocio illos habere potestatem conveniat; sæculo tamen Ecclesiæ X. cadente, tempore scilicet Gregorii V., Pontificis Romani electionem Imperatores ant sibi arrogabant, aut eam a Clero factam confirmabant. Ecclesia, ut olim electioni Felicis IV., cui Theodoricus Gothorum Rex Summum Pontificatum detulit, ita postmodum aliis potestate laica quandoque peractis illegitimis electionibus assensum præbuit, ne Christiana Respublica, conflato schismate scinderetur. Quod vero Gregorius V. assentientibus Clero, & Populo ad Petri Sedem evectus, Ottonem III. Germaniæ Regem solemni ritu Imperatorem inauguraverit, prælaudati Scriptores Auctor vitæ S. Adelberti, Chronographi Hildesheimensis, & Saxon testantur, ac marmoris fidem confirmant.

Ipsum Gregorium V. pridie Nonas Februarii e vivis migrasse, Ditmarus, & Annalista Saxo memoriæ prodiderunt, secus ac habet sepulchralis titulus, ubi hic Pontifex XII. Kal. Martii, nimirum die XVIII. Februarii obiisse legitur. Epitaphii testimonium auctoritati illorum Scriptorum posthabendum esse censet vir clar. Mansi (d). Ne tamen ego opinionem istam facile amplectar, duo quidem obstant: scilicet emortualem Pontificis diem XVIII. mensis Februarii, non semel tantum, sed bis Inscriptio enunciat; quartum enim Disticon est hujusmodi.

Ad binos annos, & menses circiter octo
Tersenos Februo connumerante dies:

Rursus epitaphium absolvitur his plane verbis: *Discessit* XII. *Kal. Martii*. Non igitur marmorarium oscitantem male adnotasse emortualem Pontificis diem suspicari licet. Insuper Titulus hic positus fuit Gregorii Quinti sepulchro in ipsa Urbe Roma, ubi is fere ad triennium Summus Pontifex egit, ac mortem oppetiit, proindeque ejus obitus dies probe nota erat, ac omnino explorata. Cum vero, ubi de historia decernendum est, ex artis criticæ regulis doceamur domestica monumenta exter-

(a) Antiquit. med. ævi cit. tom. 2. Diss. 32. col. 1020. & to. 3. Diss. 41. col. 743. & seqq.
(b) Commentar. in Ord. Rom. cap. 17. (c) Act. 1. (d) Not. ad ann. 999. Annal. Eccles. Baron. edit. Lucens.

ternis præponere; equidem non video, cur in re, de qua agimus, uni & alteri Germanico Scriptori deferre, & Romanæ Inscriptionis auctoritatem reiicere debeamus. Non inficiamur, Ditmarum Episcopum Merseburgensem eadem, qua Gregorius V., ætate floruisse. At præterquamquod Historiographus ille Germaniæ degebat, ideoque in Romanis rebus enarrandis quandoque dormitasse potuit; parem inesse dicimus vetustatem Auctori hujus Inscriptionis, Gregorio paulo ante defuncto ad tumulum ejus ornandum positæ, quam sane in Opusculo de Vaticana Basilica (*a*) recitat Petrus Mallius, qui vixit Alexandro III. Pontifice Ecclesiam gubernante. Minus certe negotium facessit Annalista Saxo, & si quis alius produci potest Germanicus, aut alterius Gentis Scriptor; qui haustas nonnunquam ex impuris fontibus historias tradiderunt. Externis hisce Auctoribus gesta narrantibus, quæ in regionibus longè remotis contigerunt, illud aptandum, quod Albericus Monachus Trium Fontium Dioecesis Catalaunensis de se affirmat. Nam de Geberto, seu Silvestro II. Romano Pontifice falsa nonnulla referens (*b*) ex quibus *a numero Paparum exclusus videtur*; ita Lectores admonet: *Lector, quaso, ut hic, & alibi si aliqua dissonantia te offenderit de nominibus, vel annis, vel temporibus Paparum, non mihi imputes, qui non visa vel audita, sed lecta scribo*.

Nec quidquam officit epigrammatis auctoritati, in quo perhibetur, *binos annos, & Menses circiter octo* in S. Petri Cathedra sedisse Gregorius, qui juxta accuratiores Chronologos duobus annis, Mensibus novem, ac diebus aliquot Catholicam Ecclesiam gubernavit. Ratum quippe est, adverbio *circiter* modo excessum, modo defectum designari. Hic porrò excessum denotat. Epitaphii autem conditori, qui ligata Oratione scripsit, illius formulæ usus vitio verti non debet, cum ipsa usurpent qui lucubrationes suas vel prosa conficiunt.

Postremi versus pentametri sensus haud obvius est, nec per se facilis, si eam, qua usus est epigrammatis Auctor, obscuram loquendi rationem spectemus; ait enim de Gregorio V. vita functo *Æquivoci dextro subsistiuit lateri*. Nullus tamen dubito, quin hic Æquivoci nomine Sanctus Gregorius I. designetur, ut recte interpretati sunt Conradus Janningus Bollandianus (*c*), & Franciscus Pagius (*d*). Reliqua vero carminis verba indicare quidem videntur, vel cælestis gloriæ, qua idem Beatus Gregorius Magnus perfruitur, ipsum quoque Gregorium Quintum fore participem; vel hujus Pontificis corpus juxta illius Sancti Doctoris altare, sacrasque exuvias fuisse reconditum (*e*); re vera etenim in earum vicinia jacuisse liquet ex Vegio, & Alpharano (*f*) Meridionalem veteris Basilicæ Vaticanæ partem describentibus. Vegius (*g*) hæc habet: *Oratorium Papa Gregorius IV. erexit in honorem Beati Gregorii I. eximii Doctoris Ecclesiæ, cujus Corpus eo transtulit.....juxta quod sepultus est Pelagius Papa, & Bonifacius III. & Gregorius etiam Quintus cum epitaphio simul, quod adhuc apparet marmore insculptum, versibusque licet non multum dignis compositum*.

Nunc, ut ad marmoream veniamus sarcophagum, Inscriptioni suppositum, in quo Gregorii V. ossa jacent, vetustissimum plane est Christianorum Sepulchrale monumentum, longum palmos fere IX., altum supra duos, latum I. semis, opere anaglyptico, sed rudi certe Minerva elaboratum. Justus Fontaninus, vir nostro sæculo eximia clarus eruditione, nominisque celebritate, de humatione Corporis Gregorii V. ait (*h*): *Il Clero Romano depose il suo Corpo in un antico pilo; o Sarcofago Cristiano longo di marmo bianco, e di sagre figure istoriato, che tuttavia si conserva nel sotterraneo della Basilica Vaticana in faccia alla Cappella del Salvatore, e vi si legge intorno l'epitafio di Gregorio*: At Sarcophagus, in quo Clerus Romanus Gregorium Quintum vita functum condidit, ea certe non est arca marmorea, quam hic exhibemus. Hæc enim, Aringho teste (*i*), XIX. Kalend. Septembris anno MDCVII. in cœmeterio Vaticano, dum ad jacienda Sancti Petri Basilicæ fundamenta humus effoderetur, reperta est prope arcum scilicet, qua e veteri tem-

(*a*) Num. 109. (*b*) Ad ann. 998. & 999. (*c*) To. 6. Junii part. 2. not. in Manlium nu. 109. lit. *t*.
(*d*) Breviar. to. 2. in Gregor. V. pag. 272. (*e*) Pagius ibi. (*f*) Tab. Ichnograph. num. 79, & 85.
(*g*) De reb. ant. mem. Basil. S. Petri num. 141. (*h*) Eloquenza Italiana pag. 15. edit. Rom. 1736.
(*i*) Roma subterr. tom. 1. pag. 292., item Bosio, & Severano Rom. subt. p. 61.

templo in novum patebat ingressus. *Intra hanc arcam*, ita Aringhus narrationem prosequitur, *Cadaver quoddam multiplici Linteaminis circumplexu involutum erat; quod collocatum deinde fuit in polyandro: arca vero sub pavimento ejusdem Basilicæ conservanda reposita est*. Post menses autem septemdecim usui fuit tegendis Gregorii V. cineribus; cujus rei fidem facit Jacobus Grimaldus, qui hæc literis mandavit (*a*) *Anno MDCIX. die xv. Januarii fuit apertum Sepulchrum Gregorii Papæ V. in Sacello S. Andreæ* (S. Gregorii etiam nuncupato) *& ossa in pilo marmoreo infra illius epitaphium humi sepulta, inde elevata, delata sunt sub fornice novi pavimenti Ecclesiæ, ac intra arcam marmoream sacris imaginibus sculptam recondita, apposito ejus Pontificis antiquo epitaphio versibus exarato*.

Ad Sarcophagi ornatum, quod attinet in antica ejus parte septem conspiciuntur loculamenta columnis octo distincta, in quorum singulis figuræ quidem insculptæ sunt, sed perfunctorie, & oscitanter inceptæ potius, quam elaboratæ. In primo autem loculamento ad Urnæ sepulchralis dextram partem, si Turrigio (*b*) audire quis velit, Christus Dominus ab oculos ponitur, qui homini a nativitate cæco visum elargitur: quod sane miraculum in vetustis id genus monumentis cælatum sæpe novimus. At hujusmodi interpretatio nostræ huic tabulæ minus fortasse congruit: Redemptoris enim manus, non oculis hominis admota, sed adolescentis capiti imposita cernitur. Quamobrem vero est similius, Christum ibi repræsentari, qui cum apprehendisset puerum, & secus se statuisset (*c*) docuit parvulorum simplicitatem, humilitatemque imitari eos oportere, qui cæleste Regnum cupiunt adipisci. Potuit quoque ea sane hoc in loco adumbrari historia, quam Evangelistæ (*d*) narrant: nimirum oblatis Christo parvulis, ut tangeret illos, Jesus eosdem complexus, imponensque manus super ipsos, benedicebat eis. Nullus est dubitandi locus, quin in secunda ædicula, seu loculamento mulier spectanda proponatur, quæ ex fimbriæ Dominici vestimenti contactu incolumis evasit a sanguinis fluxu, quo duodecim annos laboraverat. Rem gestam Sculptor descripsit ex Lucæ Evangelio (*e*) ubi sic legimus: *Mulier quædam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quæ in Medicos erogaverat omnem substantiam suam, nec ab ullo potuit curari: accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti ejus, & confestim stetit fluxus sanguinis ejus. Et ait Jesus: Quis est qui me tetigit?*

Tria sequuntur loculamenta, in quorum medio Christus occurrit tunica, & pallio indutus, discalceatis nudisque pedibus quemadmodum aliæ sepulchralis hujusce monumenti imagines apparent: dexteram effert, læva vero explicatum volumen, quo Lex nova ab eo lata significatur, Apostolo sinistrorsum adstanti porrigit; montique insistit, unde quatuor flumina emanant, quibus mystice prænotantur sacra quatuor Evangelia ab eodem Christo Domino, qui est fons vitæ, per Universum Mundum diffusa quemadmodum quatuor fluvii de loco voluptatis, idest de Paradiso terrestri, ut Genesis cap. II. legimus, egressi Universæ terræ superficiem irrigarunt: Barbatus, ac veluti Senex excalptus est, secus ac in aliis ipsiusmet sarcophagi locis, ubi juvenili quidem facie, atque imberbis cernitur. Eidem Servatori nostro Agnus adstat, Monogrammate ☧ in capitis vertice distinctus. Qua in re Sculptor quidem videtur vel eum Apocalypsis B. Joannis respexisse locum (*f*) ubi hoc visum refertur: *Agnus stabat supra Montem Sion & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, & nomen patris ejus scriptum in frontibus suis*: vel Redemptorem nostrum iis etiam symbolis, prædicti scilicet Monogrammatis, & Agni figuris denotatum voluit, quibus apud Fideles ipsum repræsentari solemne erat. Profecto Agnus charactere illo distinctus, in alio item veteri sarcophago inspicitur (*g*); imo V. Cl. Boldettus (*h*) specimen exhibet osseæ laminæ in Callixti cœmeterio repertæ, quæ Christi refert imaginem, ipsum Monogramma (de quo uti etiam de Agni symbolo superius (*i*) locuti sumus) in capitis ver-

(*a*) Instrum. p. 122. (*b*) Crypt. Vatic. pag. 350. (*c*) Matth. c. 18., Marc. c. 9., Luc. c. 9. v. 47. (*d*) Matth. c. 19. Marc. c. 10. Luc. c. 18. (*e*) Cap. 8. v. 43., & seq. (*f*) Cap. XIV., v. 1. (*g*) Apud Arringh. Rom. subter. tom. 1. pag. 425. (*h*) Osserv. Cimiter. pag. 60. (*i*) Tab. I. & XXXIV.

vertice gestantem. Apostolus cui Dominus volumen explicatum tradit, Sanctus Petrus mihi videtur; tum quia crucem gerit, sui Martyrii insigne; tum etiam quia capillos capitis & barbæ erispos habet & densos, nec admodum prominentes: hoc enim plane modo eumdem describit Nicephorus Callixtus (*a*) & exhibent non solum veteres tabulæ apud Aringhum (*b*) verum etiam hic, de quo loquimur sarcophagus, in cujus sexto, & septimo loculamento Principem Apostolorum Petrum exhiberi nemini licet ambigere. Ex his illud insuper conjicio, Apostolum, qui stat ad Salvatoris dexteram, veluti ipsum alloquens, aut quidpiam interrogans, Paulum esse Gentium Doctorem: quem ita collocatum, Petrum verò ad Christi lævam positum in antiquis monumentis passim videre est, ut alibi (*c*) adnotavimus.

Quæ in reliquis ædiculis historiæ cælatæ sunt, vel primo aspectu cuique patent. In sexto enim loculamento, in cujus inferiori parte Gallus cernitur Petro trinam ejus negationem Christus prædicit (*d*). In septimo denique idem Dominus repræsentatur, qni Beato ipsi, Petro summam in Ecclesia potestatem sub Clavium Symbolo promittit (*e*). Unnm præterea notandum superest, Sculptorem scilicet in secundæ, & sextæ ædiculæ superiori parte suspensam lucernam effinxisse; in cameræ quippe Meditullio lucernas appendere Antiqui consueverunt; quem sane morem spectant tum annuli, qui in cœmeteriorum cubiculis hodieque inveniuntur, tùm lucernæ veteres catenulis, & uncis instructæ (*f*) qui quidem unci in annulos illos immittebantur.

TABULA XLVII.

SEpulcralis statua jacens Alexandri Sexti Summi Pontificis opere anaglyptico cælata, palmos VIII. longitudine exæquans, in hac tabula occurrit. Hodie in extrema veterum Cryptarum parte ad Orientem extat; olim vero ejusdem Romani Antistitis ornabat sepulchrum in antiqua Divi Petri Basilica extructum, quod tamen Panvinius (*g*) vile Monumentum appellat. Anno Domini MDCV. die 19. Octobris Alexandri Sexti cadaver recognitum fuit, delatumque in alium locum prope Chorum præsentibus Cardinal. Zapata, Marchione Villiena, seu Billena (Villa nova apud Turrigium (*h*) legitnr) Catholici Regis Oratore, & Præsule Joanne Baptista Vives; qui cum a Paulo V. postulasset, ut ipsum Alexandri VI. Corpus, & Callixti III. cineres ad Ecclesiam S. Mariæ de Monserrato nuncupatam deportarentur, Pontifex benignè annuit: hinc die 30. Januarii anno MDCX. privatim facta est utriusque cadaveris translatio; quemadmodum Grimaldus (*i*) adnotavit. Itaque amborum Pontificum exuviæ in prædicto S. Mariæ templo hodie quiescunt. In Vaticana tamen Basilica non eumdem semper locum occuparunt: quod evincit Inscriptio ab ipso Grimaldo prolata. Hic enim Auctor sic habet (*k*): „ Cœmentarii aperue-„ runt Sepulchrum factum in modum py-„ ramidis, ornatum a lateribus figuris mar-„ moreis Sanctorum Callixti Papæ, Vin-„ centii Ferrerii, Nicolai, & Augustini: „ In facie erat tabula marmorea sculpta his „ literis: *Callixtus Papa III. Alexander PP. VI.* „ Quo aperto extraxerunt inde capsam li-„ gneam, in qua erat alia capsa plumbea, „ in

(*a*) Hist. Eccles. lib. 2. cap. 37. (*b*) Rom. subter. tom. 1. pag. 291. 319. (*c*) Tab. X.
(*d*) Matth. cap: 26. (*e*) Matth. cap. 16. (*f*) Apud Petrum Sanctem Bartolum de Lucernis antiquis part. 3. tab. 24., 25., ac alibi, & apud Aringh. Rom. subter. to. 1. pag. 511. seq. to. 2. pag. 407.
(*g*) In Vita Alexandri VI. (*h*) Crypt. Vatic. pag. 345. (*i*) In ms. lib. Instrum. pag. 138. seq.
(*k*) Ibidem.

„ in cujus tegmine hæc Inscriptio incisa est:
„ *Ossa Callixti III. & Alexandri VI. e gente*
„ *Borgia Summorum Pontificum*. Alexandri
„ Corpus in Sacrario Basilicæ, cum Sacel-
„ lum, ubi quiescebat, occuparet, in Cal-
„ lixti patrui sepulchrum marmoreo opere
„ e regione sculptum a Basilicanis illatum
„ est. Deinde in obelisci translatione sub
„ Sixto V. propter machinas Callixti sepul-
„ chro disjecto, amborum Pontificum ossa
„ sub lapide reperta Joannes Baptista Vives
„ Valentinus Apostolicæ Sedis Protonota-
„ rius, & Subdiaconus, in Basilica veteri
„ decenter poni curavit; in cujus demoli-
„ tione sub Paulo V. idem ob honorem
„ communis patriæ, & ad animi sui devo-
„ tionem, atque observantiam erga illu-
„ strissimam Gentem Borgiam significan-
„ dam, in hunc locum transtulit anno
„ MDCV. præsentibus Illustriss. & Reve-
„ rendiss. Card. Zapata, & Excellentiss.
„ D.March. de Billena Oratore Catholico „. Tandem utriusque Papæ cineribus, ut dictum est ad Ecclesiam S. Mariæ Montisserrati delatis, Alexandri VI. marmorea effigies, quam præsenti tabula conspicimus in Vaticana Basilica remansit. Pontifex occurrit rasò mentò, quemadmodum in ejus numismate apud Rodulphinum Venuti (*a*) spectatur. Quod autem Turrigius (*b*) animadvertit, eorum scilicet temporum Romanos Pontifices barbam minime aluisse palam fit ex ipsorum numismatibus, quæ prælaudatus Veneti a Martino V. ad Benedictum XIV. Pont. Opt. Max. exhibet. In iis enim imberbes apparent tùm ipse Martinus, tùm ejus Successores omnes ad Clementem VII., qui ex vetustioribus suis Prædecessoribus non paucos imitatus, post Urbis direptionem barbam nutrivit; idque complures ejus Successores præstiterunt. Ad hæc duo pulvini Arabicè ornati sustinent Alexandri caput pileolo tectum, sive, ut ajunt *Camauro*, atque thiara tribus coronamentis distincta: idemque Pontifex sacris vestibus indutus cernitur, de quibus alibi locuti sumus. De Manipulo tantum hìc lubet nonnihil dicere. Mappulam, sive fanonem, aut sudarium, ad sudorem pituitamque oculorum, & narium abstergendam Sacerdotes rem Divinam agentes olim usurpasse, satis liquet versiculis antiquos liturgicos auctores, Honorium Augustodunensem (*c*) Hugonem a S. Victore (*d*) Sicardum Cremonensem Episcopum (*e*), Amalarium (*f*) & vulgatum Alcuinum: Ex quibus hic postremus; *Mappula*, inquit (*g*) *quæ in sinistra parte gestatur, qua pituitam oculorum, & narium detergimus, præsentem vitam designat, in qua superfluos humores patimur*: Et paulo infra idipsum repetit in hunc modum: *Sudario solemus tergere pituitam oculorum, & narium, atque superfluam salivam decurrentem per labia*. His concinit Oratio, quæ in Missali Bibliothecæ Vallicellanæ sign. B. VIII. scripto sæculo XI., inter accipiendum manipulum recitanda legitur in hunc modum: *Da Domine in manibus mei manipulum ad extergendas sordes, & a corpore meo, ut sine pollutione valeam nomen tuum laudare, & benedicere*. Mappulæ hujusmodi, sive sudario manipulum non ad tergendas sordes, sed ad ornatum, postea suffectum esse censet doctiss. Card. Bona (*h*) & hanc mutationem ex X. æræ Christianæ sæculo repetendam conjicit, quod Auctor Libri Divinorum Officiorum sub Alcuini nomine pervulgatus, & Amalarius, qui IX. sæculo inter vivos agebat, prædictum mappulæ usum viguisse testantur. Non aliter ac Bona sentit Joseph Vicecomes, qui tamen asserit (*i*) manipuli usum in locum linteæ sindonis nonnisi Ruperti Abbatis ætate, nimirum circa annum Domini MCXX. inductum fuisse: eademque opinio est Claudio de Vert (*k*) qui id appropinquante sæculo Ecclesiæ XII. factum esse, arbitratur. Verùm qui nostra ætate claruit Dominicus Georgius rerum liturgicarum peritissimus a Card. Bonæ, ac proinde etiam a Vicecomitis, & de Vert sententia dissentit (*l*) hisce motus argumentis. Primo quia S. Gregorius Magnus (*m*) mappularum usum Clero Romano veluti sibi proprium vindicante, eas vetat a Clericis Ravennatibus gestari, ac primis tantum

 dia-

(*a*) Numism. Roman. Pontif. pag. 42. (*b*) Loc. cit. (*c*) In Gemma Animæ lib. 1. cap. 208.
(*d*) Lib. 1, de Sacram. cap. 51. (*e*) In Mitrali, cod. Biblioth. Vatic. 4975. (*f*) Eccles. Offic. l.2. c.24. (*g*) Lib. de Divin. Offic. tit. *Quid significent vestimenta*. (*h*) Rerum Liturgic. lib. 1. c.24. §. 5. (*i*) Volum. 4. Observat. lib. 2. cap. 34. (*k*) Tom. 2. pag. 319. (*l*) De Liturg. Rom. Pont. lib. 1. cap. 30. (*m*) Lib. 2. Epist. 54.

diaconis Episcopi Ravennatis ipsarum usum permittit. Ex quo Georgius infert: Ut quid rem adeò urgeret S. Gregorius, ut quid primis dumtaxat Diaconis mappulas concederetsi hæc non adhibebantur, nisi ad sudorem depellendum? An non licebat cuivis ex sacris Ministris sudarium deferre, dum Divinis Mysteriis operam daret? Secundo quia in nonnullis monumentis sæculo x. antiquioribus, & post prælaudati Bonæ obitum prælo editis, manipulus inter sacras vestes recensetur. Quam in rem Georgius profert tùm Codicem Monasterii S. Dionisii in Francia sub Caroli Magni tempora exaratum, in quo non solum ad sumenda alia sacerdotalia indumenta preces assignantur, verum etiam ad manipuli acceptionem peculiaris oratio præscribitur (*a*) tùm Wifredi Comitis Barchinonensis, & Widillis Comitissæ donationem, qua hi anno Dom. DCCCLXXXVIII. Ecclesiæ S. Mariæ Rivipullensis tradiderunt Calicem, & Patenam de Auro, Missalem, Lectionarium, Planetam, & Albam, Stolam, & *Manipulum* (*b*) tum denique alterius donationis, sive potius Testamenti chartam æra octingentesima decima octava nimirum anno Christi DCCLXXXI. signatam, qua Aldegiaster Monasterio Obonensi apud Astures dono dedit *ad ornamenta Ecclesiæ octo vestimenta* (fortassis ad ornandum altare) *tres mantos, seu casulas, sex stolas, & quinque MANIPVLOS, quatuor corporalia, & quinque pallas, & sex sabanas seu manutergia, duas literatas, & quatuor sine serico; unam cappam sericam, & tres calices, duos scilicet ex argento, & unum ex petra; unum Missale, unam Crucem ex argento, & duas ex ligno; quatuor frontales ex serico, duas Campanas ex ferro: de Libris Lectionarium, Responsorium, duo Psalteria* &c. (*c*) Hæc Georgii momenta adversus relatam Bonæ sententiam: quæ an rem conficiant, alii judicent. Equidem conferens priscos liturgicos scriptores cum aliis posterioris ævi, ex utrisque colligi puto, mappulæ, sive manipulo, seu fanoni, aut sudario linteo, vel etiam serico, quo vetustiores ad sudorem, pituitamque detergendam utebantur, suffectum esse manipulum, qui ad ornatum tantummodo inpræsentiarum usurpatur, & propterea ejusdem est materiæ, & texturæ, ac stola, & casula, sive planeta: Aut si veterem mappulam, vel sudarium sacram vestem fuisse mavis, eamdemque cum posterioris ætatis manipulo; non contendam: fatearis tamen oportet, illud ipsum indumentum, quod munditiæ, ac decoris causa quondam gestabatur, postea nonnisi ad ornatum fuisse adhibitum. Certum vero tempus, quo hæc variatio contigerit, decernere non ausim. Id sanè ratum, quod anno Domini MCXX. vetustæ illius mappulæ usus ad sudorem detergendum, naresque emundandas jam defecerat. Honorius enim Augustodunensis, qui eo tempore floruit, ita loquitur (*d*). *Ad extremum Sacerdos fanonem in sinistrum brachium ponit, qui mappula, & sudarium vocatur, per quod OLIM sudor, & narium sordes extergebantur*. Mos autem ab Honorio commemoratus, sudarium scilicet, seu manipulum sinistro brachio gestandi, quemadmodum, & in hac Alexandri marmorea effigie, & in aliis monumentis hoc opere editis videre licet; antea non semper obtinuit. Quamvis enim legimus in Ordine Romano III. (*e*) Subdiaconum Regionarium ponere *mappulam in brachio sinistro Pontificis super planetam*; in vetustissima tamen pictura Carolo Calvo Regnante delineata, cujus ectypon Baluzius (*f*) refert, plures Sacerdotes ante ipsum Carolum astantes conspicimus, alios mappulam dextra manu inter pollicem & indicem, alios læva gestantes, unum verò in brachio dextero. Sunt quidem manipuli ipsi in extremitatibus paulisper latiores, sed longe minus, quam ii, quibus nunc utimur: adeoque manipulus, qui in nostro marmore sculptus apparet, vetustam formam præfert. Hanc autem longiorem, & strictiorem fuisse, Card. Bona ex antiquis picturis ostendit (*g*). Cæterum etsi in Pontificali Prudentii Treecensis (*h*) manipulus imponatur post stolam, atque in Sacramentario vetustissimo (*i*) Cœnobii Moysacensis post Zonam, & a Rabano Mauro (*k*) quarta inter presbyterales vestes recenseatur, in reliquis tamen Ri-

(*a*) Apud Martene part. 1. de Veter. Eccles. Rit. l. 1. c. 24. art. 12. (*b*) Ex Append. Marcæ Hispan. num. 45. pag. 817. (*c*) Apud Mabill. Annal. Bened. lib. 25. §. 53. ad ann. 785. (*d*) In Gemma Animæ lib. 1. cap. 208. (*e*) Num. 7. (*f*) Not. ad Capitular. tom. 2. pag. 1276. (*g*) Rer. Liturg. l. 1. c. 24. §. 5. (*h*) Apud Martene lib. 1. P. 1. cap. 4. art. 12. (*i*) Ibid. (*k*) Instit. Cler. l. 1. c. 18.

Ritualibus libris post alia Sacerdotalia indumenta ultimo loco assumendus præscribitur. Hic ritus & Episcopis & presbyteris rem. Divinam acturis olim communis fuit, nunc vero solis Episcopis proprius est; quibus, ut rei Liturgicæ Scriptores asserunt, ad altare peracta confessione manipulus imponebatur, quando Casula, quæ totum corpus ambiebat, elevari, & complicari super brachia solebat; tametsi ex Romanis Ordinibus I. II. & III. palam fiat mappulam Pontifici tradi consuevisse, antequam hic e secretario ad Aram processurus discederet.

Duplicem crustam seu geminum e calce tectorium, in quorum altero præcordia Benedicti XIII. Pont. Max., Christianæ Svecorum Reginæ in altero condita sunt, cælator in hac tabula delineavit supra jacentem Alexandri VI. Pont. statuam, juxta quam tectorium utrumque in Cryptis conspicitur.

TABULA XLVIII.

Augustissimi Vaticani Templi fabricam Paulo V. Summo Pontifice perficiente, ejus Decessoris Pii III. corpus, quod in posteriori veteris Basilicæ minori navi ad Meridiem jacebat (*a*), recognitum fuit, atque in urna marmorea, cujus figuram in præsentis Tabulæ num. I. exhibemus, collocatum. Hæc palmos Rom. III. alta est, lata IV., longa supra IX., & in Cryptarum veterum Orientali parte modo cernitur; olim vero palmos XXXV. ut inquit Turrigius, aut potius XXXX. juxta Grimaldum sub terra latitans ubi nunc Basilicæ Chorus extat, inde egesta fuit (*b*). Neutiquam sane dubitandum, quin prisci cujuspiam Christiani Viri Sarcophagus fuerit: marmoris enim plurimam vetustatem facile deprehendimus ex Christi Monogrammate, quod in illius fronte, sive anteriori parte, & in utroque latere cælatum occurrit. Horum, quæ diximus, testem locupletissimum habemus Grimaldum, ita scribentem (*c*) *Die* 13. *Novembris MDCVIII. fuit aperta tumba fel. rec. Pii Papæ III., Pii II. Nepotis, sita ad pedes Pii II. Pars superior marmoreæ tabulæ ingentis tumbam habebat literas incisas: PIUS PAPA III. Pars vero inferior ejusdem tabulæ habebat imaginem ipsius Summi Pontificis Pii III. in Diaconali habitu*. De hac effigie paulo infra (*d*) loquimur. *Corpus* (Pii III.) *erat indutum sacris vestibus papalibus cum Planeta tota aurea cum aurifrigio operis Basilici acu-picto, in ossa redactum, in capsa lignea. Fuit sepultum in arca marmorea integra, & magna, juxta Pium II. cum tegmine supradicto marmoreo, habentem imaginem ejus; cujus arcæ mentio fit in fol.* 185. *in qua sculptum est signum Christi in fronte, & a lateribus*. Indicato autem fol. 185. libri Instrumentorum hæc narrat idem Grimaldus: *Dum novi Chori fundamenta fierent, subtus terram ad palmos* XXXX. *reperta est nobilis arca marmorea, sculptas in fronte, & a lateribus cruces habens: nunc in ea requiescit Corpus Pii III. Jussu Illustrissimi Domini Card. Cæsii fundamentum imum descendi. Fervebat magnus æstus (erat Mensis Augustus): Fætor aquæ, & terræ, præter periculum tignorum, fabricatores ipsos assuetos valde offendebat. Erat in ipsa capsa marmorea alia capsa lignea, in qua erant ossa unius defuncti antiquissimi: plena erat aqua penetrantibus imbribus. Fætor aquæ me inassuetum ita offendit, ut ipsa nocte mihi febrem attulerit. Ossa illata sunt in polyandrum. Ut febrem sensi, in corde meo ita dixi; Si Dei Servus es, sicut firmiter teneo, libera me ab hac febri. Ut hæc dixi, paululum quievi, & febris omnino evanuit*. Huc usque Grimaldus. Quod attinet ad Christi monogramma, jam alibi (*e*) adnotavimus, illud constare ex duabus Græcis literis X & P, nimirum Ch, & R, ita copulatis ☧, venerandum Christi nomen significantibus. Hac autem nota licet prisci Fideles fere uten-

Q 2

(*a*) Alpharan. Tab. Ichnogr. num. 81., 84.
(*b*) Turrig. Crypt. Vatic. pag. 369. seq.
(*c*) Lib. Instrument. pag. 185.
(*d*) Tabula L.
(*e*) Tabula I.

rentur, ipsam tamen magis compendiariam, sed eadem Greca elementa denotantem, aliquando effecerunt: ex geminis nempe lineolis, quæ decussatim compositæ X Græcum efformant, alteram erexerunt addito ad lævam veluti semicirculo ad literam Græcam P designandam, alteram transverse collocarunt sub hoc schemate ☧. Idque verosimiliter illi præstiterunt, ut quemadmodum Card. Baronius (*a*) observat, crucis figuram luculentius exhiberent; sicque Crux in Christo, & Christus in Cruce monstraretur. Idem Vener. Annalium Ecclesiasticorum parens, & post eum Aringhus (*b*) tabulam referunt in Cœmeterio Priscillæ via Salaria effossam, in qua hujuscemodi monogramma, quod imago viri togati, aut sacra veste induti dextera tenet, aspicitur: idemque cernimus tum in pluribus exemplis, quæ Dominicus Georgius (*c*) indigitat, tum in lucerna ænea ab ipso Aringhio prolata (*d*), qua occasione hic Auctor monogramma Christi simile prorsus illi, quod in nostro marmore cælatum est, sic explicat, ut velit Christi nomen unico Græco charactere, videlicet P, & Crucis signo, vel certe nota Tau intersecante efformatum fuisse. Cæterum urna lapidea, quæ compendiariam hujusmodi notam præfert, nunc Cenotaphium est. Nam Summi Pontificis Pii III. corpus quod in ea aliquandiù jacuit, annuente Paulo V. delatum fuit ad S. Andreæ Ecclesiam de Valle dictam in domo Piccolomineorum magnificè extructam.

Jam vero nos vocat Hadriani IV. Papæ Sarcophagus, hac in tab. num. 2. delineatus, altus cum operculo palmos Rom. IX. semis, latus supra IV., longus X. semis, qui modo in Cryptarum Orientali parte visitur. Hic Summus Pontifex anno Dom. MCLIX. Anagniæ e vivis cessit, indeque ejus corpus Romam (quod etiam legimus de aliis nonnullis Romanis Pontificibus S. Joanne Primo S. Agapito, Eugenio III. Pio II. extra Urbem defunctis) translatum, in Vaticanæ Basilicæ transversa navi ad meridiem (*e*) honorifice tumulatum fuit in hac sepulchrali urna marmoris Ægyptiaci. Ad tegminis oram duæ facies retortis crinibus prostant, anteriorem sarcophagi partem encarpus, sive frondium implexus, atque contextus exornat; quem concinne flexum, in medio caput Cervi sustinet, atque hinc, & inde duæ rosæ apparent: Hæc opere anaglyptico in lapidea tumba, de qua Grimaldus (*f*) ita loquitur: *Die Mercurii 8. Mensis Novembris MDCVI. . . . fuit aperta concha magna lapidis Ægypriaci rubri, quem Granitum vocant, quatuor fibulis ferreis constricta, ex navi Vultus Sancti delata sub fornice novi pavimenti; & visum est Corpus fel. rec. Hadriani Papæ IV. indutum sacris infulis: Casula rasi nigri, dalmatica cum fimbriis ex tela aurea, ac tunica; fragmentis Pallii Pontificalis cum Crucibus nigris, fanone ex velo puro albo, sandaliis corii Turcici ad flores margaritis ornata* (Legendum videtur, *ornatis*, nimirum sandaliis) *sine Cruce, Annulo aureo politi operis cum smaragdo uno. Corpus mediocris staturæ, integrum, sed corruptum* (sic) *& caput in ossa redactum. Clausa fuit concha, & constricta sicut prius; in ea corpus præfatum relictum est &c.* Addit ad oram paginæ agni formam cum cruce, & literis *Agnus Dei*, quæ chirothecis intexta apparebant.



TA-

(*a*) Ad ann. 412. num. 25. (*b*) Dom. subt. tom. 2. pag. 570. (*c*) Dissert. de monogram. Christi cap. 5. num. 6. & seq. (*d*) Ibi pag. 571. (*e*) Alpharan. Tab. Ichnograp. num. 23.
(*f*) In lib. ms. Instrum. pag. 98.

TABULA XLIX.

Pius II. postquam Anconæ defunctus est anno Domini MCCCCLXIV. ejus cadaver Romam delatum, in Vaticana Basilica tumulatum fuit *in Andreæ Apostoli cella, quam ille vivens pulcherrime adornatam, ossium suorum, & Sancti Capitis tabernaculum esse voluit*, ut scribit Card. Papiensis (*a*). Pontificii Sepulchri marmorea ornamenta Pasquini, seu Paschalini e Montepolitiano manus sculpsit: quæ postmodum, Paulo V. permittente ad S. Andreæ templum *de Valle* nuncupatum una cum ejusdem Pii cineribus translata, ibi hodiedum visuntur. At Sarcophagus in quo ossa aliquando jacuerunt, in Cryptis adhuc servatur, multamque sapit vetustatem: & certe viri Christiani (ac etiam Martyris, si Turrigio ita opinanti (*b*) fidem adhiberemus) olim fuit. Porro lapidea hæc arca, quam etsi scite insculptam Aringhus censeat, rudi tamen Minerva cælatam Periti judicant, in altitudinem palmos tres, in longitudinem verò palmos novem cum quadrante protenditur: Quinque loculamentis, & senis columnis frons sivè antica ejus facies constat. Medio in loculamento Christus aspicitur pallio, tunicaque indutus, & stans supra montem, unde quatuor exeunt flumina, illa nimirum de loco voluptatis, ut cap. 2. Libri Genesis legitur, ad irrigandam universæ terræ superficiem egressa: per quæ Ecclesiæ Patres, & sacrorum Bibliorum interpretes sancta quatuor Evangelia prænotata intellexerunt. Nam *quatuor Paradisi flumina*, ait S. Eucherius in cap. 3. Genes. *quatuor sunt Evangelia ad prædicationem cunctis Gentibus missa*: & ante ipsum S.Cyprianus epist. 73.ad Jubajanum postquam dixit, Deum arbores Paradisi rigasse quatuor fluminibus, *id est* inquit *Evangeliis quatuor, quibus Baptismi gratiam salutaris cælesti inundatione largitur*. Dexteram elatam Christus tenet, ac volumen sinistra gerit, Evangelicæ legis ab ipso editæ indicium plane luculentum, quemadmodum ex eo, quod Salvator Monti insistens exhibeatur, designari potest, vel Legis promulgatio in monte facta, ut legimus Matthæi cap.v., vel ipsius Legis sublimitas, majora præcepta tradentis, ut Augustinus interpretatur (*c*): Nudis pedibus Salvator noster in hac tabula occurrit: & quanquam apud Aringhum (*d*) calceatus appareat, revera tamen in hoc ipso marmore admodum ineleganter exculpto, neque calcei, neque corrigiæ deprehenduntur. At non ideo inficias iverim, Christum Dominum calceamenta, aut si mavis soleas, vel sandalia gestasse: quod facile deducimus ex Evangelistis, Matthæo cap.III. vers.II. Marco cap.I. v. 7. Luca cap. III. v. 16., ubi S. Joannes Baptista se indignum asserit, qui *corrigiam, calceamentorum* Christi solvat. Sunt tamen, qui opinantur eumdem Redemptorem nostrum aliquando discalceatum, uti in nonnullis monumentis cernimus deambulasse; ac veteres domi nudis pedibus mansisse in calidis saltem regionibus. Fimbriam vestis Christi religiose tangere videntur vir, ac mulier, quorum corpora in hoc loculo fuisse condita, Aringhius (*e*) recte conjicit: Cui assentitur Clar. Joannes Bottarius (*f*) at binas illas imagines, viri nempe ac mulieres, autumat ita expressas fuisse, quasi genua Christi amplectentes: quem gestum supplicantium esse proprium animadvertit, prolatis exemplis tum Sophonisbæ Massinissam orantis ex Livio Dec. III. lib. 10. cap. 9., tum Hellenici, & Cæsarii Macedonium Monachum precantium, simulque ejus genua complectentium ex Theodoreto Hist. lib. 5. cap. 20., tum etiam Eleutheropolitanæ mulieres, quæ sese Divo Hilarioni commendavit, genibus ejus advoluta, ut scribit S. Hieronymus in ejusdem Hilarionis vita. Binæ ipsæ imagines aliis longe minores sunt, quod modestiæ causa factum esse, existimare licet. Idipsum observare est

(*a*) Commentar. lib. 2. (*b*) Crypt. Vatic. pag. 369. (*c*) Lib. 1. de Serm. Rom. in Monte.
(*d*) Rom. subter. tom. 1. pag. 299. (*e*) Ibid. pag. 298. (*f*) Rom. subter. to. 1. pag. 93. & 94.

est in aliis veteribus sarcophagis ab Aringhio relatis (a), in quibus Salvator noster, & Apostoli majori forma delineati cernuntur, quam ii, quorum condiendis cadaveribus arcæ ipsæ marmoreæ cælatæ fuerunt.

Proxime sequuntur hinc inde alia duo loculamenta, bini Apostoli utrobique insculpti sunt; quorum alter in sinistra ædicula positus crucem gestans, ac volumen a Christo accipiens Divum Petrum refert, si male non video; alterum vero, qui in dextero loculamento proxime Christo accedit, Sanctum Paulum esse interpretari possumus. Quamobrem haud probandum videtur, quod apud Aringhium legitur, nimirum: *Paulus esse creditur*, is cui Christus Dominus apertum volumen tradit. Turrigius (b) autem etsi in ea imagine crucem gestante Divum Petrum agnoverit, immeritò tamen hæsitat, dum ait, Christianum virum, aut Apostolorum Principem eadem repræsentari. Quænam fuerit Apostoli utriusque forma ex vetustis scriptoribus ac monumentis, infra ad Tabulam LXX. dicemus.

Reliqua duo loculamenta sic idem Turrigius explicat (c), ut velit in utroque Christianum virum stare coram Præfecto, aut alio Judice in sella curali sedente: ac in læva ædicula formam vetustis tripodis spectari censet, cui superpositum sit præfericulum, vas scilicet æneum in superstitiosis Ethnicorum sacrificiis præferri solitum, usitatumque ad vinum inter victimæ cornua effundendum. Alia vero est Aringhii interpretatio, qui in duobus mox commemoratis loculamentis Christum Dominum coram Judice stantem exhiberi putat; & dextrorsus quidem coram Anna, vel Caipha, qui eo gesto, vel habitu insculptus est, ut aliquo Christi Sermone percelli, atque offendi videatur; sinistrorsum vero Pilatum exprimi veluti dicta, factaque Christi exquirentem. Denique par est, ut laudati Joannis Bottarii judicium huc referamus. Sentit ille (d) in dextera lapidis ædicula mirandum sane demissi animi exemplum, quo Christus Dominus, ut sacræ literæ testantur (e) Discipulorum suorum dignatus est pedes abluere; ob oculos poni. Sic itaque hanc insculpti marmoris partem explicat: Is qui sedet ex vultus lineamentis Petrum Apostolum referre videtur, elatis manibus, actu nempe admirantis, quasi dicentem: *Domine tu mihi lavas pedes?* Ad lotionis usum vas humi positum cernitur. Pedem nudum Petrus exporrigit, ac sedet aliquantulum elatus & sublimis, ut facilius ablutio peragatur. Stat Christus tunica indutus absque pallio: Joannes enim testatur, ipsum Salvatorem Nostrum Discipulorum pedes loturum deposuisse *vestimenta*; qua voce Euthymius pallium intelligit. Super tunicam vero Christus gerit indumenti genus quoddam, Fratrum seu Monachorum scapulari non absimile; quod ab his dum vilia exercerent ministeria, ad tunicam tuendam primum usurpatum, deinde ordinaria evasit ipsorum vestis; ac forsitan pannus ille e Redemptoris collo pendens, linteum designat, quo Christus sese præcinxit. Nonnulli sacræ Scripturæ Interpretes opinantur, ipsum Servatorem Nostrum in ea perficienda ablutione ad instar Servorum, qui propemodum nudi Dominis suis pedes lavabant, vestes exuisse, ideoque ob decentiam linteum sibi aptasse. Alii autem iis Evangelistæ verbis; *præcinxit*, *διέζωσεν ἑαυτὸν* significari putant, Christum Dominum alte cinxisse tunicam, ut expeditius ministraret, neve oblonga illa vestis incedenti sibi, & agenti esset impedimento. Hinc Pignorius (f) illud scite observat, quod Christus Lucæ cap. XII. ex ævi more Discipulos suos monet, ut lumbos servili more præcingant; & Saturnalia forte respiciens, quibus Domini servis ministrabant moribus Romanis, meminit Domini præcingentis se, & servilia meditantis. Ex opinionibus mox recitatis, quarum tamen prior indecorum quid continet, præsertim cum Christus ipso, quo erat præcinctus, linteo pedes Apostolorum absterserit; neutram secutus fuit nostri lapidis Incisor: Christum quippe amictum tunica; & hanc non altè cinctam, sed ad pedes profluentem effigiavit, eidemque vesti pannum illum veluti scapulare, de quo paulo ante dictum est, pro linteo videtur apposuisse. Hactenus summatim descripta Cl. Bottarii oratio, qua hujus

(a) Cit. oper. tom. I. pag. 301, 307. & 311. (b) Crypt. Vatic. pag. 369. (c) Ibidem.
(d) Loc. supracit. pag. 95., & 96. (e) Joan. Cap. 13. (f) Epist. Symb. 17.

hujus loculamenti arcana reserat. Profectò si ablutionis historiam in S. Joannis Evangelio enarratam adumbrare sibi Sculptor proposuit, quod vero est simile; haud recte se gessit cum Divum Petrum tanquam in sella curuli sedentem effinxit.

In explicanda sinistræ ædiculæ historia; quidquid sit de Turrigii opinione superius prolata; alii quidem ibi Christum Jesum coram Judice Pilato stantem inspiciunt. Is qui Christi adest lateri, militis speciem præsefert. Præses ipse pro tribunali spectatur, sedem vero curulem, cui insidet, a tribunali secernere debemus. Tribunal enim apud Romanos suggestus fuit editior, multorum hominum capax, in quo sella curulis locata erat, ubi sedens Prætor jus dicebat. Hinc Tullius unum ab altero distinguit: *Palam* inquiens lib. 2. in Verrem n. 94. *de sella, ac Tribunali pronunciat*.

In superiori sarcophagi hujus ora sculptor incisit coronas cum lemniscis: iis nimirum fasciolis, queis primum laneis, aut lineis, deinde purpureis, mox vero etiam aureis coronas ipsas ornari consuevisse, Plinius Histor. lib. 21. cap. 3. aliique testantur. Fructuum quoque calathos, & imagines Columbarum, vel Turturum, quæ rostro fructus illos carpunt, exhibet eadem lapidis ora superior. Per Columbas denotari potuit, in loculo quiescentes ea virtute præditos fuisse, quam Christus commendat illis verbis (*a*) *Estote simplices sicut Columbæ*. Si autem ii, quibus monumentum positum est, conjuges fuerint, pudicitiæ, aut benevolentiæ conjugalis symbola sunt, Columbarum, sive Turturum figuræ, ut Pierius Valerianus asserit (*b*). Simile Hieroglyphicum cernere est in marmoreo Probi Anicii, & Probæ Faltoniæ sarcophago, quem doctissima dissertatione illustravit noster Christophorus Battellus, quemadmodum infra videbimus.

Sarcophagus huc usque descriptus, inter effodienda novæ Basilicæ Vaticanæ fundamenta anno MDCVII. repertus fuit: de quo prælaudatus Aringhus ita inquit: *Ubinam modo extet, ignoratur*. At vetus hoc monumentum in Vaticanis Cryptis veteribus ad Orientalem partem asservatur, ac cernitur. Profecto in arca ipsa marmorea corpus Pii II. conditum fuit, cum Summi hujusce Pontificis cineres in Novæ Basilicæ Vaticanæ pavimentum translati sunt. Grimaldum nostrum testem oculatum audiamus in suo ms. Libro Authenticorum Instrumentorum (*c*) ita narrantem: *Die 13. Novembris 1608. fuit aperta coram Illustrissimo, & Reverendissimo Metello Bichio Senensi Soanæ Episcopo, & Ill., & R. D. Alberto Magno Subdiacono Apostolico tumba, in qua jacebat sanctæ memoriæ Pius Papa II. subjecta immediate ejus sepulchro marmoreo retro altare Sancti Gregorii Papæ, in quadam capsa lignea: corpus sacris vestibus erat indutum, sed in ossa redactum: tumba a capite ad pedes cruces habebat; nitebatur capsa ferreis spranchis per transversum positis. Supra corpus in lamina plumbea ita scriptum erat*: PIVS II. PONT. MAX. PATRIA . SENENSIS . GENTE . PICCOLOMINEA . SEDIT . ANNOS . VI. OBIIT . ANNO . SAL. MCCCCLXIIII. *Illatum fuit sub hoc fornice novi pavimenti, & pilo marmoreo sacris imaginibus Christi, & B. Petri, aliorumque Sanctorum sculpto conditum, atque clusum, inter Bonifacium VIII. & Hadrianum IIII. ac Pium Tertium. Tumba habebat literas: Pius II. Pont. Max.*

Jam ad secundam hujus tabulæ figuram accedamus. Bonifacius VIII. ad Orientalem veteris Basilicæ Vaticanæ plagam (*d*) altare in S. Bonifacii honorem erigi, atque exornari curavit, & juxta illud sua humari ossa constituit, ut Instrumentum anno MCCCI. confectum (*e*) & ipsius Bonifacii Papæ literæ (*f*) testantur. Quod Summus Pontifex vivens decrevit, id post ejus obitum exequutioni mandatum est. Bonifacio siquidem Anagnia ad Urbem reverso, ac paulo post in Vaticanis Pontificiis ædibus vita functo, ejus corpus nobilium virorum frequentia, & Carolo II. Siciliæ Rege funebrem augente pompam, quemadmodum Odorisius a Foro Julii (*g*) in suo Chronico literis consignavit, ad S. Petri Basilicam delatum est, ibique tumulatum. Sarcophagus, in quo Pontificis jacet corpus, altitudine palm. Rom. fere v. longitudine vero palm.

(*a*) Matth. Cap. x. v. 16. (*b*) Hieroglyphic. lib. 22. (*c*) Pag. 185. Archetypi in Basil. S. Petri Tabulario existentis. (*d*) Alphar. Tab. Ichnograph. num. 47. (*e*) Apud Bullar. Vat. Basil. tom. 1. pag. 233. (*f*) Ibid. pag. 239. (*g*) Apud Turrig. Crypt. Vatic. pag. 371.

palm. novem protenditur; & in Orientali Cryptarum veterum parte collocatus modo cernitur, ut in hac tabula exhibetur. Lectori gratum fore judico si nostri Jacobi Grimaldi hic proferam Instrumentum, non ex apographo, quod apud Joannem Rubeum in *Bonifacio VIII.* pag. 352. & apud Bzovium anno 1303. num. 8. legitur, sed ex Autographo ipso (*a*) exscriptum, in quo accuratissime adnotantur, quæ in Bonifacii Octavi sepulchro, dum anno MDCV. reseratum est occasione demolitionis Basilicæ veteris, reperta fuerunt. Hæc igitur scribit Grimaldus:

„ Amota statua Bonifacii instar defuncti quiescentis cum thiara tribus coronis (*b*) ornata, aliisque papalibus infulis, & tabula marmorea, quæ arcam cum stemmatibus ejusdem Bonifacii, undarum scilicet duarum cærulei coloris per obliquum in Campo aureo tegebat, reperta fuit capsa lignea ex abiete intus, in qua erat corpus supradicti Domini Bonifacii Papæ VIII. alta a terra palmis decem, in majori navi inter portas Ravennianam, & Judicii (*c*). Capsa ipsa lignea longa palm. $8\frac{1}{2}$ lata palm. 2. & unc. 5. delata fuit in sacrarium, ubi præsentibus supradictis Vicario (Antonio Victorio), Canonicis (Paulo Bizonio majore Camerario, Pomponio de Magistris Altarista, Tiberio Ricciardello majore Sacrista, & Paride Pallotto Exceptorum Camerario), Archiepiscopo (Capuano Antonio), Episcopo (Cassanensi Bonifacio), & Duce (Sermineti, scilicet Petro e Familia Caetana) ac magno populo, meque Notario &c. fuit aperta, & visum ab omnibus corpus ipsius recolendæ memoriæ Bonifacii Octavi adhuc integrum, & incorruptum sacris vestibus ornatum (*d*) ut inferius dicetur. Inspecto igitur corpore, clausa fuit capsa, & munita sigillis Illustrissimi Domini Cardinalis Archipresbyteri, & eo modo, quo reperta fuit cum cum corpore memorati Pontificis, jussu eorumdem R. R. D. D. Vicarii, & Canonicorum data, ut asservaretur in eodem sacrario, R. D. Tiberio Ricciardello majori sacristæ præsenti &c., & pro eo Dominis sacristis minoribus, quousque deferretur in sepulchrum in nova Basilica, ubi de ordine, & mandato S. D. N. statutum foret concedendum. Contigit autem, & casu quidem hoc notatu dignum, ut eadem die, nempe undecima Octobris, qua ab hac luce subtractus est Bonifacius annis jam ante tricentis, & duobus, hac ipsa die undecima ejus corpus sanum & incorruptum lucem aspiceret. Quæ vero de corpore, & indumentis ipsius, utpote memoratu digna a me servata sunt, infra apponere libuit. Et primo de ipsius statura: Bonifacii VIII. corpus mensuratum est in longitudine a vertice capitis ad plantam pedis palmorum septem, & quartorum trium. Caput in rotunditate palmorum duorum, & quarti unius; & ut periti Medici, ac Chirurgi affirmarunt, ex majori parte calvum erat, præsertim in summitate. Cutem Capitis nec non membranas superiores, & inferiores tegentes oculos, genas pingues, frontem latam, mentum sine barba (nam visus rasus erat) Cartilagines aurium mediocres foris prominentes habebat. Facies (quamvis nasus, & labia corrupta) severitatem magis, quam hilaritatem ostendebat. Dentes omnes, & quidem magnos, & firmos præter duos sub labio superiori, cui viventi deerant, habebat. Sano, ac robusto fuit corpore, ut Periti judicarunt. In cingulo palmorum trium cum dimidio. Manus habebat longas, & pulchras palmi unius brevis cum unguibus longis, signis venarum, & nervorum; adeo ut videntibus summam iniiceret admirationem, quomodo per tot an-

„ no-

(*a*) Cit. Lib. Instrumentor. pag. 1. seqq. (*b*) Hic memoria lapsus est Grimaldus: nam thiara in marmoreo Pontificis simulacro exculpta, non tribus, sed duobus tantum coronamentis exornatur; quorum alterum omninò patet, & alterum longè minus conspicuum est adeo ut inspectorem haud satis diligentem fugiat. (*c*) Harum veteris Vaticanæ Basilicæ portarum ad ejus dextrum latus existentium, altera *Judicii*, quia per eam corpora defunctorum Dei judicium subeuntium in templum inferebantur, altera *Ravenniana*, quia Transtyberinæ regionis incolæ olim *Ravennates* nuncupati ingredi solebant, dicebatur. (*d*) Ad oram paginæ Grimaldus propria manu hæc animadvertit: *Nota, quod usque ad diem* 28. *Novembris hujus anni* 1605., *ut in Instrumento fol.* 18., *fuit corpus Bonifacii VIII. visum, & admiratum a tota pene Urbe in Archivo Basilicæ.*

„ norum curricula tam integræ, & incorruptæ conservatæ fuissent. Pedum quilibet palmum unum continebat. Genua, tibiæ, & reliquum corpus cum carne exsiccata incorruptum, & sanum cernebatur. Vestimenta vero hæc erant. Femoralia tibialibus conjuncta coxas stringentia, quibus antiqui utebantur ex inverso rubro cum zona serico rubro super corio cooperta, in cujus summitate erant punctales argentei, sive fibbulæ, sed quia erant ex lana jam fere consumpta videbantur. Tunica interior, quæ subtana dicitur, ex inverso albo. Rocchettus longus erat palmis sex & quarti unius usque ad talos ex tela Cameraci, quæ Cambraja dicitur; qui cingebatur cingulo ex corio serico rubro cooperto in modum zonulæ cum quatuor cordulis sericeis rubris ante pendentibus stringentibus zonam. Alba, quæ, & Camisum dicitur, erat ex tela subtili Cameracensi cum fimbriis ante, & post tibias, necnon ad manus & pectus, quæ fimbriæ ante & post tibias singula ipsarum habet in longitudine palmos tres cum dimidio, in latitudine palmum unum, in quibus auro, & serico acu pictæ (ut vulgo dicitur riccamo) infrascriptæ habentur historiæ. In fimbria ante tibias sunt in primo ordine historiæ Annunciationis, Visitationis, Nativitatis, Apparitionis Angelorum ad Pastores, Quando Magi veniunt Hierosolymam, Quando loquuntur cum Herode, Adoratio Magorum, & cum Angelus admonet illos, ut revertantur per aliam viam. In secundo ordine ejusdem fimbriæ habentur consilium Herodis super occisione Innocentium, occisio subsequuta: Apparitio, ut Joseph fugiat in Ægyptum, fuga subsecuta; obitus Herodis; Circumcisio Domini; Disputatio inter Doctores, & cum invenitur a Matre, Fili quid fecisti nobis sic? In fimbria vero retro tibias, Consilium Sacerdotum, ut caperent Jesum; Captura Christi, & amputatio auriculæ, flagellatio Christi, bajulatio Crucis, crucifixio, obitus in Cruce, & militis percussio, sepultura, ac resurrectio. In secundo ordine descensus ad Inferos, Noli me tangere, valde mane una Sabbatorum, tres aliæ historiæ Resurrectionis, quando dicit Thomæ, Infer digitum tuum huc, & Ascensio in Cœlum; quas tres historias subter corpus positas excipere non valui. Alba longa erat usque ad pedes, & in pectore aderat fimbria cum imagine Annunciationis. Stola stricta & longa erat palm. vi. & quart. 3. usque ad floccos, ex broccato intexto argento, & serico nigro opere Turcico. Cingulum pontificale ex serico rubro, & viridi pulchre quidem intextum cum suis cordulis sericeis ante pendentibus, suisque globulis, & floccis. Manipulum strictum, auro, argentoque intextum opere ad undas cum serico nigro, & violaceo, duplum erat pendens a tunica, longum palm. 3. Sandalia nigri coloris, acuta, & cuspidata more Gothico sine cruce & serico nigro ad flores parvos auro intextos, longitudinis palmi unius, & quarti unius. Tunica pontificalis ex saja de serico nigro cum manicis, quæ suis modulis stringebantur prope manus, & erant strictæ instar manicarum vestis. Tunica longa palmor. v., & semis, in extremitate lata palm. 4. & semis. Fimbriæ ante, & post in latitudine palm. 1. in longitudine palmor. 3. ex broccato in campo violaceo cum leonibus auro, & serico intextis. Dalmatica ex saja de serico nigro longa pal. 6. lata in fine palm. 5. semis; in extremitate ante & retro erant fimbriæ latæ palmi unius semis, longæ palm. 3. ex broccato aureo in campo nigro, opere Turcico, vel Persico, & quidem pulcherrimo propter splendidissimum aurum, elaboratæ certis rosis, binisque canibus rectis, cum manicis latis, in quarum summitate prope manus erant aliæ fimbriæ ejusdem broccati in circuitu foderatæ serico croceo. Caligæ pontificales ex serico nigro, quod Ormisinum dicitur, cum suis ligulis, quibus necterentur. Casula, sive Planeta lata, ut antiqui utebantur, ante, & retro palmorum 6. & quarti unius ex saja de serico nigro cum aurifrigio auro intexto in campo violaceo ad sportas opere Mauro mirificè solideque confecto, ut visu mirum esset, tum ob soliditatem dictæ Casulæ, tùm reliquorum indumentorum, limbus Casulæ paulum

„ lum ultra manus veniebat. Habebat fa„ nonem circa collum, & humeros eo mo„ do, quo hodie Summi Pontifices utun„ tur, nempe pars supra Albam, & pars „ supra Planetam ex puro serico velo albo „ subtilissimo sine auro & aliquo ornatu, „ involutum pluries, primum circa hume„ ros super Albam, deinde inversum super „ casulam circa collum: super alba duplex „ magis erat in parte dextera, quam in si„ nistra. Supra fanonem stola, supra stolam „ tunica, inde dalmatica, post dalmaticam „ Casula. Supra fanonem erat pallium, sed „ quia ex lana, consumptum erat præter „ quamdam particulam supra tibias; usque „ ad crura longum, & plumbum ante & „ post terga pendens, serico nigro cooper„ tum, extremitati pallii positum, quadra „ forma cernebatur. Cruces pallii serico ni„ gro, ut hodie Summi Pontifices utuntur, „ necnon spinulæ aureæ saphyris preciosis „ ornatæ, quarum una in medio pectoris, „ altera in armo sinistro aderant, integræ „ adhuc extabant. Chirotecæ ex serico al„ bo ad acum cum frigio pulcherrimo ad „ perlas in longitudine palmi unius & quar„ ti. Manus complicatæ in modum crucis, „ dextera superposita sinistræ, in cujus dex„ teræ annulari digito super ipsis chirothe„ cis aderat annulus aureus pulcherrimus „ cum uno Saphyro ovato precioso, ac ma„ gno, & perforato non modici valoris. „ Mitra alba ex tela damaschina intexta ad „ sportas foderata corio albo in forma par„ va, nempe longa palmum unum, lata „ palmum unum.

„ Hæc de Bonifacii VIII. corpore servata „ sunt. Princeps magni, & invicti animi, ac „ de Republica Christiana optime meritus, „ quippe qui doctrinæ suæ clarissimis mo„ numentis Dei Ecclesiam maximè illustra„ vit, ac de memorata Basilica, in qua Ca„ nonicos octo, tres Beneficiatos, & vi„ ginti Clericos, optimis attributis prædiis „ de novo plantavit, & in ipsa in minori„ bus Canonicus fuit, non satis quidem in „ ævum omne laudandus. Super quibus „ omnibus, & singulis petierunt a me No„ tario publico infrascripto, ut publicum, „ seù publica conficerem Instrumentum, „ seù Instrumenta. Acta sunt hæc Romæ „ in Basilica S. Petri, & in sacrario ejus„ dem respectivè, templo scilicet rotundo, „ quod antiquitus dicebatur S. Andreas, „ hora XXIV. die, anno, mense, Indictio„ ne, ac Pontificatu, quibus supra: præsen„ tibus ibidem RR. DD. Horatio Malvici„ no memoratæ Basilicæ Beneficiato V. I. D; „ necnon Dominico Longo Fulginatense „ Custode Altaris majoris, Jacobo Palatio „ Romano subsacrista, ac DD. Joanne Bel„ luccio quondam Francisci de Massa Carra„ riæ Factore Fabricæ S. Petri, & Paulo „ Baciocco quondam Francisci de Urbeve„ teri, testibus ad prædicta omnia, & sin„ gula vocatis, habitis, atque rogatis.

„ Et Ego Jacobus Grimaldus quondam „ Dominici filius Presbyter Bononiensis, „ publicus Apostolica auctoritate Notarius in „ Archivo Romanæ Curiæ descriptus, quia „ prædictis omnibus, & singulis præsens „ fui, eaque sic fieri vidi, & audivi; ideò „ hoc præsens publicum Instrumentum ex„ inde confeci scripsi, subscripsi, & publica„ vi, & solito meo signo signavi rogatus.

Præter Jacobum Grimaldum dare libet oculatum testem alterum: Paulum scilicet Mucantium sacris Cæremoniis Præfectum; ex cujus Diario, Turrigius (a) hunc refert locum: „ Die XI. Octobris 1605. dum de„ molirentur altaria antiquæ Basilicæ S. Pe„ tri, post altare S. Bonifacii Papæ IV. in „ loco eminenti, & sub imagine Beatæ „ Virginis opere musivo depictæ, in pilo „ marmoreo inventum est corpus Bonifacii „ Octavi, qui obiit anno 1303. Erat autem „ ejus corpus fere integrum, & in alia „ capsa lignea reconditum, quæ cum cor„ pore portata fuit in Sacristiam Canonico„ rum, & ibi ferè per duos menses con„ servata. Corpus d. Bonifacii fuit a mul„ tis visum. Ego etiam ad illud curiosita„ tis causa videndum semel, atque iterum „ accessi, & vidi d. Corpus integrum con„ servatum in dicta capsa lignea, in qua „ fuerat sepultum per 302. Annos: facies „ tantum ejus aliquantulum consumpta e„ rat, itaùt nec narices, nec labia, sed „ tantum mentum apparerent, & dentes. „ Habebat in capite mitram albam admo„ dum parvam, ut conjectare potui, ex „ tela bambacina. Corpus indutum erat „ om-

(a) Crypt. Vatic. pag. 372. seq.

„ omnibus pontificalibus indumentis, idest „ caligis, sandaliis ex tela aurea, in summitate acutis, sine cruce; rocchetto longo albo, stola, cingulo, dalmatica, tunicella, planeta ampla fericea coloris nigri, „ phanone, & pallio, quod consumptum „ erat, sed plumbum apparebat, & pendebat fere usque ad pedes, spinulæ tres „ gemmatæ; manus ejus Chyrothecis albis, „ acu factis, & margaritis ornatæ erant, „ & annulum pretiosum in digito gestabat, atque Zaphyrum valoris (ut aliqui „ dixerunt) 30. scutorum. Illustr. Dux Sermonetæ, & Frater ejus Bonifacius Episc. „ Cassanen. & Antonius Archiepiscopus Capuanus de ejus Domo, & Familia, ut melius corpus conservaretur (quod in novam „ Basilicam S.Petri transferendum erit) capsam plumbeam de novo fecerunt, & in ea „ corpus in eadem capsa lignea, in qua sepultum a principio fuerat, includi, & super coopertorium capsæ plumbeæ crucem, „ & sequentem inscriptionem imprimi fecerunt. IHS. Corpus Bonifacii VIII. Caetani Pont. Max. ex veteri in novam Basilic. „ translatum, hic reconditum jacet: de quo „ illud mirabile accidit, quod eodem die, „ quo obiit, v. scilicet Id. Octob. jam ab „ inde 302. elapsis annis integrum, atque „ incorruptum repertum fuerit. Anno Domini MDCV. Paulus tandem de Angelis in notis ad Romanum Canonicum (a) *Nos etiam*, inquit, *non solum vidimus dictum corpus Pontificis Bonifacii Octavi intactum, & ornatum vestibus pontificiis, sed tetigimus nostris propriis manibus*. Duo hæc prolata monumenta satis profecto sunt illustrandæ Bonifacii VIII. arcæ sepulchrali marmoreæ in hac tabula exhibitæ, quæ idcirco majori explicatione non indiget.

TABULA L.

OB necessarias impensas, quas imminens bellum contra Turcas indictum postulabat, Petrus Raymundus Zacosta Ordinis Hierosolymitani Magister certam pecuniæ summam, nempè tres, ut ajunt, annatas ab Equitibus ejusdem Ordinis exsolvi jussit: qui tamen tributum hujusmodi ægre admodum ferentes, Zacostam Reipublicæ male administratæ apud Romanum Pontificem Paulum II. per magnos Principes insimulari; eidemque Summo Pontifici suaderi curarunt, maxime congruum fore, ut generale Capitulum, quod Zacostæ mandato Rhodis habendum erat, in Urbe cogeretur. Postulationi Summus Antistes annuit, datisque ad eumdem Ordinis Magistrum literis, præcepit, ut ipse per se, aut per Vicarium, seu Procuratorem ad Capitulum Romæ celebrandum accederet, sui peracti muneris rationem redditurus. Deliberavit Zacosta ad Urbem proficisci, ubi generalibus Comitiis idem Paulus Pontifex anno Christi MCCCCLXVI. Decembri mense initium fecit gravi, atque opportuna oratione. Ex Equitibus selecti sunt sexdecim, quibus cæteri per viam, ut dicunt, compromissi auctoritatem decernendi contulerunt. Tum his sexdecim compromissariis legati Regis Aragoniæ folia tradiderunt, criminationes adversus Ordinis Magistrum continentia: quibus tamen hic sese purgavit; atque ut omnem prorsus querelarum, & accusationum causam præcideret, Castellaniam Empostensem, quam injustè ipse possidere ab Aragonio Rege insimulabatur, certis quibusdam legibus die 14. Januarii MCDLXVII. sponte abdicavit. Confectis demum majoris momenti negociis, conventus die 7. Februarii ejusdem anni absolutus fuit. Post dies quatuordecim, scilicet 21. ejusdem mensis non sine Pauli II. mærore Summus Crucе Signatorum Rhodiensium Princeps Zacosta obiit ex ilium morbo, Magisterii dignitate annos v. menses vi. & dies v. perfunctus. Ex prudentia, ac

(a) Pag. 122. & 123. edit. Rom. 1646.

ac strenuitate commendatur, ac magnam sibi gloriam comparasset, nisi pecuniarum aviditatem, & quamdam tenacitatis speciem præ se tulisset; ex quo Fratrum sui Ordinis sibi invidiam conflavit. Corpus ejus summa pompa, & honore a Familiaribus Romani Pontificis, & Cardinalium, atque ejusdem Ordinis Procerum, equitumque frequentia sociatum ad S. Petri Basilicam defertur, & prope Sacellum Divo Gregorio Magno sacrum ad altare de Perreriis (*a*) tumulatur. Ex Jacobo Bossio (*b*) hæc præfati sumus ad illustrandum lapidem operis anaglyptici, cujus formam in præsentis tabulæ num. I. exhibemus. Marmor enim, quod in Cryptarum Orientali parte modo visitur, longum palmos Rom. XI. semis, latum fere IV. prælaudati Zacostæ imaginem refert, spectabilem videlicet senem, barba valde prolixa, veste indutum, quam *di punta* Equites Melitenses vocant, eo insuper nobilis indumenti genere, quod apud eumdem Militarem Ordinem dicitur *Stolone* distinctum; gladioque instructum. In monumenti fronte gentilitium ipsius Zacostæ insigne cernitur. Quod autem lapidi epitaphium primo incisum fuit, quum pedibus frequenter incedentium (humi namque jacebat monumentum) fuisset deinde consumptum; anno circiter MDCX. renovatum est in eum plane modum, quo in marmoris ima parte, & in sinistra ora nunc legitur. Haud scio num posterior hic sepulchralis titulus priori adamussim respondeat. Prælaudatus Bosius (*c*) veteres Inscriptionem, quam tamen ait magna ex parte obliteratam, adeoque lectu difficilem, ita exhibet:

Petro Raimondo Zacosta de Hispania citeriori Sac. Dom. Hosp. S. Jo: Hierosolymitani M. Magistro,

Qui generali Capitulo sui Ordinis Romæ celebrato, LXIV. *ætatis suæ anno vita functus est,*

Consilio, pietate charitate inclito hoc Monumentum Religionis decreto Patri BM. positum.

Alia quoque occurrit marmorea Inscriptio, muro affixa, ubi hodie tumulus idem extat, tunc temporis exarata, cum prædictum Zacostæ sepulchrale monumentum ex priori loco, Paulo V. novam Basilicam perficiente, dimoveri opus fuit, hisque concepta verbis:

D. O. M.

Ossa ista unà cum tumulo, ubi olim composita, diuque servata sunt,
vetustate pene corroso
Alophii Wignacourt Hierosolymitani Ordinis Magistri obsecutus
Imperio, & pietati suæ

Fr. Franciscus Lomellinus, Sancti Sepulchri Commendatarius
Ejusdem Religionis apud Sanctam Sedem
Orator
E veteris templi ruderibus in novam
Basilicam inferri, atque in pristinam formam
Redigi curavit
Anno fundatæ Salutis MDCX.

Mox

(*a*) Alpharan. Tab. Ichnogr. num. 56. (*b*) Istoria della Religione di Malta Part. 2. lib. 8. sub fin. pag. 233. & seqq. ad 243. (*c*) Ibi pag. 243.

Mox recitatum Epigramma, uti & alterum in sepulchrali marmore insculptum, Turrigius affert (*a*) sed parùm accurate.

Jam verò sub præsentis Tab. num. 2. sepulchralis alter lapis sese inspiciendum offert, & ipse anaglyptico opere concinne elaboratus, latitud. palm. Rom. III. & totidem quadr., longitud. palm. fere X. qui in Cryptis Orientem versus nunc asservatur, olim verò in posteriori veteris Basilicæ minori Navi ad meridiem extabat (*b*). Egregius vir Franciscus Tudeschinus, propterea *Piccolomineus* nuncupatus, quod a Pio II., cujus erat ex Sorore Nepos, Piccolomineo nomine, ac stemmate donatus est; ab eodem Pontifice duos, & viginti annos natus in Collegium Cardinalium accitus, & in Senensem Archiepiscopum electus fuit. Gravissimis licet distentus negociis, ac legationibus potissimum pro Christiana Republica susceptis, mortem tamen ob oculos habens, hunc cælari lapidem curavit, sub quo corpus suum exanime ad pedes avunculi Pii II. Pontificis tumulatum voluit. Defuncto autem Alexandro VI. Franciscus ipse Cardinalis Piccolomineus anno Domini MDIII. in Divi Petri Cathedram evectus est, Pius Tertius appellatus, qua tamen summa dignitate nonnisi dies XXVI. potitus, eodem anno MDIII. XV. Kal. Novembris, publico omnium luctu obiit postquam vixit annos LXIV. menses V. dies X. Humandis ejus exuviis, marmor ipsum, de quo mox dicebamus, quodve hic delineavimus, adhibitum. In eo Franciscus Piccolomineus, idemque Pius III. Diaconali veste, nimirum dalmatica indutus cernitur; ab avunculo enim Diaconus Cardinalis S. Eustachii fuit renunciatus. Hujusce vestis forma certe non absimilis illi est, quæ hodiedùm viget, quave olim veteres utebantur. Prisci enim rituum Ecclesiasticorum Scriptores, vulgatus Alcuinus, Rabanus Maurus, Honorius Augustodunensis, crucis formam, latasque manicas dalmaticæ tribunnt; cujusmodi sane indumento præstantissimus Christi Martyr S. Laurentius Diaconus amictus occurrit in Codicis Vallicellani membranacei, annorum supra mille, veteri pictura, quam Clar. Commendator Franciscus Victorius (*c*), modulo nonnihil imminuto, publicæ luci, & eruditorum virorum commodo, atque utilitati exposuit. Ad hæc in Francisci Card. Piccolominei dalmatica, tum in superiori ejus parte ante pectus, tum in extrema, affabre contexti, vel acu picti quidam ornatus quadratæ figuræ representantur quales etiam occurrunt in Diaconalibus vestimentis simulacrorum, quæ inferius producentur, Petri Fonsecæ, atque Ardicini Senioris de Porta. Non solum dalmaticæ, sed etiam tunicæ, & albæ eadem fere ornamenta assui olim consuevisse colligitur ex ea, quam paulo ante retulimus (*d*) descriptione sacrarum vestium, quibus Bonifacii VIII. Summi Pontificis cadaver tumulatum fuit. Illud etiam observatu dignum est, ex dalmaticæ suprema parte binos hinc inde funiculos, qui in lemniscos desinunt ad pectoris utrumque latus descendere; qui tamen ornatus in prædictorum Diaconorum Fonsecæ, & Ardicini dalmaticis minime apparent. Cæterum sacri hujus indumenti origo quamquam sit vetustissima, certum tamen tempus, quo illud primùm adhiberi cæpit, satis exploratum mihi non est. Antiquitatem nonnulli demonstrant ex proconsularibus Divi Cypriani actis, ubi S Episcopus, egregiusque Martyr ad passionis locum perductus, sese dalmatica expoliasse, eaque Diaconibus tradità, *in lineà* stetisse adnotatur; ex re divinitus gesta ad comprobandam Sanctitatem Paschasii sub Pontifice Symmacho Diaconi, cujus dalmaticam, ut scribit S. Gregorius (*e*) feretro superpositam dæmoniacus tetigit, ac illico sanatus est: ex Libro Pontificali, sive pervulgato Anastasio Bibliothecario, ubi S. Eutychianus ne a Fidelibus Martyr sepeliretur sine dalmatica, aut purpurato colobio, mandasse fertur, & Sanctus Silvester I. ut Diaconi dalmatica uterentur, constituisse legitur: ex Cypriano Tolonensi, qui enarrat (*f*) Symmachum Pontificem, ad amoris, & honorificentiæ argumenta in S. Cæsarium exhibenda, Arelatensis Ecclesiæ Diaconis dalmaticarum usum adinstar Ecclesiæ Romanæ concessisse; demum ex Ammiano Marcellino (*g*) commemorante *pectoralem tunicam*;

(*a*) Crypt. Vatic. pag. 378. (*b*) Alpharan. Tab. Ichnogr. num. 81. 84. (*c*) Differtat. Philolog. pag. 89. (*d*) Tabula XLIX. prope finem. (*e*) Lib. 4. Dialog. cap. 40., & 41. (*f*) In actis Sancti Cæsarii Arelat. apud Surium tom. 4. (*g*) Histor. lib. 4. cap. 9.

nicam ; sine manicis textam , quæ fuisse propria videtur cujusdam *Diaconi Maras* appellati . Hisce monumentis vetustum plane dalmaticæ usum scriptores non ignobiles adstruunt . Verum si prælaudatus Ammiani locus de Diaconali dalmatica est accipiendus , hanc quarto Ecclesiæ Sæculo potius colobium fuisse , proindeque alius formæ ab ea quæ postmodum usurpata est , dicamus oportet : manicis quippe instructam Diaconorum dalmaticam paulo ante vidimus . Deceptus ex vitiato Ammiani Codice Baronius (*a*) perperam existimat , pectoralem illam tunicam ab eodem ethnico historiographo dici , Græcis literis fuisse distinctam: id namque Ammianus non asserit, ut ex optimis ejus editionibus post Baronii obitum evulgatis patet . Illud quoque prælaudata S. Cæsarii Vita , & S. Gregorii Magni literæ (*b*) palam faciunt , dalmaticam proprium Romanæ Ecclesiæ Diaconorum fuisse indumentum ; quod tamen postea ex Summorum Pontificum privilegio ad alias Ecclesias derivatum est . Ut enim Symmacus Diaconis Arelatensibus , sic etiam Gregorius Aregio Episcopo in Galliis , ejusque Archidiacono , gestandæ dalmaticæ potestatem fecit . Hæc paucis de dalmatica , cujus vocis etymon a Dalmatia , ubi primum texta fuit Isidorus (*c*) repetit .

AVG. PII III.
NEP.

Marmorea hæc est inscriptio , quæ humi adjacet Pont. Max. Pii II. Sarcophago , & ad Augustinum Tudeschinum pertinet clarum plane virum . Patruus ejus Franciscus Piccolomineus , de quo mox diximus , eximius Cardinalis , qui postea Romanus Pontifex extitit Pius III. appellatus , cum esset Firmanæ Ecclesiæ administrator , huic muneri Augustinum adscivit coadjutorem cum spe futuræ successionis , quam tamen mors abrupit , nam. 5. Nonas Julii anno 1496. Augustinus ex hac vita migravit , ut Ughellus (*d*) , & ex eo Ugurgerius (*e*) narrant , ipsumque Turrigius (*f*) inter viros illustres in Vaticana Basilica tumulatos enumerat .

TABULA LI.

IN veteris Basilicæ Vaticanæ pavimento plures lapides porphyretici , circularis figuræ , palm. XI. , extitisse (*g*) perhibentur ; quorum unus ideò in præsentis Tabulæ num. 1. delineatus editur , quia sub *Rotæ* vocabulo a priscis scriptoribus speciatim commemoratur . Henricus IV. Augustus prædictam Basilicam ingressus una cum Paschali II. Summo Pontifice , *cum in rotam porphyreticam venisset* , positis utrique sedibus , ambo consederunt , ut Petrus Diaconus in Monasterii Casinensis Chronico (*h*) testatur . Hujus item lapidis meminit Petrus alter , nempe Mallius (*i*) , ipsum appellans *Rotam porphyreticam* , innuitque situm *ante portam argenteam* , principem nimirum Basilicæ Vaticanæ portam ab Honorio I. , deinde a Sancto Leone IV. laminis argenteis (*k*) exornatam . Sed & Romanæ Ecclesiæ Libri Cæremoniales ad idem marmor alludunt , cum ritum agendæ in ipso Vaticano Templo coronationis Electi in Imperatorem describunt : Nam Cencius Camerarius in sui Ordinis cap. 49. postquam di-

(*a*) Not. in Martyrolog. 31. Maii . (*b*) Lib. 7. Epist. 113. ad Aregium . (*c*) Lib. 19. Orig. cap. 22.
(*d*) It. Sac. to. 2. col. 719. (*e*) *Pompe Sanese* to. 1. tit. 7. num. 13 (*f*) Crypt. Vatic. pag. 599.
(*g*) Turrig. Crypt Vatic. pag. 520. (*h*) Lib. 4. cap. 37. (*i*) Descript. Vatic. Basil. num. 110.
(*k*) Ex Anastas. Bibliothecar.

dixit, ab Episcopo Albanensi ante prædictam portam argenteam pro eodem Electo primam illam orationem recitari debere, nempe: *Deus, in cujus manu corda sunt regum* &c.; mox subjungit, secundam precationem, quæ incipit, *Deus inenarrabilis Auctor Mundi*, a Portuensi Episcopo proferri *inter Ecclesiam Beati Petri in medio ROTÆ*. Idipsum legimus in Pontificio diplomate, quo Innocentius VI. Avenione consıdens, anno MCCCLV. coronationem Imperialem Caroli IV. Romanorum Regis, ejusque uxoris Annæ Reginæ in sacra Æde Vaticana habendam, Petro Ostiensi Episcopo, & Ægidio S. Cæciliæ, Cardinalibus demandans, ritum in ea celebritate servandum præscribit (*a*). Concinit & Cæremoniale Papale a Marcello vulgatum, in quo (*b*) coronandus in Imperatorem dicitur ad medium Basilicæ progredi, *ubi rota est porphyretica*. Basilicæ portam Principem ingredientibus veterum prædictorum marmorum unum vel inpræsentiarum statim occurrit, aliud in Sacrarii pavimento cernitur, cetera a Turrigio memorata mihi reperire non licuit.

Recentis ætatis est epitaphium, quod in hac Tabula exhibetur. Quum enim Paulo Quinto Pontifice fabricam Vaticani Templi perficiente anno MDCVI. die 18. Junii (non Julii, ut male apud Turrigium (*c*) legitur) Corpus Benedicti Cardinalis Cajetani, Bonifacii VIII. Nepotis fuisset exhumatum, repertumque in cineres redactum præter fragmenta indumentorum, & quædam fila aurea (*d*); 14. Kalendas sextiles ejusdem anni in Orientalem translatum est Sacrarum Cryptarum partem juxta Patrui sui sepulchrum, ac tum hujusmodi inscriptio marmore incisa fuit (*e*). Antea autem jacebat in Veteri Basilica Vaticana ad Orientem in S. Bonifacii Sacello, quod prælaudatus Bonifacius Octavus erigendum curavit. Vetustiori huic Benedicti Cajetani sepulchro longum erat Epitaphium, si Turrigio (*f*) audiamus, qui illud refert communicatum sibi ab Abbate S.Barontii Domno Constantino Cajetano Divi Benedicti Monacho, & Præsidente Collegio Gregoriano in Urbe, ac Nos aliquibus mendis, quæ in ejusdem Turrigii editione extant, expurgatum hic recitamus:

O Domine Excelsi stabilis regnator Olympi,
Cur adeo facilis dare magna, sed ipsa tueri
Et tàm difficilis? O mors, cur mortua non es?
Quæ sic prompta rapis, quos erat, gloria, virtus
Victuros cupiunt, moribundos ægra requirent.
Ecce Virum, quem celsa Domus Gaetania Mundo
Protulerat, tamquam florem, pontemque novellum,
Quem mores, quem vita, genus, studiosa juventus,
Blandus honos, rerum laudum tuta, pileus ardens
Cardineus, quem tam nomen, quam res Benedictum
Clamabant, veluti teneram de cortice virgam,
De carnis tunica sic sic festina pulisti.
Qui licet ista libens bona vilia linqueret, alto
Lumine suffultus, vellετque ad sidera solvi;
Non debebat adhuc tam florida planta recidi.
Heu jactura gravis: sed in ipsa quippe docemur
Quanta fides isti vitæ sit danda fluenti:
Quamque fugit risus, quam regnat lacrima Mundi.
Nunc igitur Benedicte Deus, benedic Benedictum,
Et benedicatur hoc orans pro Benedicto.

Postremi hi duo versus ad Benedicti nomen alludunt juxta auctoris genium: perinde est quod in Beati Benedicti XI. Officio die VII. mensis Julii habet precationis formula, scilicet:

(*a*) Apud Raynaldum ad annum 1355., & Bullar. Vatic. Basil. tom. 1. pag. 351. & seqq.
(*b*) Tit. 5. §. 14. (*c*) Crypt. Vatic. pag. 376. & seq. (*d*) Jac. Grimaldus lib. ms. Instrum. p. 92.
(*e*) Turrig. & Grimald. loc. cit. (*f*) Ibid.

licet: *Deus, qui Beatum Benedictum Pontificem benedictionis tuæ gratia ad cælum sublevasti; populum tuum, quæsumus, nova benedictione sanctifica* &c.: quæ quidem precatio non recenter, sed ante annum MDIV. concinnata est, ut apud Martenium, qui eam refert to. 6. Veterum scriptorum & monumentorum col. 375., videre licet. Aliud quoque Epitaphium prælaudatus Turrigius (a) his versibus conceptum recitat de eodem Benedicto:

Testes sunt natale genus, mentisque ducatus,
Virtus cana, virens ætas, amor immaculatus,
Sensus nativus, studiis meritisque levatus,
Cardineus titulus, qui sic jacet hic tumulatus,
Quod fuit is recte Benedictus in Orbe vocatus,
Et Benedictus adest in Cælo glorificatus.
Obiit Bened. Card. . . . . Octob. 1296.

Carmina hactenus relata ad antiquiorem Benedicti Cajetani tumulum extitisse, Turrigius quidem narrat; sed ut videtur, ex commemorati Constantini Cajetani fide ac testimonio. Unde autem hic notitiam hujusmodi hauserit, me prorsus latet. Certè Grimaldus in Instrumento, quod de reserato eodem sepulchro edidit, de iis versibus nullum plane verbum facit: altum quoque de ipsis silentium est apud Ciaconium, qui literis consignavit (b), Benedictum Caetanum, agente ejus Patruo tunc S. R. E. Cardinali, postea ad S. Petri Cathedram assumpto sub Bonifacii VIII. nomine, Diaconum Cardinalem SS. Cosmæ, & Damiani inauguratum fuisse; & ex hac vita migrasse 3. Idus Octobris 1296. ejusque Anniversarium ea die teste Joanne Rubeo, in Basilica Vaticana fuisse celebratum. At oppido errat quisquis putat ipsum Anniversarium esse habitum 3. Idus Octobris: Non enim hoc die, sed Idibus Decembris in Vaticana Basilica quotannis pro defuncti Benedicti Caetani animæ expiatione res Divina olim agebatur. Id quippe luculentissimis verbis declarat Vaticani Capituli decretum (c) anno MCCCI. die 14. Januarii procusum & a Bonifacio VIII. confirmatum, in quo statuitur, ut Idibus Decembris Anniversarium Benedicti Cajetani SS. Cosmæ, & Damiani Diaconi Card. celebretur. Et huic sanctioni adamussim consonat antiquum Vaticanum Necrologium (d) ubi prædicta die Iduum Decembris ita legimus: *Obiit bo: me: Benedictus Gagetanus Diac. Card. SS. Cosmæ, & Damiani Nepos Sanctissimi patris Nostri Domini Bonifacii Papæ VIII. qui Dominus Papa contulit nobis multa beneficia; & mandavit, quod fieret Anniversarium pro dicto Nepote suo: & quod expendantur in dicto Anniversario inter Canonicos, Beneficiatos, & Clericos Chori VIII. Floreni. Fiat Anniversarium IX. Lectionum cum Laudibus; & dicatur Collecta scilicet, Deus indulgentiarum Domine* &c: *& in Missa etiam*. Ex duobus hisce monumentis maxima fide dignis palam fit emortualem ipsius Caetani diem Idibus Decembris esse alligandum. Quapropter, nisi certiora proferantur documenta, recitatæ Inscriptioni cum in postremo versu enunciat; *Obiit Bened. Card. . . . . Octobr.* 1296., & Ciaconio asserenti, eumdem Benedictum Caetanum 3. Idus Octobris decessisse, neutiquam assentior.



TA-

(a) Crypt. Vatic. pag. 378. (b) Tom. 2. col. 292. (c) Prostat apud Vaticanæ Basilicæ Bullarium tom. 1. pag. 234. (d) Ms. asservatur in Archivio Capitulari.

TABULA LII.

Operis Anaglyphici marmor affabre cælatum, altum palmos Rom. II. longum supra VII. sub præsentis Tabulæ num. 1. exhibetur. In Cryptis Boream versùs nunc visitur; lapis sepulchralis est veneranda præferens nomina IC. XC. nempe *Jesus Christus*, græcis compendiariis notis expressa in circulari ornatu, quem duo Angeli sustinent. Sigla hujusmodi in priscis cum Græcorum, tum Latinorum monumentis occurrunt. Exemplo sint Alexii Comneni, & Emmanuelis Despotis numismata a Cangio (*a*) prolata; oblatæ etiam, sive panes in sacris Mysteriis a Sacerdotibus Græcis immolati, apud Geoarium (*b*), ac veteris Templi Vaticani musiva absis, cujus schema Ciampinus (*c*) affert. In hac quidem circa Salvatoris nostri effigiem notæ ipsæ conspiciuntur; quæ procul dubio IHCOYC XPICTOC *Jesus Christus* explicari debent: ex Græcis enim utriusque nominis literis, prima scilicet ac postrema, constant. Plura si de eisdem siglis scire aveas, consule prælaudatum Cangium, nostrique hujus Operis Tabulam I. & XXX. Quem autem hìc damus, insculptus lapis, sepulchrale monumentum Jacobi Cajetani Protonotarii Apostolici fuisse dicitur. Hujus cælati marmoris neutiquam Turrigius meminit; sed Epitaphium (*d*) refert (licet marmor, ex quo epigramma ipse descripsit, modo non compareat, ideoque aut intercidit, aut latet alicubi) hisce verbis conceptum: *Jacobo Kajetano doctrinæ, & virtutum meritis Apostolico Protonot. (e) qui omnia de eo majora dum sperarentur, mors importuna præmaturum abstulit ætatis suæ annos agens (f)* 50. *mens.* 6. *dies* 15. *Gulielmus concors frater Benemerenti posuit, anno a Nativitate* 1505. *Kal. Octob.* Solæcismum, qui titulum hunc deturpat, non inscriptionis auctori, sed illius potius exscriptori attribuendum crediderim. Si autem epitaphium in designando Jacobi Cajetani anno emortuali mendosum non est, corrigi debet Grimaldus, cum in suo Instrumentorum libro Ms. (*g*) ait, eumdem Jacobum obiisse sub Alexandro VI. hic enim Pontificatu simul, & vita functus est anno Domini MDIII.

Eodem in loco, ubi prædictum marmor, Jesu Christi nomine insignitum extat, lapideum pariter Cardinalis Petri Sabinensis Episcopi sepulchrale monumentum adservatur, quod fideliter hìc sub num. 2. repræsentamus. Altum est palmos VIII., latum fere III. cumque in veteri Templo Vaticano pedibus frequentissime incedentium premeretur, quam præferebat ejusdem Petri Antistitis cælata imago, penitus consumpta est, atque obliterata. Epitaphium quoque ex parte deletum est, quod tamen sic alicubi suppleri potest, ac legi: *Hic jacet bonæ memoriæ Domnus Petrus Sabinensis Episcopus, Avinione mortuus, & ad Basilicam istam delatus, sepultus ad pedes Domni sui in hac Basilica anno Domini M. CCC. XI. XIV. die* . . . . . Quæ autem proxime sequuntur, reliquas literas, discernere neutiquam valui. Hoc quidem epitaphium Turrigius (*h*) atque Ciaconius (*i*) referunt, sed minus accuratè. Quod in eo legitur *Domni sui*, id Summum Pontificem Bonifacium Octavum spectat, qui Petrum Hispanum, teste Bernardo Guidonis (*k*) sacra purpura donavit; quemve ab hostibus, scælestis plane hominibus, Anagniæ captum, Petrus ipse minime deseruit. Ubi namque mox laudatus Bernardus horrendum facinus enarrat (*l*) ita subiicit: *Cardinales verò sibi timentes, relicto eo (Bonifacio VIII.) fugerunt, duobus exceptis, scilicet Domino Petro Hispani Sabinensi, & Domino Nicolao Ostiensi Episcopis*: quorum hic, nempe Nicolaus Bocasinus, mortuo

(*a*) In Constantinopoli Christiaua, & in Dissertatione de inferioris ævi numismatibus num. 28.
(*b*) Not. in Euchology. Græc. pag. 99. edit. Venet. 1730. (*c*) De sac. Ædific. Tabula XIII.
(*d*) Crypt. Vatic. pag. 379. (*e*) Legendum, *quem*. (*f*) Leg. *Agentem*. (*g*) Pag. 92.
(*h*) Crypt. Vatic. pag. 379. (*i*) Vit. Pap. & Cardinal. tom. 2. col. 337. (*k*) Apud Raynald. ad ann. 1298. n. 23. (*l*) Apud eumdem sub ann. 1303. n. 41., & Murator. Rer. Italic. tom. 3. p. 672.

eodem Bonifacio in Divo Petri Cathedram evectus fuit, ac Benedictus XI. nuncupatus. De Petro Hispano, sive Hispani, Matthæus Westmonasteriensis, Sæculi XIV. Scriptor Anglus commemorat (*a*) illum a latere Papæ missum fuisse in Angliam ad conciliandas Nuptias inter Primogenitum Regis Anglorum Eduardum, & Isabellam Francorum Regis filiam. Avenionem reversus, in quam Urbem a Clemente V. Romana Sedes translata jam fuerat, ibidem extremum diem Petrus obiit. Exanime tamen corpus suum Romam deferri mandavit, & in Vaticano templo juxta Bonifacii VIII. cineres tumulari, cui viventi Pontifici, atque ærumnis affecto vivens ipse Petrus adhæsit. Sed & altera hujus deliberationis causa fuisse videtur, scilicet erga Vaticanam Principis Apostolorum Basilicam præcipua ejusdem Cardinalis pietas, quam cujusdam manuscripti verba a Turrigio (*b*) prolata sic testatam faciunt: *Sacellum S. Jacobi Ap. dotatum a Petro Hisp. Ep. Sabin. Card. tempore Bonif. VIII. pro cujus dote donavit Capitulo tria millia floren. auri, ut in Archivo patet*. Fabricæ Novi Templi Vaticani perficiendæ causa, anno Domini MDCVI. die 18. Junii reseratum fuit, Jacobo Grimaldo teste (*c*), ejusdem Petri Cardinalis sepulchrum, repertumque ejus corpus totum fere consumptum, & in cineres redactum præter partem capitis, & quædam ossa, atque indumentorum fragmenta, *quæ ex broccato intexta erant Aquilis, & Leonibus: repertus est annulus argenteus cum duobus lapidibus ceruleis, unionibus quatuor, duobus Saphyris, & uno lapide in medio falsis, quem annulum habuit Sacristia* Vaticanæ Basilicæ; Cadaveris reliquiæ, & exhibitum sepulchrale monumentum in Borealem Sacrarum Cryptarum partem delata fuerunt.

TABULA LIII.

INter sepulchralia Romanorum Pontificum monumenta, quæ in veteri S. Petri Basilica olim existebant, non ultimum sane locum illud sibi vindicat, quod Nicolao V. Summo Ecclesiæ Catholicæ Præsuli, funerum licet, ac sepulchrorum vanitates despicienti (*d*) magnificè erectum fuit, curante ut fertur (*e*) Philippo Cardinali ejusdem Pontificis uterino fratre, Episcopo, Portuensi, & Majori pœnitentiario. Eos, quibus Mausoleum ipsum constabat, insculptos lapides partim exhibuimus, partim inferius daturi sumus: Idemque monumentum Oldoinus (*f*) delineatum quidem exponit, sed ingeniose potiùs, quam vere. Nos in hac tabula, non illud integrum, sed potiorem ejus partem, quæ modo in Cryptis Vaticanis ad aquilonem visitur, tuis Lector oculis fideliter subjicimus. Marmor est longum palm. Rom. VIII. circiter, altum fere V. Jacens Summi Pontificis simulacrum opere anaglyptico affabre elaboratum aspicitur. Caput exornat tiara coronamentis tribus distincta, sub qua pileolus apparet *Camauro* hodie appellatus: Sacræ etiam vestes, de quibus alibi diximus, occurrunt; alba scilicet, & casula, more veteri lata, atque ampla; manipulus, fanon, & pallium, quod spinula ante pectus casulæ nectitur; manicæ, seu chirothecæ, & annuli, ac demum calceamenta, aut sandalia, quibus crucis imago impressa est. Multam sanè hic ritus antiquitatem redolet, ut ex priscis Ecclesiarum Urbis musivis aliquot absidibus ad oculum patet: cujus rei exempla nonnulla indigitare juvat. In Ecclesia Sancti Marci absida a Gregorio IV. extructa cernuntur ipsius Gregorii, & S. Marci Romanorum Pontificum effigies, quæ calceos habent cum cruce; idipsum observare est in Ho-

(*a*) Flores Historiar. ad annum 1307. (*b*) Loc. cit. (*c*) In Lib. Instrument. pag. 92. (*d*) Vegius lib. 4. de reb. antiqu. memor. Basil. S. Petri num. 132. (*e*) Raynald. ann. 1455. num. 16.
(*f*) Addition. ad Ciacon. Vit. Pap. & Card. tom. 2. pag. 967.

Honorii I. imagine musivo depicta in Templo S. Agnetis via Nomentana, & in Sanctæ Mariæ Transtyberim ad Sancti Cornelii effigiem. Vetustam insuper in S. Sabbæ Ecclesia picturam Turrigius (*a*) meminit, qua Divus Gregorius sandaliis crucem præsferentibus calceatus repræsentatur. Pervetus igitur hic mos est: verumtamen haud perinde constans. Nam Hadriani IV. & Bonifacii VIII. sandalia, quæ visa sunt, dum istorum Pontificum cadavera fuerunt recognita, nullam sive intextam, sive assutam crucis imaginem habebant, ut Grimaldus testis ocularis in relatis superius (*b*) Instrumentis fidem facit. Quoad vultus lineamenta, habitumque corporis Nicolai V., hujus effigiem in præsenti marmore exculptam, persimilem illi esse, quam in vetusto Palatii Pontificii Vaticani Sacello ad S. Laurentii Martyris honorem erecto, Fr. Joannes Angelicus Fesulanus Ordinis Prædicatorum (*c*) coloribus expressit, ex Turrigii adnotatione monemur. Sed ex Grimaldi Testimonio (*d*) intelligimus, anno MDCVI. die XI. Septembris, reserata arca marmorea humi posita, & hoc epigrammate inscripta: *Ossa Nicolai Papæ Quinti*: corpus ipsius Pontificis satis consumptum, & in pulverem, atque ossa redactum in lignea capsa jacens parvæ staturæ, & caput parvum, visum fuisse. Georgius quoque (*e*) eumdem Pontificem quoad corporis formam, habitumque attinet ex Manetto in hunc modum describit: Modica, seu pusilla statura erat, colore subcandido, qui tamen in Pontificatu in croceum, & subfuscum conversus est; ore paulo pleniore, voce gravi, ac sonora, nigris, vegetisque oculis, habitu, & forma gravis, prospera valetudine; hanc vero ob nimias Pontificatus curas sensim amisit.

Lapidis pars altera epitaphium exhibet ab Æneo Sylvio versibus concinnatum, in quo extinctum ab Nicolao funestum Christianæ Reipublicæ Schisma indicatur. Amedeus enim dictus in sua Obedientia Felix V. umbratilem Pontificatum, quem novem annos post injustam Eugenii IV. depositionem gesserat, ad pedes ejusdem Nicolai V. anno MCCCCXLIX. abdicavit: cujus cessionis publicas tabulas Raynaldus (*f*) prodit. De restitutis ab ipso Romano Antistite, quod eadem Inscriptio innuit, mœnibus, templis, domibusque; Nicolao V., teste Maffeo Vegio (*g*) illius temporis scriptore clarissimo, summa in ædificando præ omnibus Pontificibus laus fuit, isque novum, & ingens ad caput Vaticanæ Basilicæ ædificium est aggressus, quod tamen morte præventus imperfectum reliquit: ac præter non paucas munitissimas arces in Patrimonio S. Petri opportunis locis erectas, semirutos Leoninæ Civitatis Muros ex parte etiam reparavit (*h*). Epigramma item commemorat, ab ipso Pontifice Bernardinum Senensem Sanctorum fastis adscriptum, & Friderico III., ejusque conjugi Leonoræ Imperii Coronam fuisse impositam: nec reticet fœdus inter Italiæ Principes, nempè inter Venetos, & Franciscum Sfortiam Mediolanensium Ducem, ac Alphonsum Neapolis Regem, & Florentinos, ejusdem Nicolai Quinti opera tandem initum; cujus causa Itali diuturno plane bello afflicti, ac pene depositi respirare cœperunt (*i*). Summus denique hic Antistes, Literarum, ac omnium fere sæculi sui virorum doctrina insignium vere patronus, eo nomine in epitaphio commendatur, quod Urbe Constantinopoli a Turcis capta, cum eorum potentiam domare non valeret, libros tota Græcia perquisitos tum Sanctorum Patrum, tum Philosophorum, Hæreticorum, Oratorum, Teologorum, Mathematicorum, omnium facultatum, omnium artium, ingenti sumptu ad se afferri, & Latinitate donari voluit; itaut, quum Grecorum veterum Scriptorum Opera a Joanne Franc. Poggio, Franc. Philelpho, Georgio Trapezuntio, aliisque pluribus latine reddita fuerint, jure optimo dici possit, Nicolai V. munificentia non periisse in suo excidio do-

(*a*) Crypt. Vatic. pag. 379. seq. (*b*) Tabula XLVIII. & XLIX. (*c*) Hic tum religiosi hominis virtutibus, tum pingendi arte præclarus, a Nicolao V. Romam accitus, eodem Summo Præsule jubente, commemoratum Sacellum nobili pictura decoravit, quæ postea a Gregorio XIII. instaurata fuit. In Urbe e vivis cessit, ac sepultus in S. Mariæ supra Minervam, duplici est Epitaphio ligata oratione laudatus. Ita ex Turrigio in Crypt. Vatic. pag. 380. & seq. ubi utramque Inscriptionem, & prædictæ instaurationis monumentum profert. (*d*) In lib. Instrum. pag. 94. (*e*) In Nicolai V. Vitæ n. 7.
(*f*) Ad annum 1449. (*g*) Initio lib. 4. de Reb. antiq. memorab. Basil. S. Petri. (*h*) Idem Vegius lib. 2. num. 63. (*i*) Platina in Vit. Nicolai V.

ctam Graeciam, sed in Italiam commigrasse. Praeclara haec Nicolai gesta fusius explicata legesis apud Vitae ejus Scriptores, Platinam, Jannotium, Manettum, & Dominicum Georgium; quin, & apud S. Antoninum (a) Æneam Sylvium (b) Franciscum Philelphum (c) & Poggium (d) qui meritis laudibus tantum Pontificem prosequuntur. Eidem quoque praelaudatus Vegius, utpote hero suo optimo omnibus bonis literis ac studiis longe edocto, excelsique ingenii viro, sepulchrale hoc epigramma contexuit (e).

Pontificis Summi Nicolai hic condita Quinti
Ossa cubant, liber spiritus Astra colit.
Æmulus ille Numae; pacem sibi praetulit armis,
Praetulit & diris Cantica sancta tubis.
Miro item studio ritus, cultusque sacrorum
Curavit, mirâ donaque sacra fide.
Alter & Augustus doctos doctissimus ipse
Excoluit, summa semper & auxit ope.
Extulit, atque alta renovavit moenia Romae,
Extulit ingentes, & renovavit opes.
Secula qui magni Jubilaei laeta sacravit
Caesareum rutilo cinxit & orbe caput.
Qui scissum Ecclesiae pastor compegit ovile
Ad suaque errantes Claustra reduxit oves.

Haec tamen Inscriptio minime insculpta fuit Nicolai V. sepulchro, quod paucis nunc illustravimus; quodve in Sancti Petri Basilica veteri ad meridiem penes Eugenii Quarti monumentum (f) ex adverso latere, ut a Vegio (g) traditur, olim extabat: tum ea templi parte a Julio II. solo aequata, in aliam, quae tunc remansit translatum (h) ac denique, novam Basilicae fabricam Paulo Quinto perficiente, in Cryptis, ubi hodiedum jacet, collocatum est.

Signa gentilitia, claves nimirum Beati Petri decussatae, quae in hac tabula incidi curavimus, sepulchralis monumenti lateribus affixa conspiciuntur. Haec scilicet, ut nemo non videt, eadem sunt, quibus Sancta Romana Ecclesia ab remotiori aevo semper usa est; nec aliis in Pontificatu uti voluit Nicolaus V. doctrina, & virtutibus Summo Praesule dignis valde commendatus.



TA-

(a) Chronic. part. 3. tit.22. cap.12. (b) Cosmograph. de Statu Europae. (c) In Epist. ad Callixtum III. (d) In Orat. Panegyr. (e) Lib. 4. cit. num. 135. (f) Alpharan. Tab. Ichnograph. num. 59. (g) Loc. cit. num. 132. (h) Alpharan. ibi num. 104.

TABULA LIV.

Petrus Barbus Cardinalis Sancti Marci primum, & Vaticanæ Basilicæ Archipresbyter, ac deinde Summus Catholicæ Ecclesiæ Præsul sub Pauli II. nomine renunciatus, altare in S. Marci honorem non mediocri sumptu erexit in ipsa Divi Petri Basilica veteri; ubi post quam e vivis decessit anno MCCCCLXXI. tumulatus est juxta avunculi sui Eugenii IV. sepulchrum ad Australem ejusdem templi regionem (a). Elegantissimum Pontifici consanguineo suo, ac de se optimè merito Marcus Barbus Cardinalis S. Marci, & Patriarcha Aquilejensis, marmoreum sepulchrale monumentum, Mini opera celeberrimi illo ævo Sculptoris, ponendum euravit: quod tamen haud multo post cum Julius II. novi Templi Vaticani ædificandi causa alteram veteris Basilieæ partem solo æquasset, disjectum est, atque in partem alteram, quæ tum intacta, & integra perstitit, translatum (b) sed hac etiam a Paulo V. tandem eversa, sub novi pavimenti fornice collocatum fuit. Hujus Mausolei schema apud Ciaconium (c) exhibetur; ejusdemque partes aliquot sub memorato fornice, nimirum in Vaticanis Cryptis adhuc supersunt: quarum alias, ut in hoc opere delineatas alibi (d) proferimus, sic in præsenti tabula jacentem ejusdem Pauli Secundi effigiem anaglypticè insculptam, unacum epitaphio repræsentamus. Marmor palmos Rom. IV. circiter in altum, in longum vero palm. IX. protenditur, & in saeris Cryptis ad aquilonare latus modo extat. Pontificium simulacrum sacris indutum vestibus, sandaliis cruce insignitis calceatum, plures annulos gestans, ac tiara tribus distincta coronamentis ornatum apparet. Hæc longe splendidior, nobiliorque aliis est, quas in simulacris Prædecessorum Pauli Secundi exculptas intuemur. Peritus cælator in illa quidem effigianda studium ab oculos habuit, quo idem Romanus Antistes Pontificalem tiaram mirifice decorari voluit. Michaelem Canensium testem ocularem audire præstat, de Paulo II. in ejus vita (e) hæc differentem: Mitram „ sive ut appellant, Regnum, qua publice, ut mos est, coronari debebat, tanto auri, gemmarumque sumptu, ac decore confecit, ut omnium antecessorum Pontificum industriam, & impensam evicerit. Dein primis Pontificatus annis decursis aliam tiaram triplici aureo torque circumdatam, magnificentiori opere, majorique pecuniarum summa perfecit, demandata opera Paulo Jordano Romano aurifici præclaro; in qua quidem tantam gemmarum, & unionum, diversorumque lapidum insignium adjecit congeriem, ut centum, & octoginta millia aureorum pretium exsuperaverit. Inter eos enim lapides, plerique fuere, qui viginti duobus millibus aureorum, aut paulo minus empti sunt. Aliam insuper mitram, quam quotidianis actionibus deferri consueverat, magnificeè paravit, ejus quippe ornatus quinquaginta millia aureorum pretium excessit.

Gravi autem, & obesa facie in hoc simulacro Paulus effingitur. Ejus sane vultus lineamenta valde conveniunt cum ipsius Pontificis imagine, scite admodum expressa in singulari numismate (ut alia ommittam a Bonanno, & Venuti edita) quod Benedictus XIV. Pontifex Optimus Maximus Cardinali Angelo Quirino benignissime est elargitus, & parva tabula incisum spectare licet ad calcem Epistolæ ejusdem Cardinalis ad Alexium Symmacum Mazzochium datæ. Ea item Paulo II. fuit corporis forma, quæ majestatem præseferret ac venustatem, & adeo proceram staturam, ut illius caput in sacris Processionibns supra cæteros sibi astantes conspicuum esset; quod in ejus vita testatur Platina: ac Franciscus Philelphus (f) ita Pontificem ipsum alloquitur: *Et es tu statura*

(a) Alphar. Tab. Ichnograph. num. 59. Mich. Canensis Vit. Pauli II. sub finem. (b) Alpharan. ibi num. 106. (c) Tom. 2. Vit. Pap. & Card. pag. 1093. (d) Tabula LXXIII. LXXVI. &c,

(e) Hanc primum socii Palatini Mediolanenses imperfectam; & mancam ediderunt part. 2. tom. 3. Scriptor. Rerum Italicar. postmodum verò integram evulgavit doctissimus Cardinal. Quirinus, pag. 44.

(f) Epistolar Lib. 23.

tura quadam heroica cum ea corporis pulchritudine, in qua mirabilis quaedam singulorum membrorum compactio, atque convenientia, cum decora suavitate coloris, & oculorum gratia supra hominem appareat. Rem vero accuratissime tetigit Canensius (*a*) Paulum describens statura ingenti, ac palmis fere duobus supra communem eminentiori, forma præstantissima, ac per omnis ætatis gradum ita decora, & venusta, ut assidenti, vel stanti quædam auctoritas ac majestas inesse videretur; vultu quoque sereno atque gratissimo, colore candido, fronte lata, superciliis arcuatis, nec medio conjunctis, oculis flavis ac pertumentibus, auribus mediocribus, naso insuper oris decentiæ correspondente, ad imum tamen eductiori, cervice obesa, capillo raro, ac nigro, corpore subpingui, ac procero, brachiis conformibus corporeæ proceritati, manu distenta, & digitis longis.

Quod simulacro subjacet, & lapidi inscriptum est epitaphium, virtutes Pauli II., resque præcipuas ab eo præclare gestas complectitur. Justissimam quippe, & bono publico perquam utilem indicat sanctionem, qua Summus hic Pontifex vetuit ne Gubernatores, ac Præsides Civitatum, & aliorum locorum Ecclesiasticæ Ditionis, Episcopali etiam dignitate insignes, munera præterquam esculenta, & poculenta, quæ biduo consumuntur, accipiant; excommunicationis pœna adversus contumaces indicta: quæ Constitutio anno Domini MCCCCLXVI. 15. Kal. Aprilis edita est, atque in Bullarium Romanum (*b*) relata. Quos item represos hæreticos Inscriptio meminit, ii profectò, ac præcipuè sunt Hussitæ, ad quorum hæresim exterminandam, per Bohemiæ Regnum late diffusam, curas suas Paulus intendit: Georgium enim Pogebrachium Bohemiæ Regem Hussitis summopere addictum, & Catholicorum persecutorem, sententia in Consistorio lata hæreseos damnavit, anathemate perculit, regnoque expoliavit. Quod autem ipsa epigraphes enunciat de asservato per eumdem Pontificem, auctoque Divi Petri Patrimonio, id sane ad ea referri debet, quæ prælaudatus Canensius (*c*) & Platina literis consignarunt. Paulus namque, ut biographi isti enarrant, Franciscum, & Deiphebum, Eversi Anguillariæ Comitis filios, summi Pontificis mandatis obsistentes, armis cohibuit: acceptoque in deditionem Francisco, & Deiphebo effugato, eorum quidem filios cum universo Matronarum, & inermis familiæ grege liberos omnes dimisit, dote, ac jocalibus sponsalitiis integre redditis uxori Francisci Eversi; hunc in arce Romana detineri fecit multo decentius, quam cæterorum conditio captivorum exposcat; amborum tamen contumacium fratrum oppida non pauca, ampla, atque opulenta, partim in Provincia Patrimonii, partim in agro Romano sita, præter diversas arces ditioni Apostolicæ addidit. Arignanum quoque magnum oppidum supereminenti arce præmunitum, uti etiam Gallesium, & Corchianum; Alvianum item cum duobus locis confinibus, arces Saraceni, & Torani a Civitate Tibure sex millia passuum distitas, Cæsenam, & Bertonorium urbes cum plerisque non mediocribus oppidis; quin alia in hanc rem a Canensio recensita proferam; Romanæ Ecclesiæ vindicavit, & adjecit. Reddo nunc ipsum epitaphium in eum plane modum, quo Romanis characteribus marmori incisum est:

Pavlvs II. Venetvs Pont. Max. e vetvsta Barborum familia praeclaris natvra dotib. avvnculo Evgenio IIII. non inferior. justitiae pietatis. divinar. qve caeremoniar. cvltor religiosis. ecclesiasticae libertatis, majestatisqve defensor constantis. praecipvo pacis servandae stvdio, & singvlaris omnis generis mvnervm abstinentia formidanda etiam lege magistratib. indicta clariss. in Principes mvnificentia in pavperes misericordia insignis patrio amore annonae copiam Urbi dedit, patrimonivm beati Petri erratis popvlor. indvlgentiss. parentis affectv emendatis, & conservavit & avxit fvrentes armis haereticos repressit, & quod per difficilem rer. tempor. ve conditionem effici cum dignitate non poterat, matvra cunctatione salvberrime disposuit v *a.* LIII. *m.* v. *d.* III. *S. a.* VI. *m.* X. *d.* XXVI.

Hæc

(*a*) Sub finem Vitæ cit. (*b*) Tom.3. part.3. p.118. seq. nov. edit. (*c*) Loc. cit. p.63. & seq.

Hæc Inscriptio prout a Ciaconio (*a*) & post eum a prælaudato Angelo Quirino (*b*) S. R. E. Card. recitatur, in postremo versu habet: *Vixit annos* LIII. *menses* x. *dies* xxvi. Ac insuper: *Marcus Barbus Card. S. Marci Patriarcha Aquilejensis consanguineo suo B. M. P.* Hoc quidem additamentum in lapide sepulchrali neutiquam legitur; inscribi tamen potuit, ac reapse insculptum fuerit in alia Mausolei parte. Ad postremum quod attinet versum, hunc sane Ciaconius & Quirinius mendose referunt, ut facile evincit mox datum epigramma, quod ex ipso marmore descripsimus, ubi Paulus II. vixisse notatur annos LIII. menses v. dies III. ac sedisse annos VI. menses x. dies xxvi. Itaque epigraphes quemadmodum apud prædictos Scriptores legitur, duplici vitio laborat: reticet nimirum, quoto tempore Paulus II. Catholicæ Ecclesiæ præfuit: & menses x. diesque xxvi. qui supra annos VI. durationi Pontificatus rectè conveniunt; ætatis anno quinquagesimo tertio perperam superaddit. Eamdem Inscriptionem Turrigius (*c*) semel & iterum, mendosam primo, dein castigatam profert. Geminum insigne gentilitium in hac tabula cælatum, inclitæ est Barborum Familiæ, & in ejusdem Pontificis Mausoleo quondam extabat.

TABULA LV.

Julii III. Summi Pontificis, qui post gubernatam Christianam Rempublicam annos V., mensem I., dies sexdecim, obiit x. Kal. Aprilis anno Domini MDLV. lateritium sepulchrum, longit. palm. IX. semis in hujus Tab. num. 1. aspiciendum proponitur: de quo utpote ornamentis prorsus carente, nihil mihi notandum succurrit, nisi id unum, quod Panvinius (*d*) refert, nempe Julij III. cadaver ex Pontificiis ædibus in proximum Divi Petri Templum Vaticanum a Canonicis delatum, ac triduo ibi pro more populo expositum, tandem prope S. Andreæ Sacellum, videlicet in ejusdem veteris Basilicæ Vaticanæ posteriori navi minori ad Meridiem in lateritio monumento fuisse tumulatum. Alpharanus in Tabula Ichnographica mox designatum istius monumenti veterem situm indicans (*e*) ait: *Olim sepulchrum Hadriani VI.* (cujus ossa ad Ecclesiam S. Mariæ *de Anima* nuncupatam translata fuerunt) *nunc Julij Tertij*. Ipsum hodie sub boreali Cryptarum fornice existit (*f*): Et Grimaldus in Ms. Instrumentorum libro (*g*) hæc literis mandavit; *Eodem die* 13. *Novembris MDCVIII. fuit exhumatum corpus fel. me. Julij III. Pont. Max. sepultum lateritio tumulo juxta Pium II. in quadam capsa lignea, sacris infulis ornatum, sed corruptum, & traditum sepulturæ sub dicto fornice* (scilicet in Cryptis) *juxta Urbanum VII.*

In commemorata Cryptarum parte marmoreus quidem, sed impolitus extat Nicolai III. Romani Pontificis sarcophagus, palmos IX. semis longitudine protensus, quem sub hujus Tab. num. 2. delineatum proponimus. Postquam summus hic Antistes anno Domini MCCLXXX die 22. Augusti in Castro Suriano, exactis in Pontificatu annis duo-

(*a*) Loc. cit. col. 1077. & seq. (*b*) In Pauli II. Vindiciis cap. 6. pag. LXXX. (*c*) Crypt. Vatic. pag. 29. & seq. & 385. seq. (*d*) In Vit. Julii III. (*e*) Num. 83. (*f*) Turrigius in Crypt. Vatic. pag. 387. & seq. ubi de Julii III. sepulchro mentionem facit, Pontificem hunc quasi Tullium alterum commendat explurima eloquentiæ vi, cujus specimina indigitat, geminam ab eo, cum erat in minoribus recitatam Orationem, alteram scilicet die Parasceve incipientem: *Quis dabit capiti meo*; alteram *de Pace* his verbis inchoatam: *Scio ego Christiani Principes* &c. Tradit insuper, eumdem supremum Antistitem ad tuendam valetudinem archiatro usum fuisse Joanne Baptista Canano, & ad arcana consilia Julio Canano Ferrariensi, qui Concilio Tridentino interfuit, & a Gregorio XIII. sacra purpura fuit decoratus. Laudes demum exequitur Card. Roberti de Nobilibus, qui fuit Julii III. Pronepos, & cujus vitam typis editam habemus. (*g*) Pag. 185. terg.

duobus, mensibus 8. ac diebus 29. apoplexia ictus occubuit, ejus corpus ad Urbem translatum, in S. Nicolai sepultum est Sacello, quod in posteriori boreali navi Basilicæ veteris Vaticanæ ipse Pontifex ingenti sumptu extruendum curaverat (*a*). Ferè post quinquennium novo in sepulchro reconditum fuit, ut docemur ex libro pergameno Ms cujus verba a Turrigio (*b*) relata sic habent: *Septimo decimo Kal. Junij facta fuit translatio sanctæ memoriæ Nicolai Papæ III. in novo monumento, anno MCCLXXXV.* Quæ sane verba etiam Grimaldus suo de Vaticanæ Basilicæ Archipresbyteris volumini, ubi agit de ipso Nicolao III. inseruit, excerpta ex codice, ut inquit, Benefactorum ipsius Basilicæ. Nescio plane, an occasione ista contigerit id, quod laudatus Turrigius (*c*) enarrat, scilicet ejusdem Pontificis reserato tumulo, & recognito corpore, ejus cor panno cinerei coloris involutum, fuisse repertum: quod singulari pietati, qua Nicolaus III. Sanctum Franciscum prosecutus est, ipse Turrigius tribuit. Summi hujusce Præsulis, qui in S. Petri Basilica Canonicorum numerum auxit, Cætumque Beneficiatorum instituit, maxima pecuniarum, ærisque proprii summa in eam rem erogata, in ipsa Ecclesia hodiedum viget memoria, cum duplex pro illius anima anniversarium quotannis celebretur; tametsi ejusdem sepulchrum nullo splendeat ornatu, nullamque præferat inscriptionem, qua paucis tanti Pontificis laudes enuncientur. Siquidem hæc tantum prædicto marmoreo Sarcophago epigraphes incisa legitur:

Nicolaus Papa Tertius Ursinus

Rainaldus. Card. Ursinus. Rainaldus. Ursinus Sancti Adriani. Diac. Card. hujus Basil. Vatic. Archipresb. Quandoquidem Raynaldus Card. Ursinus in hoc epigrammate bis commemoratur, hinc crediderim, Turrigium (*d*) atque Epiphanium Gizzi (*e*) existimasse, in eodem monumento, præter Nicolai Tertii cineres, duorum quoque ex Ursina gente Cardinalium, quibus nomen Raynaldus fuerit, corpora jacere. At evolventi mihi Ciaconii opus de S. R. E. Cardinalibus, & Francisci Sansovini libros Italice concinnatos tùm de inclitæ Ursinorum Familiæ historia, tum de illustribus gentis hujusce viris, inter multos ex eadem familia purpuratos patres nonnisi unus occurrit Raynaldus nomine. Ac licet Sansovinus (*f*) tres recenseat Raynaldos Ursinos, alterum scilicet Vicovari Dominum, Comitemque Taliacotii, alterum Plombini Principem, tertium verò Florentiæ Archiepiscopum Alexandri VI. Pontificis jussu necatum; hic tamen sacram purpuram nunquam induit, ac duo priores seculari tantum dignitate claruerunt. Utut sit, in fastis Vaticanæ Basilicæ, & in Historiæ Ecclesiasticæ annalibus illius dumtaxat Raynaldi Cardinalis Ursini memoria suppetit, qui ex Protonotario Apostolico a Clemente Sexto (*g*) in sacrum Cardinalium Collegium cooptatus, & Sancti Adriani Diaconia est insignitus. Postmodum vero prædictæ Vaticanæ Basilicæ Archipresbyteratu ab Urbano V. decoratus, hujus Pontificis Legatus una cum Guillelmo Episcopo Ostiensi, Bernardo Basilicæ Duodecim Apostolorum, & Francisco Sanctæ Sabinæ Presbyteris Cardinalibus, Joannis Palæologi Imperatoris Romanæ Fidei Catholicæ professionem excepit anno MCCCLXIX., ut constat ex authentico rei gestæ monumento, quod Odericus Raynaldus ad hunc annum profert. Octavo Idus Junii MCCCLXXIV. obiit Avenione, unde ejus corpus Romam delatum in Sacra Divi Petri Vaticana æde ad Occidentem prope arcam SS. Leonum Pontificum tumulatum fuit sub tabula marmorea, imaginem ejus Diaconali habitu indutam, gentilitium insuper Stemma, & Inscriptionem hanc præferente: *Hic jacet Reverendissimus Pater Dominus de Ursinis Sancti Hadriani Diaconus Cardinalis Archipresbyter hujus Basilicæ, qui obiit anno Domini MCCCLXXIV. die* VI. *Junii, cujus Anima requiescat in pace Amen.* Epiaphium hoc Grimaldus (*h*) recitat; ac Turrigius scribit (*i*) se in priori parte operis de Vaticanis Cryptis illud retulisse, ubi tamen minime reperitur. In Sacello Sanctæ Mariæ *Pragnan-*

(*a*) Videsis Nicolai III. diploma tom. 1. Bull. Vat. Basil. pag. 202. seq. (*b*) Cr. Vat. pag. 391.
(*c*) Ibi pag. 409. (*d*) Ibid. pag. 390. (*e*) Breve Descriz. della Basilica Vaticana pag. 85.
(*f*) Uomini illustri della Casa Orsini pag. 25. (*g*) Ciacon. Vit. Pap. & Card. to. 2. col. 517.
(*h*) In Ms. lib. de Archipresb. Vatic. Basil. pag. 87. (*i*) Pag. 390.

Pregnantium nuncupato prædicta marmorea tabula hodieque extat, prorsus tamen consumpta, & ex Epitaphio nil aliud apparet, quam hæc verba: *Hic jacet Reve*: ut supra ad Tabulam XX. vidimus. Aliam quoque epigraphem marmori incisam ipsi Raynaldo Cardinali positam, & in eisdem Cryptis asservatam Grimaldus (*a*) exhibet, quam quum Ciaconius (*b*), & Turrigius (*c*) mendis vitiatam ediderint, idcirco opere pretium duximus hic emendatam reddere;

Mitis, & affatu dulcis, censuraque morum,
Iratus vitiis, placidus virtutibus, aequus
Omnibus, Ecclesiæ speculum, lux unica Romæ,
Unica lux Latii, Sidus, radiusque Senatus
Cardinei, dedit huic titulos Hadrianus honoris,
Una inopum spes, & Ursinæ gloria gentis
Egregiæ, Raynaldus humo requiescit in ista
Corpore, sed cœlo meliore parte sereno.

Cæterum de recognito ejusdem Raynaldi corpore, & cum Nicolai III. Pontificis cineribus, distinctis tamen loculis reposito, prælaudatus Grimaldus, sic testatur (*d*) *Sub Paulo V. ossa ejus* (Cardin. Raynaldi Ursini) *aperto tumulo eruta visa sunt; caput magnum, crura etiam longa, signum altæ staturæ: inde reposita fuere capsa lignea, plumbea desuper memoria in lamina sculpta, cum ossibus S. M. Nicolai III. separatis loculis in arca marmorea* (ipsa scilicet, quam hìc delineandam curavimus) *clausa, & fibulis ferreis constricta cum nomine ipsius Raynaldi in fronte arcæ inciso, videlicet RAYNALDUS &c. incluso etiam dicto epitaphio versibus exarato, ut hodie videre est sub fornice novi pavimenti Vaticani Templi, cura & studio generosi Principis Alexandri Ursini Diac. Card. S. Mariæ in Cosmedin.*

TABULA LVI.

IN veteris Vaticanæ Basilicæ posteriori minori navi ad meridiem, ut apud Alpharanum (*e*) videre est, olim extabat sepulchrum Urbani VI. qui annos XI. mensses 6. dies 7. Romanæ Ecclesiæ præfuit, ac die 15. Octobris anni MCCCLXXXIX. e vivis decessit. Corpus ejus in arca marmorea accuratè hìc delineata secus ac apud Ciaconium male expressa cernitur, tumulatum fuit; quæ anno MDCVI. die 12. Septembris, teste Grimaldo (*f*) reserata, sub boreali Cryptarum fornice, ubi hodiedum visitur, collocata est una cum prædicti Pontificis cineribus. In altum palm. Rom. III. in longum palmos VIII. protenditur. Pars Sarcophagi antiquo opere anaglyphico cælata est, in cujus medio, veluti in ædicula Urbanum ipsum Pontificalibus indutum vestibus, genibus flexis duas claves a Divo Petro accipientem sculptor effinxit. Imago tradentis duplicem clavem, si Turrigio (*g*) audias, Jesum Christum refert: at nullus dubito, quin Sanctum Petrum Apostolorum Principem repræsentet. In ea quippe (ut nihil dicamus de capillorum circulo in capite ad instar Monasticæ coronæ) senis formam aspicimus, barbam brevem, crispam, & densam, eumque corporis habitum, quo non quidem Christus Dominus, sed Sanctus Petrus in veteribus plerisque monumentis effigiatus occurrit. Quod si Apostolorum coryphæus Urbano VI. claves, summæ nimirum pontificiæ auctoritatis symbolum tribuens

T

(*a*) Loc. mox cit. (*b*) Loc. cit. (*c*) Pag. 89. (*d*) Ubi supra. (*e*) Tab. Ichnograph. num. 63.
(*f*) In lib. Instrument. pag. 94. (*g*) Crypt. Vatic. pag. 416.

buens in hoc marmore exprimitur, ut equidem judico; crediderim quoque, hujusmodi schemate delineatorem eo intendisse, ut eumdem Urbanum, sub quo teterrimum, ac diuturnum Ecclesiæ Schisma conflatum est, legitimum fuisse Romanum Pontificem, Petrique Successorem demonstraret. Par fere icon in Leoniani triclinii Lateranensis musivo obvia est, in quo ipsum Divum Petrum Leoni III. Summo Antistiti Pontificale pallium porrigentem cernimus. Consonat acclamatio, qua Pontifici Maximo nuper consecrato olim plaudi solebat in hunc modum: *Domnus Leo* (aut aliud nomen consecrati proprium) *Papa, quem S. Petrus elegit, in sua sede multis annis sedere*: Quæ formula reperitur num. 6. Ordinis Romani IX. Mabilloniani sub S. Leone III. Pontifice forsitan compositi. Perinde est illud in actis Electionis S. Gregorii VII. apud Baronium (*a*) *Gregorium Papam S. Petrus elegit*. Ad hæc, in Vaticanæ Basilicæ valvis æneis Eugenium IV. expressum videmus a S. Petro claves accipientem. Sed & veteres Romani Pontifices frequenter sese *Petri Vicarios* appellarunt (*b*); quem sane titulum, ut alia prætercam exempla quamplurima, Innocentius II. Hadrianus IV. & Urbanus Tertius sibi adsciverunt. Quamvis enim probe nossent, se revera illius Successores, & Jesu Christi Vicarios esse; Petrum tamen, cui in cælis regnanti maxima est de Romanæ Ecclesiæ rebus cura, in ipsa Ecclesia perpetuo vivere; eadem in Cathedra sedere, & Reipublicæ Christianæ gubernacula nunquam reliquisse arbitrabantur (*c*). Hæc ad illustrandam Urbani VI. effigiem claves a Divo Petro excipientis. In eadem Sarcophagi anteriori parte gentilitium Familiæ Prignianæ Neapolitanæ, ex qua ipse Urbanus Pontifex ortum duxit, stemma hinc inde sculptum conspicitur, aquilæ nimirum effigies, ut etiam in plumbis ejusdem Pontificis a Muratorio (*d*) prolatis apparet. In dextro autem sinistroque ejusdem marmoris latere cælatus est Angelus, sive Genius candelabrum cum cereo accenso præferens, quemadmodum superior æneæ hujus tabulæ pars demonstrat. Vetus sepulchrum, quod anno MDCCXXIX. in Cryptæ Ferratæ Cœnobio repertum fuit, & Benedicti IX. Pontificis loculum esse, Jacobus Sciommarus, atque Gregorius Placentinus censuerunt; duos Angelos cum facibus, depictos repræsentat; ad designandum scilicet, ut ipse Placentinus (*e*) existimat, ab illis eumdem Pontificem post expiatas sincera pœnitentia fœdissimas ejus culpas evectum in cœlos fuisse. Supersunt hodie inferioris ævi sepulchralia nonnulla monumenta, in quibus candelabrum insculptum videre est, ut patet adeuntibus templum Sanctæ Catherinæ *de Rota* nuncupatum in Regione arenulæ, ac similem alium lapidem exhibet Donius in antiquit. Inscriptionibus class. 20. num. 21. Profecto cereorum usus in Christianorum funeribus vetustissimus. Hunc diserte meminerunt acta S. Cypriani Martyr & Episcopi Cartaginensis, Divus Hieronymus de S. Paulæ exequiis verba faciens (*f*), ac Sanctus Gregorius Nyssenus in Oratione in funere Pulcheriæ Magni Theodosii filiæ. Præterea circa tumulum Sancti Stremonii primi Episcopi Claromontani multitudo albatorum cereos tenentium visa est, ut scribit Gregorius Turonensis (*g*): In Decreto de Canonicis Leodiensis Ecclesiæ S. Martini anno MCVIII. statuitur (*h*), ut *Fratres*, idest Canonici exequias collegæ defuncti prosequantur; & septimum diem, ac tricesimum, & anniversarium *disponant cum Missa, & candela*: Atque in Sigloardi Remensis Canonici Rythmo in morte Fulconis Episcopi, ubi narrantur quæ huic Præsuli justa persoluta fuerint, sic legimus:

Tunc omnes Deo supplicant
Cum lacrymis, & rogitant;
Tenent candelam singuli
Pontifices, & Presbyteri &c. (*i*).

Ad hæc, Innocentii VIII. literæ (*k*) sacerdotium commemorant, *Cappellania ad altare S. Nicolai in Vaticana Basilica* nuncupatum,

(*a*) Ad ann. 1073. (*b*) Apud Bullar. Basil. Vatic. tom. 1. pag. 46. 57. 69. (*c*) Consule Petrum Constant. Præfation. in Epist. Rom. Pontif. num. 12. & seqq. (*d*) Antiquit. Ital. tom. 3. pag. 134.
(*e*) In Diatriba de sepulchro Benedicti IX. Tabula I. pag. 34. & 35. (*f*) In Epist. ad Eustochium.
(*g*) De Glor. Confessor. cap. 30. (*h*) Apud Martene tom. 1. veter. scriptor. & Monum. col. 623.
(*i*) Apud Labb. nov. Biblioth. tom. 1. pag. 363. (*k*) Bullar. Vatic. Basil. tom. 2. pag. 248. & 249.

tum, cujus possessori injungitur; ut in die commemorationis omnium Defunctorum sepulchrum Nicolai V. Romani Pontificis secundum morem dictæ Basilicæ *cum octo torciis, sive cereis præparare debeat*.

Eamdem arcam superne claudit marmor jacentem Urbani VI. effigiem opere item anaglyphico elaboratam, & pontificalibus indumentis decoram exhibens. Vir in sacris antiquitatibus sane peritissimus marmoream hanc tabulam sedulo contemplatus, mihi significavit, se admodum suspicari, eam esse alius pontificis monumentum, ac tegendo postea Urbani VI. Sarcophago fuisse accommodatam. Idque sibi verosimillimum videri, tum quia hæc amplitudine arcam mox a nobis descriptam superat, tum quia ejusdem Urbani facies, quam arca præfert, diversa plane est a Pontificis vultu, quem in tabula sculptor expressit; ac præterea, quia pontificale Regnum in arca coronamentis tribus, unico autem in tabula circumdatum aspicitur. Verumtamen Jacobus Grimaldus, qui utpote Vaticanæ Basilicæ Clericus Beneficiatus Urbani VI. sepulchrale monumentum frequentissime ob oculos habuit, quique interfuit, dum illud deiiceretur fabricæ novi Templi Vaticani perficiendæ causa, ac de reserata arca, & de inspecto Urbani cadavere, ejusdemque ossibus, unacum prædicto monumento in sacras Cryptas delatis, ac sub novi pavimenti fornice positis authenticum concinnavit documentum; Grimaldus, inquam, loco supra laudato, minime dubitavit, quin marmorea illa tabula ad ipsius Urbani sepulchrum spectaret. Scribit enim: *Arca... tegitur imagine ejus sepulchrali*: idest memorata Urbani VI. arca tegitur sepulchrali marmore imaginem ejusdem Pontificis exhibente. Jam vero in hac tabula, quæ post Grimaldi ætatem a prædicto sarcophago amota nunquam est, casula, & dalmatica eum repræsentant ornatum, phrygionis opera intextum, quem non immerito clavum aut chrysoclavum appellaveris, ut alibi adnotavimus. Illud observatione dignum videtur, pontificalem tiaram uno tantum coronamento esse distinctam, eo nimirum ævo, quo sane jam triplici coronа insignitam fuisse constat; quemadmodum prodit descripta ipsiusmet sarcophagi pars antica, ubi pontificalis infula, tum quæ prædicti Urbani VI. gentilitio stemmati superposita est, tum quæ ejusdem Summi Præsulis coram Divo Petro in genua procumbentis caput exornat, tres omnino coronas habet. Secundum coronamentum a Bonifacio VIII. ac tertium ab Urbano V. pontificiæ tiaræ additum, scribit (a) Alemannus. Certe, quod in Lateranensi Basilica visitur B. Petri Simulacrum, eodem Urbano V. curante ex argento conflatum ad asservandum ipsius Apostolorum Principis venerandum caput, Regno tribus coronis distincto perornatur. Tribus itidem coronis conspicua est Sixti IV. tiara, quam gestat ænea ejus effigies sepulchralis intra Sacellum Sanctissimi Sacramenti ad Vaticanam Basilicam: In cujus etiam templi sacris Cryptis, ut occurrunt Alexandri VI., Pauli II. & Nicolai V. insculptæ icones caput contectæ infulis triplici corona circumdatis; ita geminum extat Bonifacii VIII. marmoreum simulacrum, alibi (b) in hoc opere delineatum, quod tiara duplicem circulum, seu coronam præferens cohonestat. Et quamvis Jottus in Ecclesia Lateranensi ipsius Bonifacii imaginem pontificali unius tantum coronamenti pileo redimitam expresserit, duo tamen mox indicata simulacra nos dubitare non sinunt, quin duplici illa corona Summus hic Præsul usus fuerit. Duobus perinde coronamentis Regnum circumdatur in ea, quam supra delineavimus (c) statua Benedicti XII. anno Domini MCCCXXXIV. ad universæ Christianæ Reipublicæ gubernium electi. His quidem argumentis comprobari posse videtur Alemanni, aliorumque sententia, qui coronæ duplicis a Bonifacio VIII., triplicis autem ab Urbano V. originem repetunt. Nec quispiam obstrudat Joannis XXI. Papæ, qui obiit anno MCCLXXVII. Simulacrum in Cathedrali Viterbiensi Ecclesia, Regno triplicis coronamenti exornatum: Hoc enim sepulchrale monumentum longe post Joannis XXI. obitum, ut scite animadvertit Felicianus Bussius (d) fuit innovatum: idque deducit tum ex Epitaphio genui-

T 2 nam

(a) De Parietin. Later. cap. 13. pag. 129. (b) Tabula XV. & XLIX. (c) Tabula VII.
(d) Storia di Viterbo pag. 168.

nam literarum Romanarum formam exhibente, tum ex tribus illis coronis hujus Pontificis ætate nondum usu receptis.

Verumtamen, ut certo exploratum, compertumque mihi non est, duplicis coronamenti auctorem fuisse Bonifacium VIII., triplicis verò Urbanum V.; sic etiam haud satis liquet, quisnam Romanorum Antistitum primus Regnum, seu pontificiam tiaram uno coronamento splendidam, gestaverit; Vel a prioribus quidem Religionis Christianæ sæculis Ecclesiarum saltem præcipuarum hierarchas Divina officia peragentes pretioso quondam ornatu texisse caput, ut alias (a) innui cum Venerab. Card. Baronio (b), ita in præsentiarum ultro fateor, ac libens concedo. At ornamentum illud eum Regno, de quo agimus, neutiquam confundi debet, & alterum ab altero est secernendum. De hoc itaque Regno, quod etiam *papalem mitram*, & *phrigium* veteres appellarunt, Franciscus Junius, sic habet (c): *Illa ipsa corona, illud regnum, quod hodie imponitur capiti Pontificis, eadem est, quam Anastasius Imperator Clodoveo dedit, & Clodoveus Pontifici*: Et Cointius (d) de præclaro hoc munere verba faciens inquit, insigne pietatis fuisse in Clodoveo, cum quod unicum totius Ecclesiæ visibile caput esse sciret, regia corona redimire voluit; sed uterque scriptor lapsus est. Nam, ut Hincmarus memoriæ prodidit, Clodoveus I. Francorum Rex *coronam auream cum gemmis quæ Regnum appellari solet, Beato Petro, Sancto Remigio suggerente, direxit*. Clodoveus ergo Regnum misit *Beato Petro*, non Hormisdæ Pontifici, quod scilicet ad aram Vaticanam, pro ut vetus Fidelium consuetudo ferebat (e), Religionis causa suspenderetur: ac proinde Regni Pontificii origo ex eo Clodovei dono incpte arcessitur. Nihilominus ejusmodi tiaræ usus valde antiquus ex aliis monumentis facile demoustrari potest. In veteris Basilicæ Vaticanæ absida ad Innocentio III. instaurata (f) hujus Pontificis imago tiaram supernè clausam capite gerebat, ac uno tantum coronamento nitentem.

Quod ad Ecclesiam Lateranensem extabat pervetus S. Nicolai Oratorium, depictos nonnullos Romanos Pontifices, casula, & pallio indutos *cum orbiculari diademate & tiara unius coronæ*, teste Jacobo Grimaldo (g) referebat, ut etiam videre est in ejusdem Oratorii schemate, edito apud Rasponum in opere de Lateranensi Basilica pag. 287. & in aureo sapientissimi Pontificis Benedicti XIV. tractatu de Servorum Dei beatificatione, & Beatorum Canonizatione lib. 1. cap. 41. pag. 404. edit. Romæ 1747. Sugerius Sancti Dionysii Abbas in vita Ludovici Crassi (h) literis tradit, Pontificios Ministros *more Romano* præparatos solemni Paschatis die Innocentii Papæ II. tunc in Gallia degentis capiti imposuisse *frigium ornamentum imperiale instar galeæ, circulo aureo circinnatum*: In Ordine Romano IX. (i) legimus, consecrato in Romanum Pontificem *imponi in capite Regnum, quod ad similitudinem cassidis ex albo fit indumento*: Et S. Nicolaus I. Summus Pontifex post ejus consecrationem in S. Petri Basilica, ad patriarchium iterum perductus *coronatur* summa cum totius populi & Senatus gratulatione, ut illius gestorum scriptor apud Anastasium (k) testatur. Nec omnino silendum de commentitiæ Imperatoris Constantini Magni Donationis monumento, spurio quidem & adulterino, sed IX. Ecclesiæ sæculo circa tempora Caroli Calvi confecto, in quo ipse Constantinus Augustus *diadema*, idest *Coronam Capitis nostri* Pontifici contulisse dicitur. Fabulosum sane privilegium, sed qui illud fabricavit jam inductum respexit morem, ut Summi Antistites Regnum gestarent. Bene autem coniicit, mea quidem sententia quisquis putat, Romanos Pontifices tiara uno coronamento distincta tunc primum usos fuisse, cum supremæ Sacerdotii dignitati temporalis variarum Provinciarum Dominium accessit. Innocentius III. in sermone de S. Silvestro ait: Romanus Pontifex in signum Imperii utitur Regno, idest corona, & in signum Pontificis utitur mitra. Qui plura de Pontificali Regno scire cupit, is

(a) Tabula XXVIII. (b) Ad ann. 34. num. 294. seqq. (c) Apud Alemannum loc. cit.
(d) Annal. Franc. ann. 508. num. 72. (e) Vide Anastas. Biblioth. in S. Leone III.
(f) Hujus extypon Ciampinus evulgavit in lib. de sac. ædific. Tabula XIII. (g) Apud Martinellum Rom. ex Ethn. sac. pag. 381. (h) Apud Duchesn. tom. 4. pag. 318. (i) Num. 6. apud Mabillon. tom. 2. Musæi Ital. (k) Sect. 579.

is consultat Antonium Mazzaronium in tractatu de tribus coronis Romanorum Pontificum, Raynaudum de Pileo, cæterisque capitis tegminibus, Angelum Rocca tom. 1., Franciscum Pagium tom. 3. Breviarii &c., Paschalium de Coronis lib. 19. cap. 27., Chartarium in Prodromo Gentilitio, Menestrierium lib. *de la pratique du Blason*, Josephum Stevanum, sive Stephanum lib. de Coronatione Rom. Pont., & Notas ad Vitam Bonifacii VIII. Ciaconianam.

Cæterum, his ad illustrandum Urbani Sexti sepulchrum adnotatis, carmina, quæ ad ipsum monumentum quondam legebantur, atque a Turrigio (*a*) & Oldoino (*b*) referuntur subiicimus:

Hac animo magnus, sapiens, justusque Monarcha
Parthenopæus adest Urbanus Sextus in arca.
Fervebat Fidei latebras conferre magistris;
O decus! his fretus semper post prandia sistris.
Schismatibus magnis animo majore regebat,
Omne simoniacum tanto sub Patre tremebat.
Quid juvat hunc terris mortali tollere laude?
Pro meritis cœli splendet sibi gloria valde.

De hisce versibus ineomptis quidem, & rudibus, ut Platina, aliique adnotarunt, sic habet Card. Ægidius Viterbiensis: *Ne illaudata interiret rustica* (Urbani VI.) *inurbanitas, epitaphio commendatus est . . . . ineptissimo; quod in sepulchro etiam num visitur.* Quæ Ægidii, ut mitius loquar, inurbana verba Victorellus (*c*) profert, excerpta, uti censeo ex ejusdem Cardinalis Ms. opere in Bibliotheca Angelica Augustinianorum in Urbe asservato. Postremam epitaphii mox recitati partem Jacobus Grimaldus loco superius laudato ita exhibet: *Obiit Romæ Idibus Octobris anno MCCCLXXXIX. ætatis suæ anno* LXXII.

TABULA LVII.

Corpus Innocentii VII., qui obiit anno MCCCCVI. ad veteris Basilicæ Vaticanæ Meridionalem partem in Sacello Pontificibus dicato, & ob vetustatem fatiscente, Nicolai V. cura restituto, Platina teste tumulatum fuit. Anno MDCVI. die 13. Septembris exhumatum est, inquit Jacobus Grimaldus (*d*) ejusdem Innocentii cadaver *in ossa redactum, sepultum in parte Epistolæ Sacelli S Thomæ Apostoli cum epitaphio & imagine ejus sepulchrali humi posita. Reperta sunt aliqua frusta paramentorum Persiani operis, & omnia condita in pilo marmoreo eadem imagine ac titulo cooperto sub fornice novi pavimenti* ad latus boreale. En ærea tabula incisus lapis hic sepulchralis a Nicolao V. instauratus, palmos Rom. fere x. longitudine protensus; ac Innocentii effigiem pontificalibus indutam vestibus repræsentans. Quam calcei sive sandalia crucem præferunt insalutatam hic non dimittam. Remotiori ætate, ni fallor, non ita proprium erat Romanorum Antistitum calceamentis crucem assuere, vel intexere, ut episcopis, imo forsitan & Diaconis fas non esset, idipsum usurpare. In Musiva namque Ecclesiæ Sancti Marci absida, Gregorio IV. curante vel primum confecta, vel potius innovata, non solum hi Summi Pontifices, verum etiam SS. Martyres, & Diaconi Felicissimus, & Agapitus in illa depicti soleas gestant cruce desu-

(*a*) Crypt. Vatic. pag. 417. & seq. (*b*) Apud Ciacon. Vit. Pap. & Card. tom. 2. col. 633.
(*c*) In addit. ad Ciacon. loc. cit. col. 624. (*d*) Lib. Instrum. pag. 94. & 95.

desuper insignitas, ut apud Ciampinum (a) videre est. Caligæ cum cruce non a Sanctis illis Martyribus cum Beato Sixto II. decollatis, sed ab Ecclesiæ Romanæ Diaconis nono Christianæ Reipublicæ sæculo, quo memorata absis constructa fuit, verosimiliter deferebantur; ad quam consuetudinem musivi delineator respexisse videtur. Ad Episcopos quod attinet, vetustissimam Sancti Apollinaris Antistitis Ravennatensis imaginem in Classe extantem Maurus Sarti vir plane doctus æri incisam exhibet (b) in qua S. Episcopus calceatus apparet, & in utroque sandalio crux appicta est. At devexiori ævo prærogativa isthæc fuit tantummodo Romanorum Pontificum. Felici enim V. umbratilem Pontificatum sincere abdicanti Lausanensis Conventus magnos licet favores contulerit, ac ornamenta, & insignia pontificalia reservarit, annulum tamen Piscatoris, delationem Corporis Christi, *crucem in pedibus* atque umbellam inhibuit (c). Hic sane mos decimo quinto sæculo vigebat: Præcedenti vero ætate usus calceorum cum cruce haud semper constans apud Summos Antistites fuisse videtur. Grimaldus enim inter pontificales vestes, quibus involuta Hadriani IV. & Bonifacii VIII. corpora inspexit, calceos recenset, nulla tamen crucis imagine insignitos (d).

Circa imaginis collum, & ante pectus, superque humeros reflexus occurrit fanon, sive orale, vestis nempe, aut ornamenti genus, quod soli Romano Pontifici peculiare factum est (e). Hujus indumenti forma, si Ciampinum (f) audiamus in parva quadam effigie, nimirum Cælestini III. ut Auctor iste coniicit, in veteribus Lateranensis Basilicæ valvis æneis expressa exhibetur. Verum utut sit de imagine hujusmodi, oralis, seu fanonis figuram tum in præsenti Innocentii VII. tum in aliis duobus jam editis (g) Nicolai V., & Pauli II. simulacris observare præstat, ampliorem que lucem huic rei suppeditat Bonifacii Octavii fanon, ejus cadaveri impositus, & a prædicto Grimaldo inspectus, ac ita descriptus: *Habebat fanonem circa collum, & humeros eo modo, quo hodie Summi Pontifices utuntur, nempe pars supra albam, & pars supra planetam, ex puro serico velo albo, subtilissimo, sine auro, & aliquo ornatu; involutum pluries primum circa humeros super albam, deinde inversum super casulam circa collum: super alba duplex magis erat in parte dextera, quam in sinistra*: Verba sunt Instrumenti superius (h) prolati. Ex quibus etiam infertur, fanonem e serico, & coloris albi antiquitus fuisse: ac propterea caute legendum Paridem de Grassis in suo cæremoniali Ms. sic adnotantem: *Phanon dicitur superhumerale, est velum olim trium colorum variegatum, nunc, & lineum filis aureis contextum*. Quod attinet ad ejusdem indumenti originem, hæc Philippo Bonannio (i) impervia est. At Dominicus Georgius (k) existimat a Romano Pontifice fanonem, sive orale post cingulum sumi, loco amictus, qui olim post cingulum induebatur, ut patet ex Ordinibus Romanis I. num. 6., & V. num. 1., in quibus anagolagium sive ambolagium, idest amictus, seu superhumerale, post cingulum sumitur. Rationem vero nem vero cur post albam & cingulum sumatur, reddit Innocentius Tertius, ubi de Mysteriis Missæ agens ait (l) *Romanus autem Pontifex post albam, & cingulum assumit orale, quod circa caput involvit, & replicat super humeros, legalis Pontificis ordinem sequens, qui post lineam strictam, & Zonam induebatur Ephot, idest superhumerale*. Paria habet Guillelmus Durandus (m).

Eadem Innocentii VII. imago pallium gestat, dignitatis nimirum insigne, quo majoribus sedibus præfecti a cæteris Episcopis discernuntur. De remotissima hujus indumenti vetustate nihil est cur agamus, cum ex veterum scriptis ex antiquioribus Romanis Ordinibus, atque sacrarum ædium musivis ea luculentissime ostendatur: & ex Divi Symmachi, atque Vigilii Romanorum Pontificum literis, quibus hic Auxanium Arelatensem Antistitem, ille Theodorum Laureacensem Episcopum pallii usu donarunt, præcipuè docemur, quam temere Hospinianus lib. 3. Historiæ Sacrament.

pag.

(a) Vet. Mon. tom. 2. Tab. XXXVII. (b) In Dissert. de veteri casula diptyca cap. 2. num. 1.
(c) Raynaldus ad anu. 1449. num. 6. (d) Vide Tabula XLVIII. XLIX. (e) Bona rerum Liturg. lib. 1. cap. 24. §. 15. (f) Veter. monum. tom. 1. cap. 26. (g) Tabula LIII. & LIV.
(h) Tabula XLIX. (i) De Eccles. Hierarch. cap. 66. (k) Liturg. Rom. Pont. tom. 1. cap. 18.
(l) Lib. 1. cap. 53. (m) Ration. Divin. Offic. lib. 3. cap. 9. num. 1.

pag. 191. 200. affirmaverit, Pontifice Gregorio Magno sacrum hoc vestimenti genus adhiberi primùm cœpisse. Itaque satis erit de ejus origine, forma, & materie pauca subnectere. Petrus de Marca (a), & Balutius pallii natales ex Imperatoribus repetendos judicant: nimirum censent, ipsum fuisse olim Imperialis vestimenti genus, quod Augusti cum postea Religionis causa Romano Pontifici, ac majoribus Patriarchis donassent; Pontifices demum ejus usum aliis Antistitibus tribuendi, sibi jus asseruerunt. Sed hanc sententiam a vero alienam esse demonstrant priscorum Pontificum Romanorum literæ, in quibus ipsi disertis verbis se *Beati Petri Auctoritate pallii usum concedere affirmant*. Formulam hanc, ut beue multa id genus exempla missa faciam, Summus Præsul Vigilius adhibet in Epistola ad Auxanium Arelatensem Episcopum. Si pallium fuisset Imperatoris donum, nec Vigilius, nec alii Romani Antistites eam loquendi rationem usurpassent, neque ab iis ipsi Augusti usurpari sivissent, aut saltem hac de re cum supremo Pontifice expostulassent Si enim hic Imperiali auctoritate, ut Marca judicat, pallio utebatur, poterat quidem Imperiali, non autem Sancti Petri auctoritate aliis Episcopis pallii usum elargiri. Nec solida profecto sunt momenta, quibus oppositæ sententiæ patroni nituntur. Hi scilicet pallium primitus fuisse Augustorum indumentum, eorumque donum Summis Ecclesiæ Præsulibus collatum, evincere sibi videntur, tum ex famosa, eademque supposititia Constantini Imperatoris Donatione, in qua legitur ipse Constantinus *phrygium*, & *superhumerale, videlicet lorum, quod Imperiale circumdare assolet collum*, S. Silvestro I. Pontifici concessisse; tum ex eo, quod nec Vigilius Papa Auxanium Arelatensem Episcopum, nec Divus Gregorius Magnus (b) Syagrium Episcopum Augustodunensem pallii usu donarunt, nisi prævio ea de re Imperatoris consensu; tum ex ejusdem Gregorii postulatione (c), qua ab Imperatore petiit, ut Anastasio Patriarchæ Antiocheno, exuli in Urbe degenti ad Apostolorum limina pallio uti liceret; tum ex eo, quod Anthimus Patriarcha Constantinopolitanus sede sua dejectus, pallium suum Imperatori, Liberato teste (d) reddidit; tum denique ex privilegio, quo Valentinianus Imperator Episcopum Ravennatem, inter alias prærogativas, pallii usu decorasse fertur. Hæc inquam haud magni ponderis argumenta fuut. Illam quippe Constantini Donationem vel ipse Baronius (e) aliique Viri plane doctissimi tanquam adulterinum fœtum exploserunt. Hadrianus I. & Nicolaus itidem I. (f) Romanæ Ecclesiæ privilegia recensentes, neutiquam commemorarunt. Quæ demum spurio adhibenda fides est monumento, quod licet nono Ecclesiæ sæculo concinnatum aut potius confictum sit, falsa tamen dubio procul enunciat? Exemplum ad manus est. Constantinus in hac donatione Urbem Romam, atque Italiæ Provincias temporali Romani Pontificis ditione subiicit, sive, ut proprie loquar subdidisse fingitur a male feriato homine, qui spurium ipsum privilegium fabricavit. Id vero ab fabulas amandandum esse, quis non videat, cum Constantinus (g) Urbem, atque Italiam Constanti ex filiis suis alteri, testamento relinquerit, & hic eamdem Imperii partem post Parentis obitum possederit, ac re ipsa gubernaverit? Quare licet *superhumeralis* voce pallium Ecclesiasticum intelligendum foret, quod tamen haud liquet; ficta illa donatio, Petri de Marca sententiæ, quam recitavimus, comprobandæ nullum satis validum suppeditat argumentum.

Nec majoris momenti est consensus Imperatorum, quem Summi Pontifices pallium nonnullis Episcopis mittentes, aliquando poposcerunt. Sexto enim, & septimo sæculo, ut Garnerius (h) animadvertit, quo tempore iidem Summi Pontifices pene serviebant sub Exarchis, & Imperatoribus, eoque suspicaciores forent ipsi Imperatores, atque Exarchi, quod vix Romæ dominatum retinerent adversus invadeutes aliarum gentium reges, factum est, ut Romani Antistites cum pallium mitterent Episcopis extra

(a) Concord. Sacerd. & Imper. lib. 6. cap. 6. (b) Lib. 9. Epist. 41. (c) Lib. 1. ep. 27. al. 28.
(d) Breviar. cap. 21 (e) Ad ann. 324. num. 118. & ad ann. 1191. num. 53. (f) Epist. ad Michaelem Imper. (g) Euseb. Cæs. Vit. Constantini lib. 4. cap. 51. & 63. (h) Differt. in Lib. Diurn. Rom. Pont.

tra Imperii ditionem positis, consensum Imperatoris expeterent, ne ea de causa oriretur suspicio affectati aliunde præsidii, initæque cum aliis Principibus amicitiæ. Ita Vigilius Justiniani, ita Gregorius Magnus Mauritii consensum poposcit: Nam Theodoræ, Justiniani uxoris, tyrannidi obnoxius erat Vigilius; & Gregorius Exarchi calumnias convitiaque Imperatoris patiebatur. Neuter scilicet pro sua prudentia volebat animos hominum quærentium rixas tangere vel levissima suspicione societatis initæ cum Regibus Childeberto, Theoderico, & Theodeberto: Neuter enim ignorabat, quæ calumnia simili specie structa esset, quamque dira inde Summus Pontifex Silverius pertulisset. Ita sane Garnerius existimat, cujus conjecturam Ruinartius (*a*) ex Beati Gregorii agendi modo confirmat. Hic siquidem pallii honorem, absque Mauritii Imperatoris consensu, Vigilio Arelatensi impertivit, eo scilicet tempore, quo nondum apud Augustum hunc male audiebat: at cum semel ejus invidiam subiisset, tunc pallium Syagrio conferre renuit, donec certior fuisset factus, hoc ipsi Imperatori injucundum non fore. Reponit Marca, ideo Gregorium sine Imperiali consensu Vigilio pallium tribuisse, quia Arelatensis Episcopus jam fuerat, annuente Justiniano pallii prærogativa decoratus. Sed hoc responsum argumento satis non facit. Ratum namque est, nonnullos Arelatenses Episcopos multo ante Vigilii tempora fuisse pallii usu exornatos, quem tamen adhuc pro eorum Successoribus a Justiniano petiit, & impetravit Vigilius. Temporis itaque circumstantiæ, ac prudens Romanorum Antistitum œconomia, & in Augustos observantia, non autem ipsa per se pallii concessio Imperialem consensum aliquando exegerunt. Verum etsi consensus iste in ejusdem vestis tradendo usu absolute necessarius fuisse diceretur; inde tamen pallium esse imperiale vestimentum, inferri nequit. Reges enim, & Imperatores nonnullis jus investiturarum, ut ajunt, olim sibi arrogantes, electis Abbatibus, atque Episcopis, baculum, seu ferulam pastoralem per aliquot sæcula tribuere consueverunt: Vigilius etiam in prælaudata ad Auxanium Epistola se pallii usum, tum Apostolicæ Sedis Vicariatum, aliaque privilegia ex Imperatoris permissu concessisse innuit. Quis autem aut Vicariatum hujusmodi, aut pastoralem ferulam Imperatoribus esse propria, vel per somnium excogitavit?

Eadem ratione aliis argumentis licet occurrere. Etenim quæcumque tandem causa fuerit, cur & Gregorius *piissimos Dominos*, nempe Mauritium Imperatorem, ejusque filium Theodosium interpellarit, ut Anastasio Patriarchæ ex Antiochena Sede injuste dejecto pallii usum concederent, ipsumque ad Beati Petri limina secum celebraturum solemnia Missarum transmitterent; & Anthimus depositus pallium suum Imperatori reddiderit; ex eo quod ipsum Augusti traderent, vel sine eorumdem consensu minime tribueretur, uti mox asseruimus, recte deduci non potest, pallium Ecclesiasticum initio fuisse quoddam Imperiale ornamentum. Demum quid vetat, pari modo satisfieri privilegio, quod sub Valentiniani nomine Episcopo Ravennatensi collatum obtruditur? Præterquamquod hoc Diploma Baronius (*b*) supposititiis privilegiis accenset, utpote S. Gregorii Magni ætate ignotum, quo tempore quidquid Ravennati Episcopo circa pallii delationem jus inerat, id ex Apostolicæ Romanæ Sedis auctoritate derivatum existimabatur. *Admoneo, quatenus, nisi decessorum meorum munificentia tibi hæc per privilegium attributa docueris, uti in plateis pallio ulterius non præsumas; ne non habere &c. ad missas incipias, quod audacter & in plateis usurpas*. Sic idem Gregorius (*c*) Joannem Ravennatensem Antistitem pallii extra Ecclesiam in publicis Processionibus gestandi jus sibi arrogantem adloquitur. Alia argumenta, quibus hæc Imperialis sanctio commentitia, ac spuria evincitur, Venerab. Annalium Ecclesiasticorum Parens exequitur.

Ad pallii materiam apud Latinos quod attinet, etsi ipsum ante complures annorum centurias consuevisse ex lana confici, uti vel hodie fit, nemo unus jure in controversiam vocaverit; remotiori tamen ætate ex bysso, sive lino perquam tenui, mollique constasse, non obscure Joannes Diaconus innuere videtur. Hic enim in Sancti Gre-

(*a*) Dissert. de Pallio cap. 4. (*b*) Ad ann. 432. (*c*) Lib. 2. Epist. 54.

Gregorii Magni vita (*a*) de Pontificali ejus pallio, quod utpote anniversario ipsius die festo venerabundis Fidelium osculis expositum, biographus idem non semel inspexerit, ex bysso candente fuisse tradit. Quæ quidem verba adeo perspicua sunt, ut ne veri quidem speciem habet quicquid Bralion excogitavit, quo voces illas ad pallium laneum significandum perperam detorqueret. Quis enim istius Auctoris commenta, *byssi* scilicet vocabulo lanam designari, & *candentem*, seu candidum colorem bysso non convenire, sed lanæ, sibi facile persuadeat?

Jam vero de pallii forma paucis agendum. Hujusmodi vestem antiquitus non tæniam, seu fasciam, sed vestem amplam, & integram fuisse, quæ super humeros aliorum palliorum more imponebatur, Eruditi nonnulli (*b*) existimarunt: sed hujusce opinionis nullum præter conjecturas quasdam, certum splendidumque argumentum protulerunt. Illud satis exploratum videtur, ab annis amplius centum triginta supra mille nonnisi tæniæ formam pallio fuisse Pontificali. Vetustissima enim absida Ecclesiæ S. Agnetis in via Nomentana, ab Honorio Primo qui anno Christi DCXXV. B. Petri Cathedram ascendit, musivo extructa, Pontificem ipsum Honorium exhibet, & alium Antistitem, utrumque indutum pallio, fasciæ figuram præferente. Hinc Ruinartio (*c*) qui censet pallium ex veste admodum ampla in tæniam sæculo circiter octavo transformatum fuisse, hand facile assentior. Etenim si hæc mutatio aliquando contigit; ineunte Sæculo VII. jam facta ex commemorato musivo satis evincitur. Post S. Gregorii Magni ætatem nonnihil variatum opinor circa pallii, hoc est illius fasciæ dispositionem, seu circa modum corpori illam aptandi. Ejusdem namque Gregorii pallium ex effigie ipsius adhuc viventis expressa, Joannes Diaconus ita describit (*d*): *Pallio mediocri, a dextro videlicet humero sub pectore super stomachum circulatim deducto, deinde sursum per sinistrum humerum post tergum deposito: cujus pars altera super eumdem humerum veniens propria rectitudine, non per medium corporis, sed ex latere pendet*. Sic pars altera pallii, quo indutus apparet Pontifex in prælaudata Ecclesiæ S. Agnetis abside antiquissima, ex humero sinistro, *non per medium corporis*, sed recta descendit ad lævum pedem. Octavo tamen cadente Ecclesiæ sæculo, aut nono ineunte nonnihil jam variatum fuerat. Nam in Lateranensi Triclinio, quod S. Leo III. extrui curavit, ac nostra ætate solo æquatum Benedictus XIV. pro sua in antiquis monumentis observandis vigilantia ad exactam prisci exemplaris formam denuo excitari jussit; pallii Divum Petrum ornantis pars illa, seu anterior extremitas, quamquam talaris sit (quod etiam de posteriori extremitate intelligo; quum Amalarius (*e*) doceat; *pallium habere duas lineas a summo usque deorsum ante, & retro*); *per medium tamen corporis* non ex sinistro latere defluit. Rursus Sæculo XII. aut paulo prius alia in pallio est facta mutatio, cum enim ante id tempus, sicuti Papebrochius (*f*) observat, Pontificale hoc indumentum, aut ad modum V. vel Y furcatum supra pectus ab humeris descenderet, iis incumbens, ut ex prælaudatis Musivis tum Ecclesiæ Sanctæ Agnetis, tum triclinii Lateranensis, & ex absidæ sacræ ædis Romanæ S. Marci, aliisque monumentis perspicue constat: Sæculo XII. affixum Planetæ, atque infra scapulas reductum in brachia ambiebat Præsulem per modum positi in plano circuli; quemadmodum præter alia monumenta quamplura luculenter ostendunt opera eodem Sæculo XII. confecta, absides nimirum S. Mariæ Transtyberim, & Oratorii S. Nicolai in Lateranensi Patriarchio; quarum hanc pridem disjectam commemoratus Pontifex Maximus Benedictus XIV. sacrarum antiquitatum vindex providentissimus ad priscum exemplar renovari mandavit (*g*). In utraque sane absida sacri Antistites cernuntur pallio amicti ad circuli formam circumducto per brachia, & pectus, ex quo vestis ejusdem tænia ad pedes recta descendit. In sequenti ævo eam-

V dem

(*a*) Lib.4. cap. 80. (*b*) Petr. de Marca lib.6. Concordiæ cap.6. Ruinart. Diss. de Pallio cap.18.
(*c*) Ibi cap.20. (*d*) Vit. S. Greg. lib. 4. cap. 84. (*e*) De Eccles. Offic. lib. 2. cap. 23.
(*f*) In Propyleo ad Acta Sanctorum Maii. (*g*) Consule tom.1. Operum Sapientissimi hujus Summi Pontificis, nempe lib. 1. de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione cap. 41. §. 10. num. 32. & seqq. edit. Rom. 1747.

dem fere fuiſſe pallio figuram, evincunt plane, quæ in hoc opere tabulis cælanda curavimus Bonifacii VIII. Urbani VI. Innocentii VII. Nicolai V. Pauli II. & Alexandri VI. (*a*) marmorea ſimulacra Pontificali hocce indumento exornata. Conſulto dixi, fere: nam etſi in hiſce monumentis pars ſuperior pallii ad modum circuli in plano poſiti circumducta perſpiciatur; memorata tamen anterior faſcia, ſeu vitta, quo nomine a Brunone Epiſcopo Signienſi appellatur (*b*) brevior eſt, & decurtata, adeout non ad pedes pro veteri more, ſed ad genua defluat. Ita profecto mihi videtur ſepulchrales ipſos lapides in Cryptis Vaticanis aſſervatos contemplanti: Nec arridet, quod cl. Georgius eoſdem apud Ciaconium delineatos inſpiciens, literis mandavit (*c*) nempe in Urbani VI. Bonifacii IX. Callixti III. & Pauli II. ſepulchralibus monumentis pallium Pontificale *ad mediam tibiam, & ad extremam planetæ partem* deſcendere. Res procul dubio non ita ſe habet; eorumque monumentorum imagines apud Ciaconium haud accurate expreſſæ fuerunt, & Georgio viro cæteroquin diligenti impoſuere. Pallium equidem Bonifacii VIII. in ejus cadavere repertum, ſic deſcribit (*d*) Jacobus Grimaldus teſtis ocularis: *Supra fanonem erat pallium, ſed quia ex lana conſumptum erat præter quamdam particulam ſupra tibias, uſque ad crura longum*. Verum ex hoc teſtimonio haud perſpicuè conficitur hujuſmodi indumentum ad mediam uſque tibiam, & ad extremum planetæ oram fuiſſe protenſum. Potuit enim pallium Bonifacii VIII. aliquantulum ultra genua deduci, ac proinde ad crura deſcendere, quin ad mediam tibiam pertingeret. Fac vero, illud ad mediam crurum, vel ad extremam caſulæ partem defluxiſse; non inde tamen conſequitur, pallium Urbani VI. Innocentii VII. & Nicolai V. ita fuiſse longum: paulatim ſane, ac nonniſi temporis ſucceſſu decurtatum fuit. Tandem longe majorem pallii, prædictæ nimirum tæniæ tum anterioris, tum poſterioris decurtationem crediderim per id tempus contigiſſe, quo Librum Cæremoniarum S. R. E. ab Auguſtino Patritio Sæculo XV. decliuante concinnatum Chriſtophorus Marcellus anno Dom. 1516. typis edi curabat. Aſſeritur namque in hoc Libro (*e*) pallium humeros Præſulum ambire *a pectore & renibus*; atque *particulam* habere *pendentem longitudinis palmi*. Certe particulam hanc, ſive faſciam ita breviatam fuiſſe ante XVI. Sæculi initium, difficile mihi ſuadeo. Æneum quippe Sixti IV. qui ab anno 1471. ad 1484. rexit Eccleſiam, ſepulchrale monumentum in Vaticana Baſilica exiſtens, Pontificem hunc repræſentat ornatum pallio, cujus tænia palmos duos protendirur, ut meis oculis vidi: quare aſſentiri non poſſum prælaudato Georgio affirmanti (*f*) lineam pallii anteriorem in eadem Sixti IV. effigie vix longitudinem palmi unius ſuperare: ſed & faſcia pendens ex pallio Alexandri VI. qui ab anno 1492. ad 1503. Catholico Orbi præfuit, palmis duobus longior plane eſt, ut in marmorea ejus imagine ſepulchrali (*g*) cernere licet. Ejuſdem tæniæ extremitati adhæret hodie, uti etiam commemorati Auguſtini Patritii ætate (*h*) lamina plumbea ſerico nigro tecta, & figuræ orbicularis in ima ſui parte; quamquam huic plumbo in Bonifacii VIII. pallio *quadram* fuiſſe *formam*, quem paulò ante laudavimus Grimaldus teſtatur (*i*). Pallium in ſiniſtro humero, ſive brachio duplicatur, non autem in dextero: idque ſignificatum voluit Bruno Signienſis, cum inquit (*k*) *Eſt pallium in ſiniſtra duplex ..... in dextera vero duplex non eſt*, nempe ſimplex. Acubus, ſive ſpinulis ætate vel remotiori affigi pallium conſuevit. Hujuſmodi quippe uſum nono ſaltem Eccleſiæ Sæculo viguiſſe non obſcure deducitur ex Joanne Diacono, qui ait (*l*) Sancti Gregorii I. pallium *nonnullis fuiſſe acubus perforatum*. Tres ejuſmodi acus enumerat Innocentius III. eorumque materiam, ac formam paucis ita deſcribit (*m*) *Acus eſt aurea, ſed inferius eſt acuta, & ſuperius rotunda lapidem continens pretioſum*.

In ſepulchralibus Sixti IV. & Nicolai V. ſimulacris alter ex illis acubus infigitur pallio in anteriori ejus cruce ante pectus, alter in

(*a*) Tabula XLVII. XLIX. LIII. LIV., & LVI. (*b*) De Sacramentis Eccleſiæ, Myſteriis &c.
(*c*) Liturg. Rom. Pont. tom. 1. cap. 25. num. 5. (*d*) Inſtrumentum recitat. ad Tabula XLIX.
(*e*) Lib. 1. cap. 8. ſect. 10. (*f*) Loc. cit. (*g*) Tabula XLVII. (*h*) Loc. cit. (*i*) In allegato Inſtrumento. (*k*) Loc. cit. (*l*) Vit. S. Greg. lib. 1. cap. 80. (*m*) Lib. 1. Myſterior. Miſsæ cap. 63.

in alia cruce super brachium sinistrum. Hæc simulacra cum resupina jaceant, tertiam spinulam non exhibent, cui locus est in pallii parte posteriori. Præfatio Missæ Pontificalis Ms. in Bibliotheca Cardinalis Imperialis imponentes pallium Pontifici ministros admonet, ut ex prædictis spinulis *unam in cruce anteriori, aliam in cruce super sinistrum humerum, tertiam in cruce posteriori infigant*: & mox ita subjungit: *Istæ autem spinulæ sic infigendæ sunt, quod qualibet tertio transeat per crucem, cui infigitur; & quarta vice acumen spinula infigatur pallio ultra crucem: Proviso, quod nulla spinula perforet pallium, & nullo modo acumen ejus tangat planetam: proviso etiam, quod cujuslibet spinulæ caput, in quo est, sit ad dexteram infigentis spinulam* (a). Cruces olim fuisse pallio intextas, Hugo Menardus (b) inficiatur, sed immerito. Anno siquidem MDCVII. arca reserata Summi Pontificis Leonis I. corpus continente, inter alia, quæ ibidem reperta publicis notantur tabulis to. 2. Aprilis Bollandiani (c) relatis, hæc quoque ad rem nostram produntur: *Remanserat super humero dextro crux parva rubri coloris, quæ erat pallii Pontificalis; item aliam crucem paulo longiorem ejusdem pallii juxta pectus in parte dextra tenebat. In medio pectoris conspiciebatur aurea una spinula pallii, infixa planetæ: de pallio vero nihil extabat*. Præterea Hrabanus (d), atque Hugo Victorinus (e) *crucis signaculum purpureo colore* in pallio expressum commemorant: ac Innocentius III. (f) *quatuor* ejusdem indumenti *cruces purpureas ante, & retro, a dextris, & a sinistris* recenset. Ex quibus contra Menardum usus infigendi pallio cruces vetustissimus plane evincitur; ac insuper cruces ipsas antiquitus purpurei coloris fuisse luculentissime demonstratur. Vicecomes (g) quidem sibi persuadere nequit, cur Innocentius Tertius, & Hirabanus affirmaverint cruces pallii *purpureas* fuisse: eosque censet de ipsorum ætate locutos, cum alias, ut existimat, pro libito cruces, sive nigræ, sive purpureæ pallio fuerint assutæ: ac præterea inquit, non solum in S. Gregorii Magni imaginibus, sed in cæteris omnibus nigras cruces præferri. Verum ad vetustas S. Gregorii I. icones quod attinet, Vicecomitis assertio nullo, quod sciam, solido fundamento nititur, nec ipsi Joannes Diaconus suffragatur. Si autem alias Romanorum Pontificum antiquas effigies inspiciamus, Paschalis I. in musivis Ecclesiarum S. Praxedis, & S. Cæciliæ pallium gestat crucibus purpureis insignitum. Ejusdem coloris sunt quinque cruces pallii S. Callixti, & pallii S. Cornelii in absida Basilica S. Mariæ Transtyberim: in qua tamen pallium Julii I. duæ cruces nigræ, & Innocentii item I. tres cruces nigræ pariter coloris decorant. Tales etiam exhibet pallium Nicolai IV. in absida cum Lateranensis Basilicæ, tùm Liberianæ; & coloris perinde nigri erant cruces pallii, quo corpus exanime Bonifacii VIII. fuit indutum, ut Grimaldus in prælaudato Instrumento literis commendavit. Ad illustrandas aliorum Pontificum effigies pallio itidem exornatas usui esse possunt, quæ de hujusmodi veste mox edisseruimus ad Innocenti VII. sepulchrale monumentum; cujus epitaphium cum vetus Basilica Vaticana Julio II. Pontifice solo æquaretur, incaute confractum est Turrigio teste (h), qui tamen illius fragmentum nactus, diligenter exscripsit, & in hunc modum recitat: . . . . *splendida. Sedit an. 2., dies 21.*



V 2 TA-

(a) Apud Georgium Liturg. Rom. Pont. 1. cap. 25. num. 7. (b) In notis ad S. Gregorii Sacramentar. pag. 314. (c) Pag. 21. (d) Institut. Cleric. lib. 1. cap. 23. (e) Lib. de Sacramentis cap. 57. (f) Loc. cit. (g) De apparatu Missæ lib. 4. cap. 7. (h) Crypt. Vatic. pag. 421.

TABULA LVIII.

De Marcelli II. Pontificis Maximi sarcophago nonnihil dicturus, ea quæ de Summo hoc Antistite Religione, & doctrina præclarissimo, sed Christianæ Reipublicæ ostenso potius quam dato, Turrigius (*a*) ex libro Cardinalis Roberti de Nobilibus propria manu exarato descripsit, præmittenda existimavi, utpote ab oculari teste, fideque dignissimo adnotata. Sunt autem hujusmodi: „ Ad Vesperam diei quinto Idus Aprilis (anno MDLV.) sub horam 24. Spiritus Sanctus Patrum mentibus prætulit lumina, ut cum intueri possent, quem Jesus Christus Deus, ac Dominus Noster, Ecclesiæ suæ præesse vellet. Nam cum omnes Cardinales vocatu Neapolitani (*b*) ad concilium convenissemus, incredibili quadam vi compulsi, ad pedes Marcelli Cardinalis Sanctæ Crucis concidentes, eum Pontificem Maximum salutavimus. Quid enim dicam, Divinum Numen non intercessisse? cum & ij, qui a Marcello vehementer abhorrebant, & se cuivis potius, quam eidem suffragaturos affirmabant, subito commutata sententia, præcipites ad eum Pontificem Maximum consalutandum ferrentur, & a multis præ lætitia lacrymæ effunderentur, vocesque plenæ charitatis (*c*) & gaudii effunderentur (*d*); omnes Marcellum Divinum hominem una voce appellarunt. Cum igitur e cubiculo in eam, quam Pauli III. Cappellam vocant, ab omnibus Cardinalibus esset deductus, in Sella Pontificia est collocatus, tum voce suffragia lecta sunt, quibus Pontifex Maximus Marcellus est confirmatus, quæsitumque ab eo, more majorum, an Pontificium id munus susciperet. Quod ita Deo, inquit, visum est, suscipiamus &c. A patribus vero illud etiam atque etiam petiit, ut assidue pro se vota facerent, ut sibi liceret ambulare in via Domini, ne, quando Dominus, inquit, venerit ad me, & a me villicationis meæ rationem poposcerit, hæream. Denique illam sibi veniam dari petiit a Patribus, ut postridie Pontificiam coronam sumeret, quod & sibi jucundissimum, & ad Ærarii Pontificii angustias accommodatissimum fore dicebat &c. Inde Pontificia sella sublatus, ab omnibus Cardinalibus ad ædem B. Petri sublatus est, & in sella illa collocatus, quæ est ad Divorum Petri, & Pauli ex lapide confecta. Facta re Divina est coronatus: quo die nullus tormentorum sonitus ex Romana arce ipsius Marcelli Pont. jussu datus est: quod cum in more institutoque Pontificum jamdiu positum esset, nunc sublatum magnam plerisque movit admirationem. Kalendis Maii, qui dies mihi semper erit (credo item bonis omnibus) ad memoriam mœroris insignis, Marcellus II. Pont. Max. altero, & vigesimo die a Pontificatus renunciatione, repentina morte ereptus est. Eo die in Constantini aulam 32. Cardinales convenimus, primumque more majorum, & Pontificis annulus &c. „ Huc usque Robertus de Nobilibus a Turrigio relatus, atque ab Oldoino (*e*) qui tamen pauca aliquot hujus narrationis verba omisit. Postquam Summo Antistiti parentatum fuit, ejus corpus in ea, quæ tum supererat prisci Vaticani Templi parte ad borealem regionem, ut ex Ichnographica Alpharani Tabula (*f*) intelligimus, sepultum est in arca marmorea; ibique ad Pauli V. Pontificatum permansit: quo tempore cum novum memoratæ Basilicæ ædificium absolveretur, anno MDCVI. die 15. Septembris hora 22. quemadmodum Grimaldus in suis Instrumentis (*g*) fidem facit, coram Roberto Bellarmino S.R.E.Præsb. Cardinali ipsius Marcelli II. ex Sorore Nepote, reserato ejusdem Pontificis tumulo, ejus cadaver, quod inte-

(*a*) Crypt. Vatic. pag. 423. (*b*) Al. *vocati a Neapolctano*, nimirum Petro Card. Carafa, qui postea fuit Paulus IV. (*c*) Al. hilaritatis. (*d*) Al. mitterentur. (*e*) Apud Ciacon. tom. 3. col. 804. & seq. (*f*) Num. 102. (*g*) Pag. 95.

integrum erat præter caput in ossa redactum, cum sacris vestibus & mitra ex tela aurea, recognitum fuit, positumque in novo loculo abiegno, ac inde in aquilonarem Sacrarum Cryptarum partem delatum. Sed inter tumuli reserationem, quæ Grimaldo teste, anno 1606. die 15. Septembris accidit, & delationem hanc, seu corporis collocationem sub novæ Basilicæ pavimentum, quadraginta dies intercessisse fateamur oportet, si Ms. Vaticano (a) audiamus, in quo legitur translationem ipsam die 25. Octobris eodem anno 1606. habitam fuisse: & ex eo etiam habemus, Marcelli II. corpus altera marmorea urna tunc fuisse exceptum. Superiorem hujus arcæ partem tabula item marmorea longa palmos Rom. fere IX. ac supra VIII. lata operit, quæ Marcelli Secundi stemma gentilitium, & sepulchralem ejus titulum a Turrigio (b) atque a Francisnio Pagio (c) minus exacte relatum, opere diaglyptico exhibet: Germana Inscriptio est hujusmodi.

MARCELLUS II. CERVINUS POLI-
TIANUS PONT. MAX. SEDIT DIES XXII.
VIXIT ANNOS LIV. OBIIT KL. MAII MDLV.

Hinc perperam habetur apud Turrigium: *Vixit ann. 59.*, & apud Pagium: *Vixit an. LV. obiit pridie Kal. Maii MDLV.* Nulla præter hanc, epigraphes tumulo exarata legitur, quæ Marcelli egregias plane virtutes enunciet. Faustus Sabæus Pontifici verè Optimo Maximo tetrastichon hujusmodi inscripsit:

Non ut Pontificem Summum, sanctumque decebat,
Marcelle, indigno conderis hoc tumulo.
Parce: ubicumque jaces, semper celebraberis: honorat
Non tumulus cinerem, sed cinis ipse locum.

Alia in Marcelli defuncti honorem elucubrata epigrammata Oldoinus apud Ciaconium recitat; tantique Pontificis laudes Hieronymus Seripandus in Epistola ad Fesulanum Episcopum est prosecutus, & vitam concinne satis, atque erudite Petrus Polidorus Vaticanæ Basilicæ Beneficiatus, vir æque doctus, ac pius conscripsit.

Prædicta urna ejusdem Pontificis ossa continens, apprimè quidem vetus est, nec ullus dubito, quin corpus in ea olim conditum fuerit Christiani cujuspiam, qui in Vaticano Cœmeterio ad Sacrarum Divi Petri exuviarum vicinias humari voluerit. Eadem in latum palmos ferme VIII. protenditur, æreaque tabula apud Aringhium incisa conspicitur (d). Quinque autem in antica ejus parte insculptas opere anaglyphico imagines præsefert. Harum prima, seu præstantior in medio loculo aut ædicula Jesum Christum tunica, & pallio, quem etiam habitum aliæ gestant figuræ, indutum repræsentat, atque in monte stantem. Manibus ipse codicem gerit, Sanctum videlicet ejus Evangelium, qua specie in antiquis præsertim sarcophagis, aliisque tabulis non semel expressus cernitur. Duo viri, seu potius Juvenes imberbes Redemptori adstant alter ad ejus dexteram, ad lævam alter: per quos si Zebedæi filios designari, ut conjicit Clar. Joannes Bottarius in sua Roma subterranea pluribus, & æque doctis explicationibus illustrata (e), quispiam velit, per me liceat. Veteres autem pingendo, vel cælando Salvatoris effigiem monti insistentis cum Codice præ manibus ad instar docentis, videntur ad novæ legis promulgationem in monte factam, de qua S. Matthæus loquitur (f), aut etiam ad ipsius Evangelicæ Doctrinæ sublimitatem allusisse. Quamquam in aliis hujuscemodi tabulis ex monte, cui Christus Dominus instat, quatuor flumina emanantia exprimantur, in hoc tamen marmore, si bene video, duo tantum sculptor effinxit: Hisce fluminibus sancta quatuor Evangelia denotari, Ecclesiæ Pa-

(a) Cujus in hanc rem fragmentum Oldoinus refert apud Ciacon. tom. 3. col. 805. (b) Loc. cit. (c) Breviar. Rom. Pont. to. 6. pag. 348. (d) To. 1. pag. 289. (e) To. 1. p. 62. (f) Cap. 5.

Patres sentiunt. Quæ in sarcophagi angulis figuræ occurrunt, Petrum, & Paulum, vel alios Apostolos satis probabili conjectura referunt: Volumine, quod manibus gestant, opera ab eisdem Apostolis conscripta, vel collatam ipsis prædicandi Evangelii potestatem significari, concors est Eruditorum opinio. Verùm de his omnibus plura in hoc opere jam adnotavimus; ubi etiam de Apostolorum, veterumque Christifidelium more, vel nudis pedibus incedendi, vel sandalia gestandi nonnulla diximus (a): eaque illustrare possunt hujusce sarcophagi imagines, quæ omnes sandalia habent, una excepta ad dexteram arcæ extremitatem collocata. Illud animadvertendum superest, eamdem Urnam iis in spatiis, quæ inter prædictas imagines intercedunt, striatam esse, canaliculis nimirum sulcatam: cujusmodi sculpturæ formam in multis Ethnicorum sarcophagis spectamus, & in sepulchrales quoque Christianorum arcas sculptores induxerunt, quemadmodum in posteriori parte Sarcophagi Probi a Christophoro Battello elegantissima Dissertatione illustrati, ac in aliis id genus monumentis apud Aringhium intueri licet.

TABULA LIX.

EN marmoreum Cardinalis Petri Fonsecæ sepulchralæ monumentum, palmos VIII. longum, & cum jacente simulacro palm. III. semis altum, quod sub novæ Basilicæ Vaticanæ pavimentum ad borealem regionem, ubi hodiedum visitur anno MDCVIII. die 10. Octobris, Turrigio teste (b) translatum fuit. In australi veteris Basilicæ parte olim existebat (c): quæ autem tunc illi inerant ornamenta, Grimaldus (d) ita describit: *Die 10. Octobris 1608. fuit apertum sepulchrum Petri Fonsecæ Hispani tit. S. Angeli Diaconi Cardinalis, quod situm erat dextera ingrediendo sacellum S. Thomæ Apostoli in veteri Basilica, satis supra terram elevatum, marmoreum, & sacris imaginibus marmoreis ornatum, nempe in plano terræ duobus Leonibus sustinentibus duas columnas: columnæ cum suo architrabe sustinebant arcam sepulchralem, intra quam erant ossa corporis cum sua imagine desuper in modum, ut quiesceret, diaconali habitu: supra arcam surgebant duæ alia parvæ columnæ sustinentes cuspidatam frontem ipsius sepulchri imaginibus sanctorum marmoreis ornatam. Ossa delata sunt sub fornice novi pavimenti cum sepulchrali imagine, epitaphio, & stemmatibus tantùm.* Epitaphium istud incisum est lapide ea characteris forma per id tempus usu recepta, quo bonæ artes, ac humaniores literæ prorsus jacebant: ipsum nos nonnihil accuratiùs, quam apud Ciaconium (e) ac Turrigium (f) legitur, exhibemus hic, atque recitamus:

Ortus in Hesperiis præsul dignissimus oris,
Fonsecca de prole Petrus, lux, gloria magni
Sanguinis, & patrii superexaltator honoris,
Hìc jacet: a sacro titulum Michaele recepit
Cardineum, cujus sapientia claruit altas
In laudes sensati animi mirabilis iste
Doctor erat Divina colens, & amator honesti,
Mente pius, recti prudens, moderator & æqui.
Venit amara dies, qua dira syncopa mortis,
Heu, patrem hunc rapuit, Domini labentibus annis

Mille

(a) Tabula LXXVII. (b) Crypt. Vatic. pag. 425. (c) Alpharan. Tab. Ichnograph. num. 75.
(d) Lib. Instrum. pag. 151. (e) Tom. 2. col. 746. (f) Loc. cit.

Mille quadringentis bis denis atque duobus
Dum vigena dies Augusti panderet astra.
Spiritus in cœlo tecum, sacer Angele, vivat.

Præter stylum haud haud satis cultum, quo sepulchralis hic titulus conscriptus fuit, mendis quoque nonnullis ex lapicidæ imperitia, vel oscitantia laborat. Hæc prout in marmore cubant, cælator in præsentem æneam tabulam fideliter transtulit: nos tamen idem epitaphium hoc in loco caracteribus nostra ætate usitatis reddentes, illa castigari curavimus. Hinc vers. 8. *Moderator & qui*, ita correximus, *Moderator & æqui*; uti etiam vers. 10., loco *labetirus*, positum est *labentibus*. Culpandus item est quadratarius, quod vers. 3. pro *sanguinis* scripserit *sangninis*; & in efformanda litera *E*. transversam omiserit non semel lineolam, sine qua elementi quidem *C* non autem *E*. figura exprimitur. Quod attinet ad characteris formam, qua exaratum est epitaphium, hanc sane decimo quarto, ac etiam adulto decimo quinto Ecclesiæ sæculo usurpatam fuisse novimus ex aliis sepulchralibus titulis per id tempus conscriptis, idemque scripturæ genus præferentibus. Horum exempla occurrunt Romæ in Ecclesiæ S.Mariæ Transtyberim prope Altempsianum Sacellum, & in Templo Aracœli nuncupato ad lævam ingredientium, aliaque non pauca tum in eadem Urbe, tum alibi hodiedum supersunt. Inscriptio autem enunciat, Petrum Fonseca in *Hesperiis* (non *Hispanis* quemadmodum in ipso epitaphio apud Ciaconium relato minus accurate legitur) *oris* natum: quod intellige, eum regione Lusitanum fuisse, ut ipse Ciaconius, ac Turrigius innuunt. Lusitania etenim in veteris Hispaniæ; a Græcis *Hesperia*, quod ipsis in Occidentem versus sita fuerit, appellatæ; divisione a Geographis recensetur. Petrum insuper sacro Cardinalium Collegio adscriptum, addictumque Diaconali Ecclesiæ S.Angeli in foro Piscium, titulus sepulchralis vers. 4. & ult. docet: quam dignitatem Fonseca, vulgò dictus Cardinalis Sancti Angeli senior, a Benedicto XII. seu Petro de Luna accepit, & post Synodum Constantiensem in eadem a Martino V., cujus partes secutus est, confirmatus fuit. Sacram purpuram non solum sanctitate morum, verum etiam doctrinæ splendore illustravit. Hinc idem Martinus Pontifex, Florentiæ degens cum Oratores Michaelis Imper. Constantinopolitani, petentis unionem Ecclesiæ Græcæ, cum Romana, benignissimè excepisset, *Legatum Apostolicæ Sedis pro hoc creavit Dominum Petrum de Fonte-sicii* (unde contractum videtur cognomen Fonseca) *Cardinalem S. Angeli Hispanum virum per omnia doctum*: Verba sunt scriptoris Vitæ laudati Martini V. ex Vat. Cod. editæ (*a*). Præter hanc Legationem Ciaconius alias recenset, nempe in Hispaniam, ac Neapolim ad Alphonsum Regem, Fonsecæ demandatas; qui tandem anno Domini MCDXXII. die 20. Augusti ex hac vita migravit in Vico Varronis, vulgo *Vicovaro* Tiburtinæ Diœcesis, unde Romam ejus cadaver translatum, in Vaticana Basilica sepultum fuit. De sacris Diaconalibus vestimentis, quibus sepulchrale, ac marmoreum illius simulacrum indutum cernitur, alibi diximus. Prestantium hunc S.Angeli Cardinalem alter sacri Senatus vir eximius, Jacobus Piccolomineus, Papiensis nuncupatus, cum laude meminit in epistola, cujus fragmentum dabimus infra cum de Berardi Heruli monumento sepulchrali verba faciemus.



TA-

(*a*) Inter Scriptor. Rer. Italic. tom. 3. part. 2. col. 864.

TABULA LX.

Delineatum in hac tabula occurrit sepulchrale monumentum Ardicini senioris Della Porta, qui Diaconus Cardinalis SS. Cosmæ & Damiani a Martino Papa V. fuit designatus. Longum est palmos VIII. semis, altum circiter V., opus anaglyphicum ex marmore, quod nunc in Cryptis veteribus sub fornice Boreali adservatur: olim vero in Basilicæ veteris Sacello in Divi Thomæ Apostoli honorem dicato extabat, ut palam fit ex Ichnographica Alpharani Tabula (a): Quod quidem Oratorium a Card. Ardicino optime fuisse dotatum, idem Alpharanus (b) testatur, ac Turrigius (c) ex quodam Ms. hæc verba refert: *Capella S. Thomæ Apostoli Jurispatronatus DD. de Familia della Porta Novariensis. Tenetur Cappellanus Sacrum peragere bis in hebdomada*. Jacet ipsius Ardicini simulacrum, mitra, & annulo in dextera ornatum, manipulum læva deferens, atque diaconali dalmatica indutum, de quibus vestibus alibi diximus: caput pulvinari sustentatur, cujus, uti etiam dalmaticæ, & manipuli, ornamenta acu picta, affabre celator marmore effinxit. Alterum insigne gentilitium in superiori hujus tabulæ parte delineatum, ad sepulchralis monumenti latus, quo jacentis statuæ pedes vergunt, positum eernitur; alterum ad lævam prostat epitaphii, sic habentis:

Hic de la Porta jacet Ardicinus utroque
Jure tenens primum Doctor in Orbe locum.
Primus & orabat per Consistoria causas,
Justiciam summa religione colens.
Post ad Cardineum merito exaltatus honorem
Inter Apostolicos sedit & ipse Patres.
Talem, Roma, tibi Lombarda Novaria misit
Insignem generis nobilitate virum.
Qui obiit anno Domini MCCCCXXXIIII.
Die VIIII. *Aprilis*.

Sepulchralem hanc Inscriptionem refert quidem Ciaconius, sed mutilam: omisit enim tituli postremam partem, qua certus notatur emortualis annus, mensis, ac dies ejusdem Cardinalis Ardicini. Idcirco Auctor iste inscriptum lapidem haud inspexisse videtur, præsertim cum dicat (d) Ardicinum Romæ e vivis migrasse *die 9. Aprilis ex Contelorio, ex aliis verò 5. Idus Augusti anno* 1434. Si epigramma legisset in ipso marmore, ex eo utique illos emendasset, qui Ardicini obitum ad V. Idus Augusti protrahunt. Turrigius autem, qui procul dubio Inscriptionem ipsam, eique subjectam chronicam notam ob oculos habuit, miror sane cur scripserit (e) Ardicinum doctissimas S. Leonis Magni epistolas Paulo II. nuncupasse, qui anno MCCCCXIV., ac proinde nonnisi post XXX. annos ab Ardicini Senioris obitu, Divi Petri Cathedram ascendit. Itaque Turrigius aut significatum voluit, Ardicinum litteras S. Leonis dicasse Petro Barbo, qui postea Romanus Pontifex sub Pauli II. nomine renunciatus fuit; aut Cardinali Ardicino seniori id perperam adtribuit, quod fortassis referri debet alteri Cardinali Ardicino juniori nuncupato, cujus ætas cum Pauli II. Pontificatu bene componitur. Illud silentio non prætermittam, quod epitaphii incisor, etsi Romanas majores litteras haud satis concinne formaverit, ac nonnullas sic aliis inseruerit, ut unam in medio, & veluti in ventre alterius collocarit, quemadmodum in aliquot Inscriptionibus

(a) Num. 73. (b) In Ms. ad eumdem num. 73. (c) Crypt. Vatic. pag. 426. (d) Vit. Pap. & Card. tom. 2. col. 848. (e) Crypt. Vatic. pag. 425.

nibus (*a*) infimi, ac medii ævi conspicimus; veterum tamen Romanorum imitatus est morem, quo illi quum verba ita continua ponerent, ut discerni vix possent, nisi punctis singula distinguerentur, in plerisque titulis voces singulas punctis singulis sejungebant, præter finales versum, ubi nullam distinctionis notam addiderunt. Ipse autem cælator postremum hujus epigrammatis carmen lineolis in crucis formam expressis terminavit, & plura alicubi puncta contexuit: quod ornatus gratia ab eo præstitum fuisse arbitror. Cæterum Ardicinus ex civilis, atque canonici juris peritia in epitaphio maxime commendatur; & antequam sacrâ purpura donaretur, Advocati Consistorialis munus obiisse dicitur: ideoque merito Cartharius (*b*) & post hunc nuperus de Romano Gymnasio Scriptor Joseph Carafa (*c*) illum in Advocatorum Consistorialium censum retulerunt. In quarto versu Justiciam pro Justitiam legimus: Literas namque *C* & *T* varie permutari, & *condicio* pro *conditio* veteres libros, atque lapides tenere, Christophorus Cellarius (*d*) opportune animadvertit.

TABULA LXI.

Ad borealem Sacrarum Cryptarum partem extat marmoreum, quod in hujus tabulæ n. 1. exhibetur, Cardinalis Baptistæ Zeno stemma gentilitium; reliquiæ, ut censeo, peculiaris sui Sacelli in meridionali Veteris Basilicæ Vaticanæ latere, ab Alpharano (*e*) memorati. Fuit autem Baptista Zeno Pauli II. ex sorore nepos, anno MCCCCLXX. Archipresbyter ejusdem Basilicæ designatus, eique collata summa auctoritas, qua Apostolici in ipsa Vaticana Basilica Vicarii nonnulli ab aliquot Pontificibus aliquando donati fuerant (*f*): Ob impensa multa aureorum millia Piis Locis sustentandis, exornandisque merito a Ciaconio, & Ughellio (*g*) commendatur: Præcipue vero laudibus Zenonem celebravit Angelus Gabrielius Patricius Venetus in funebri ipsius Cardinalis oratione, quam nonnullis Augustini Valerii operibus anno 1719. Veronæ editis adnexam pag. 226. & seq. licet percurrere. Turrigius (*h*) & Ciaconius (*i*) Inscriptionem recitant, quæ in ædificio ab eodem Cardinali prope Vaticanum S. Petri Templum ad Austrum erecto extabat, & sic habet: *Baptista Zeno Venetus, Episcopus Tusculanus, Card. S. Mariæ in Porticu, & Episcopus Vicentinus, a fundamento erexit anno MCCCCLXXXIII.* De Sacello, ubi, ut mox innuebam, gentilitium hoc signum extitisse opinor, monumentum suppetit in Ms., cujus fragmentum Turrigius (*k*) profert in hunc modum: *Baptista Zeno Venetus, a Paulo II. avunculo in locum demortui Riccardi Constantiensis, Archipresbyter Sancti Petri assumptus, rexit Archipresbyteratum ann. 30. mens. 8. dies 28. Oratorium in Basilica* (Vaticana) *Sixti IV. sacello proximum pro Elisabetha Matris animæ salute, cujus adhuc tumulus in sacrarii vestibulo cernitur, camerato opere ædificavit, ornavitque, quod inde novi templi gratia dejectum est, in quo legebatur inscriptio, quod idem Cardinalis, Elisabetha pientissima Matri Missæ Sacrificio imploraturus opem, aram dicavit. Obiit Patavii die 8. Maii 1501. hora 12.* Vixit autem annos 62. menses 10., ut prædictus Gabrielius in funebri laudatione testatur. Patavio autem ejus corpus Venetias delatum, in elegantissimo sepulchrali monumento ad magnæ aræ similitudinem extructo tumulatum fuit.

X Sub

(*a*) Apud Murator. Thesaur. Inscript. tom. 4. pag. 1831. num. 9., & Romæ in Eccles. S. Sabinæ.
(*b*) Advocat. Sac. Consist. Syllab. pag. xxvi. (*c*) Pag. 493. (*d*) In Ortograph. Latina pag. 20. edit. Venet. CIƆIƆCCXXXII. (*e*) Tabula Ichnograph. litter. p. (*f*) Bullar. Vatic. Basil. tom. 2. pag. 234. & seqq. (*g*) In Episc. Vicent. tom. 5. pag. 1064. (*h*) Crypt. Vatic. pag. 427.
(*i*) Vit. Pap. & Card. col. 1112. tom. 2. (*k*) Crypt. Vatic. pag. 426. & seq.

Sub præsentis Tabulæ num. 2. delineatum occurrit sepulchrum Innocentii Noni Patria Bononiensis, qui Joannes Antonius Fachinettus antea vocatus, cum duos tantùm menses in Pontificatu egisset, die 30. Decembris anni MDXCI. e vivis abiit. Ejus cadaver ad Borealem Vaticanæ Basilicæ partem lateritio tumulo prope sepulchrum Marcelli II. conditum fuit (a). Inde amotum, Paulo V. novi templi fabricam perficiente, in sacras Cryptas est deportatum, ubi nunc ad Aquilonem jacet. Rem ita narrat Jacobus Grimaldus (b): *Die 3. Septembris MDCVI. . . . . apertum fuit sepulchrum lateritium fel. rec. Innocentii IX. inter Marcellum II. & Urbanum VII., & corpus depositum sub fornice novi pavimenti in ejus arca plumbea. Amictum erat casula aurea, aliisque papalibus infulis, mitra aurea, annulo, & Crucifixo ante pectus. Corpus integrum, caput jam corruptum*. Anno MDCXLVIII., dùm ad Ecclesiæ Lateranensis reparationem, nova jacerentur fundamenta, Silvestri II. Rom. Pont. reserato tumulo, ejus corpus crucem argenteam gestans repertum fuisse, Rasponus (c) memoriæ prodidit. Ex quo vetus mos sepeliendi Fidelium cadavera cum cruce, aut Jesu Christi Crucifixi imagine ex argento, vel ex alia materia mihi videtur facile evinci. Cæterum arca illa plumbea Innocentii ossa continens, marmoreo est munita sarcophago, cujus anterior pars, seu facies tribus constat tabulis calce connexis, media scilicet, & hinc inde duabus aliis insculptam Crucem præferentibus: tabula vero superior sarcophagum claudens, integra est, longitudine palm. Rom. IX. latitudine IV. semis. Tumulus Inscriptione caret, sed in ejus fronte hæc tantum leguntur verba: *Innocentius Papa IX.*

TABULA LXII.

IN veteris Basilicæ minori navi ad meridiem extabat (d) Cardinalis Berardi Heruli sepulchrale monumentum haud ignobile pario ex marmore compactum, statuisque nonnullis, & aliis ornatibus pariter marmoreis decoratum; quo ob novi templi fabricam disjecto, statuæ illæ, & ornamenta in sacris Cryptis, ut alibi adnotavimus hac illac posita sunt; & Cardinalis ejusdem tùm ossa, tùm simulacrum jacens opere Anaglyptico elaboratum longitudine palm. Rom. VIII. semis, atque pontificalibus indutum vestibus, quemadmodum in præsenti Tabula gentilitio simul cum stemmate exhibetur, in boreali parte collocata fuerunt (e). In ipsa Tabula accuratiùs quam apud Ciaconium, & Ughellum refertur, epitaphium damus eidem Herulo positum, viro sane scientia, multisque virtutibus præclarissimo, & eximio Justitiæ cultori, qui a Nicolao V. Sacræ Rotæ Auditor, Romæque Vicarius, & Spoletanus Episcopus renunciatus, deinde a Pio II. Cardinalis S. Sabinæ electus, & Abbatia Trium fontium in Commendam donatus anno MCCCCLXXIV. Spoletana Ecclesia dimissa, ad Cathedram Sabinensem transiit (f). Perusinam Legationem summa æquitate gessit; & sibi visus est ea occasione, quam mox referam, Cardinalis dignitatem sustinere, imo sustinuit, ut apud Ciaconium (g) animadvertitur: Nam filium secundogenitum Ferdinandi Neapolitani Regis Romæ a Sixto IV. hospitio susceptum invisere, licet alii Patres id fecissent, renuit, arbitratus non decere, ut S. R. E. Cardinalis filium secundogenitum Regis censum Apostolicæ Sedis eo honoris genere prosequeretur. Herulum Pius II. non solùm in Commentariis cum laude meminit, verum etiam in

(a) Alpharan. Tab. Ichnograph. num. 103., & Oldoin. apud Ciacon. tom. 4. col. 240.
(b) In Lib. Instrum. pag. 94. (c) De Basilica, & Patriarchio Lateran. lib. 1. cap. 18.
(d) Alphar. Tab. Ichnogr. num. 71. (e) Turrig. Crypt. Vatic. pag. 427. seq.
(f) Ughell. Italica Sac. in Episc. Sabinens. & Spolet. (g) Tom. 2. col. 1036.

in publico Consistorio voluit hoc elogio commendatum: *Berardus Episcopus Spoletanus apud Narniam non ignobili loco est natus, qui cum per scholas Italiæ Cathedras magna cum Auditorum dilectione, atque utilitate rexisset, tandemque Romanam Curiam accessisset, a Nicolao Prædecessore nostro, qui ejus doctrinæ culmen admirabantur, in Palatium receptus, Referendariatus officium accepit, in quo ita se gessit, ut omnia sibi crederet. Nam verbum ejus verbum veritatis fuit, & jam tum dignus Cardinalatu judicatus fuit. Apud Callixtum quidem carissimus fuit, nec ad Promotionem ejus aliud obstitit, quam invidia paucorum. In nostra vero familia receptus ob famæ singularis odorem, & nostram gratiam, & Aulicorum omnium benevolentiam meruit, primusque semper apud nos habitus est, cum & prudentiam ejus & fidem, & doctrinam & admiraremur & diligeremus*. Ad hæc Berardus Ecclesiastici reditus, quem in usum impendi debeant, suo exemplo docuit, cum Narniæ Monasterium elegans, & in Vico Montis Rosuli, seu Monte Roseo Ecclesia cum Nosocomio pauperibus Terræ illius extruxit proprio ære. Qua de re Jacobus Cardinalis Piccolomineus per literas Herulo est gratulatus, *opus*, inquiens, *opportunum, & pium, tùm professioni nostræ conveniens .... Porro autem felicem Ecclesiam! Suspiravi, si illi multi Spoletani contingerent. Qua in re venere in mentem Patres nonnulli, qui in Domino dormierunt, Sanctæ Crucis, Cæsarinus, Firmanus, De Cusa, ac nuper S. Angeli Hispanus, per quorum sanctas actiones commendatum est ministerium nostrum. Comparans inde, qui nunc sumus, & quam in paucis religio, quamque in paucioribus expectatio Religionis, vicem Romanæ Sedis indolui; vosque vel unum, vel cum paucis putavi: pro cujus valetudine & vita misericors rogandus sit Dominus*. Hæc Epistola exarata fuit Pientiæ die 7. Augusti anno 1472. ac enumeratur quadringentesima quinquagesima quarta inter literas Cardinalis Papiensis, Francofurti prælo excusas, in qua editione, uti etiam in Mediolanensi, inscriptio recitatæ Epistolæ est *V. Cardinali Spoletano*, sed loco V legi debet B nempe *Berardo*: alia enim Epistola eidem Herulo ab ipso Piccolomineo, sive Papiensi anno 1473. Mense Januario data hanc præfert inscriptionem; *B. Cardinali Spoletano*. Attamen ex promiscuo apud veteres usu literæ *V* pro *B.*, nullus dubito; quin ii *Verardum* pro *Berardo* pronunciare, ac scribere potuerint.

TABULA LXIII.

Quæ hic exhibentur tria monumenta in cubiculo sacrarum Cryptarum ad Australem partem asservantur. Sub num. 1. delineata cernitur sepulchralis tabula Joannis Podii. Virum hunc, ut Ughellus (a) narrat, Bononiæ ortum, in ejus Urbis Ecclesia Cathedrali Canonicum, jurisprudentia eruditissimum, Nicolaus V. Pontifex successorem suum in Archiepiscopali Sede Bononiensi designavit. Romæ Gubernatorem præfecit, & Viceccancellarii munere auxit. Podius vero paucos post dies ab ejus in Urbem adventu, qui mense Septembri ann. MCCCCXLVII. contigit, e vivis decessit non sine propinati veneni suspicione. Alpharano teste (b) sepultus est in veteri Principis Apostolorum Basilica ante Altare S. Thomæ, quod in ejusdem sacræ ædis minori navi meridionali extabat. Epitaphium, quod prælaudatus Nicolaus V. defuncto poni jussit, ab Ughello refertur (c) in hunc modum:

(a) Ital. Sac. tom. 2. in Episc. Bononien. col. 34. & 35. (b) Tab. Ichnograph. num. 73.
(c) Loc. cit. col. 35.

Joanni Podio Episcopo Bonon. jurisconsult.
doctissimo & sanctiss. Nicolaus V. Pont.
Max. sacrum fieri jussit.

Epigraphem hanc accurate fuisse descriptam haud equidem affirmo. Non enim hodie tota patet Inscriptio, cum sepulchralis tabula vel mutila sit, vel inferior ejus pars alteri suppostita marmori lateat. Gentilitium Podii stemma eidem sepulchrali tabulæ insculptum simplex est, non compositum, quemadmodum apud Ughellum occurrit; in ipso enim stemmate, quod hic Auctor delineandum curavit, in scuto supra sex clivos aliud apparet insigne alterius forsitan familiæ cum Podiis affinitate conjunctæ.

Ad recentiorem ætatem pertinet aliud sepulchrale monumentum, quod num. 2. oculis subiicimus. Joanni Baptistæ Perbenedicto positum fuit, ac olim in veteris Vaticanæ Basilicæ extabat secretario, ubi tumulus erat proprius Familiæ de Perbenedictis, ut auctor est Alpharanus (a). Joannis Baptistæ titulos prosequitur epitaphium, quod tamen Turrigius (b) haud solertissime descripsit. Prout lapidi incisum legitur, in hac tabula damus. In penultimo ejus versu nota compendiaria FRI vox *Fratri* designatur.

Recentioris item ævi monumentum est, cujus schema hic num. 3. profertur. Sub marmorea hac tabula opere diaglyphico cælata tumulatum fuit corpus Francisci Bandini Picolominei; qui dùm Cameræ Apostolicæ Clericus ageret, ex Joannis Cardinalis Picolominei, cujus ex sorore Montanina nepos erat, cessione Archiepiscopus Senensis anno Domini MDXXIX. est renunciatus; quique Senis orta seditione, Romam profectus, præter alios honores ei collatos a Summis Pontificibus, Fabricæ Vaticani templi deputatus, & Urbi Gubernator eligitur: Vir etiam plurima excultus eruditione, Pii II. commentaria prælo tradi, ac luce publica donari curavit, quamquam ea Joanni Gobellino ejusdem Summi Præsulis a secretis perperam adscripserit (c). Quæ de muneribus, atque dignitatibus a Francisco administratis perstrinximus, ejusque laudes paulo uberius Ughellus (d) exequitur, at indiligentiam prodit, dum ait, epitaphium ita se habere:

D. O. M.

Franc. Band. Archiepiscopo Senarum, ut in S. Andrea
ossa hic requiescunt.

Secus enim in exemplari legitur, ut facile videre est in ipso, quod nunc repræsentamus marmore, cui ærea tabella affixa est, hanc præferens inscriptionem:

D. O. M.

Fr. Ban. Picol.
Archiep. Senen.
Ut in base D Andreæ
Ossa
Hic resurrectionem
Expectant.

Illud *in base Divi Andreæ*, statuam denotat Sanctissimi hujus Apostoli, quam Franc. Band. Picolomineus in veteris Vaticanæ Basilicæ minori navi ad meridiem in ejusdem Apostoli Sacello erigendam curavit, & infra ipsum simulacrum sibi tumulum elegit. Huc pertinet aliud epigramma Tab.LXXVI. relatum, quod consule.

TA-

(a) Loc. cit. num. 145. (b) Crypt. Vatic. pag. 433. (c) Vide, quæ adnotavimus sub finem explicationis Tabulæ XXXIII. (d) Tom. 3. col. 579.

TABULA LXIV.

Sepulchralis marmorea Tabula Agnetis, sive Agnesinæ Columnæ Honorato Caetano in matrimonium traditæ hic exhibetur: In Vaticana Basilica veteri, non longe a porta, quam *Judicii* appellarunt, olim extabat, Alpharano teste (*a*); inde vero in sacras Cryptas delata, in cubiculo ad Aquilonem nunc asservatur. Longa est palmos Rom. fere x. lata amplius v. æneisque fulget ornamentis non paucis, inter quæ eminet gentilitium stemma, ubi Familiæ Caetanæ, & Columnensium gentis insignia conspiciuntur. Ex eadem sunt materia duo genii, quorum uterque facem gestat. Æreis quoque literis epitaphium scriptum fuisse, Turrigius (*b*) admonet; hodie vero diaglyphis characteribus, excavato scilicet marmore incisum apparet. De illustri hac femina altum plane silentium est apud Dominicum de Sanctis, qui Columnensium procerum imagines, ac memorias nonnullas collegit. Pompam funebrem, qua nobilis Matronæ cadaver ad Sancti Petri Basilicam delatum fuit, illius ætatis Auctor his verbis a Turrigio (*c*) prolatis describit: *Die 29. Aprilis MDLXXVIII. fuit funus Illustriss. D. Agnesina Columna uxoris D. Honorati Caetani defunctæ, ab ejus Domo, quæ in via sacra sita est, usque ad Basilicam Sancti Petri circumeundo per Plateam Sancti Jacobi in Burgo; comitatæ fuerunt quamplurima societates Laicorum, & Ordines Religiosorum; Pueri Orphanorum, & Sancti Spiritus detulerunt funalia* 150. *& ultra, præter candelabra magna, quæ per Bajulos Sodalitatum ferebantur. Feretrum, ubi corpus defunctæ jacebat, deferebatur per viros nobiles, ejus familiares, lugubri veste indutos. Sequebatur D. Honoratus Caetanus ejus vir inter Archiepiscopum Rosianensem* (eumdem scilicet, qui postea in Sancti Petri Cathedram evectus, Urbanus Septimus est appellatus) *a sinistris, & Auditorem Cameræ a dextris, & post eum filii ejus, & nepotes a dextris Prælatorum, quos officii causa deduxerunt: tum multi Cubicularii S. D. N. intimi, ac magna Civium, & Curialium frequentia; & fuit pompa insignis*. Commemorata in hoc Diario *via sacra*, non ea sane est, de qua Horatius Satyra IX. aliique prisci Auctores cum inprimis Ethnici, tum etiam Christiani meminerunt, & quæ erat juxta templum Romuli, sive Romæ, ubi nunc SS. Cosmæ, & Damiani extat Ecclesia; sed illa proculdubio intelligitur quam in Leonina Civitate hodie vulgus appellat *Borgo vecchio* (*d*). Qua in hanc viam patebat ingressus ex veteri area Vaticana, inclitæ familiæ Cibo (antequam ingentem illam columnarum seriem erigendam, & miro ordine disponendam curaret Alexander VII.) existebat Palatium, cui ædes adjacebant, in quibus Agnesina Columna extremum diem obiit, ut prælaudatus Turrigius (*e*) observat.



TA-

(*a*) Tabulam Ichnograph. num. 86. (*b*) Cr. Vat. pag. 431. (*c*) Cr. Vat. pag. 431. seq.
(*d*) Idem Turrig. pag. 138. (*e*) Ibidem pag. 432.

TABULA LXV.

MArmoreum utrumque sepulchrale monumentum, quod in hac tabula exhibetur, in antiqua Vaticana Basilica ad meridiem in S. Thomæ Apostoli Sacello extabat (*a*), nunc vero in boreali Sacrarum Cryptarum parte visitur in cubiculo, ubi nonnulli id genus lapides asservantur. Sub num. 1. occurrit monumentum Maffioli de Lampugnano Episcopi Plocensis. Plocum, seù Ploczko est Poloniæ inferioris urbs Episcopalis sub Archiepiscopo Gnesnensi. Qua vero occasione Maffiolus huic regendæ Ecclesiæ præfectus fuerit, Martinus Cromerus in sua Historia de origine & rebus gestis Polonorum refert (*b*). Stiborio Plocensi Episcopo vita functo, Henricus Zemoviti Masovii filius, successor est designatus. At hic cum jam Subdiaconus, repudiato Sacerdotio, uxorem duxerit, paucisque diebus veneno extinctus, temerati voti pœnas dederit; re cognita Bonifacius IX. Romanus Pontifex Mamphiolum seù Maffiolum, de quo agimus, propinquum suum, Plocensem inauguravit Antistitem, eo quia Plocense Collegium Sacerdotem alium sibi Episcopum eligere cunctaretur. Sed Maffiolus possessionem Episcopii adipisci minime potuit, adversantibus Ducibus, sacroque & Equestri Ordine: idcircò Pontifex Jacobum Corskevium, seù Curduanovium Equitem Polonum, Jureconsultum, & Auditorem Palatii Apostolici, in locum ejus suffecit. Romæ ille e vivis excessit, & in Vaticano Necrologio VI. Kal. Augusti commemoratur hisce verbis: *Obiit Reverendus Pater Dominus Maffiolus Episcopus Plocensis, qui reliquit nostræ Basilicæ unum Calicem, duo Candelabra, & duas ampullas de argento ponderis* IV. *librar. vel circa, & pro uno Missali Ducat. auri viginti unum. Fiat anniversarium pro anima sua omni anno dicto die in Cappella S. Thomæ sita in dicta Basilica, vel in loco consueto Capituli, in quo expandatur florenus unus.* His luculentissime evincitur, prælaudatum Maffiolum ab Epiphanio Gizio (*c*) perperam dictum fuisse Episcopum Polensem: Pola enim Civitas in Venetorum Ditione profecto alia est ab Urbe Ploco in Polonia inferiori, ut paulò ante adnotavimus. Gizius ea in re sequutus fuit Turrigium (*d*) qui tamen hanc suam hallucinationem in correctionum folio Operis de Cryptis Vaticanis posteriori editioni in multis exemplaribus adnexo, castigavit. Retulit etiam, sed parùm accuratè ipsius Maffioli epitaphium in margine sepulchralis monumenti incisum. Hanc nos epigraphem etsi qua par est diligentia inspexerimus, integram tamen dare non valemus, utpote incedentium pedibus partim consumptam partim ingenti marmore obductam; & in hunc modum recitamus;

Hic jacet Reverendus Pater Dñus
Maffiolus de Lampugnano de
Mediolano Episcopus Plocensis . . . . . .
Dñi PP. Referend. qui obiit
Anno Domini MCCCLXXXXVI.
Die XVII. *Julii In pace*.

Sic etiam paucis verbis mutilum epitaphium hocce exhibet Tiberius Alpharanus in sua veteris, novique Templi Vaticani Descriptione (*e*), qui liber apud ejusdem Basilicæ tabularium manuscriptus asservatur (*f*). Quod in eadem Inscriptione legitur, Maffiolus scilicet die XVII. Julii obiisse non convenit cum Vaticano Necrologio, in quo

emor-

(*a*) Alphar. Tabula Ichnogr. num. 73., & 77. (*b*) Lib. 15. inter Polonicarum rerum scriptores Joannis Pistorii Nidani tom. 2. pag. 640. (*c*) Descrizione della Basilica Vaticana pag. 88.
(*d*) Crypt. Vatic. pag. 432. & 599. (*e*) Pag. 18. (*f*) Sign. num. 5. lt. G.

emortualis dies hujus Episcopi Plocensis, ut supra vidimus, ad VI. Kal. Augusti, nimirum ad diem 27. Julii alligatus reperitur. Crediderim vetusti Necrologii fidem esse præferendam; & quadratarium altera nota x oscitanter omissa XVII. pro XXVII. in marmore excalpsisse. Ex epitaphio illud quoque notandum, Pontificii Referendarii titulo, ac munere decoratum fuisse Maffiolum de Lampugnano, ex qua familia duos veteres Antistites, nempe quinquagesimum octavum Andream appellatum, & octuagesimum septimum nomine Philippum, Ughellus (*a*) inter Mediolanenses Episcopos recenset. Et hæc satis de Maffioli Monumento sepulchrali, quod palmos Rom. III. latum est, fere VIII. longum: ac licet gentilitia insignia Defuncti præferat, hæc tamen ita consumpta sunt, ut vix, aut ne vix quidem agnosci queant.

Alterum sepulchrale monumentum, cujus hic num. 2. schema exhibemus, latitudine palm. III. cum dimidio, longitudine palm. IX. semis protenditur, & est Theobaldi de Rougemont, sive de Rubeomonte. Vir iste generis nobilitate, ac virtute præclarus, primum Matisconensi præfuit Ecclesiæ, tum Viennensis Archiepiscopus, ac demum Bisuntinus fuit renunciatus, ut animadvertunt Sammarthani Fratres (*b*), & Joannes Jacobus Chiffletius in libro, cui titulus *Vesontio Civitas* &c. (*c*) Henricus Spondanus ad annum Christi 1414. ex Concilii Constantiensis actis MS. Bibliothecæ Regiæ illud item observat, Theobaldum ad eam synodum advenientem prætendisse ex privilegio Ecclesiæ suæ concesso, Papam in prima visitatione teneri sibi tribus passibus occurrere: at Joannem Pontificem id recusasse, & Causam Placentino, & Aquilejensi Cardinalibus commisisse. Quid ab his deliberatum fuerit, in prædictis actis non legitur. Ratum tamen est, Constantiensis Synodi Patres Sessione VI. decrevisse (*d*), ut Joannes XXIII. Papa aliis, quibus uti vellet ad sui Pontificatus renunciationem procuratoribus, pro Natione Gallicana Theobaldum quoque Archiepiscopum Bisuntinum adnumerare, seu procuratorem ad hoc negocium constituere deberet. Jam aliquot ante annos, videlicet ann. Domini MCCCCVII. zelum præsetulerat Theobaldus ad extinguendum Ecclesiæ teterrimum Schisma, dum eo anno testis adfuit gestis in Massilia per Petrum de Luna Benedictum XIII. nuncupatum, & nuncios Angeli Corarii nempe Gregorii XII. ad ipsum Schisma delendum (*e*). Romæ tandem e vivis decessit, ac in veteri Basilica Vaticana in S. Thomæ Sacello honorificè tumulatus fuit, marmorea, de qua loquimur, tabula ei posita, præter Defuncti imaginem, & gentilitium stemma, hanc quoque Inscriptionem præferente: *Anno Dñi MCCCCXXIX die XVI. Septembris tempore Sanctissimi Domini Martini PP. Quati, Pontificatus sui anno XII. Reverendiss. in Christo Pater Dñus Theobaldus de Rubeomonte Archiep. Bisuntin. magnus delegatione assumpta gloriosa, in hac Urbe in Domino obiit, & sub hoc lapide corpus suum generalem mortuorum expectans resurrectionem repositum quiescit. Anima ejus in sinu Abrahæ collocetur. Amen.* Hoc epitaphium, quod in ejusdem lapidis circuitu incisum fuit, nunc vero aliqua ex parte exesum est, nec Chiffletius, nec Sammarthani Fratres prælaudati meminerunt; ac Turrigius quidem retulit (*f*) sed non sine mendis recitavit. Quæ autem verba in marmore ipso legere haud licuit ex Alpharano supplevimus, qui eumdem titulum exscripsit, & commemorato suo Operi (*g*) inseruit. Ne mireris Lector in hac Inscriptione annum æræ Christianæ MCCCCXXIX. cum anno XII. Pontificatus Martini Papæ Quarti conjungi. Id factum censeo ex errore quadratarii, qui loco *Quinti* in marmore exaravit *Quati*. Oddo enim Columna in Constantiensi Concilio anno salutis 1417. in Romanum Pontificem electus, quem procul dubio Summum Antistitem denotat epitaphium, Martinus *Quartus* minime dici potest, sed passim *Quintus* appellatur, tametsi *Tertius* numerari deberet. Nam inter Sanctum Martinum hujus nominis Primum, qui anno Domini DCLV. ad cælestem patriam migravit martyrio coronatus, & alium Summum Antistitem, qui anno Christi MCCLXXXI. in Sancti Petri Cathedram evectus est, & Martini *Quarti* nomine insignitus, cum tamen dicendus esset

(*a*) Ital. Sac. tom. 4. pag. 90. & 175. (*b*) Gallia Christiana tom. 1. pag. 132. (*c*) Part. 2. pag. 292. (*d*) Apud Lab. tom. XVI. concil. col. 93. edit. Venet. (*e*) Apud Martene tom. 7. Veter. Script. & Monum. col. 753. (*f*) Crypt. Vatic. pag. 433. (*g*) Pag. 19.

esset *Secundus*; ex Romanis Pontificibus nullus reperitur, qui Martinus vocetur, sed duo recensentur nomine *Marini*, quorum alter subrogatus Joanni VIII. obiit anno salutis 884., alter vero anno Domini 946. vita functus est. Quæ in ipso epitaphio adhibetur phrasis: *Anima in sinu Abrahæ collocetur*: exemplis haud caret. Pervetus quippe Inscriptio posita *Innocenti Amantio ..... quiescenti in sinu Abrahæ, Isac, & Jacob in pace Christi Domini* &c. apud cl. Muratorium legitur (*a*).

TABULA LXVI.

SUB num. 1. hic præfertur tabula sepulchralis marmorea, quæ in sacris Cryptis Vaticanis ad borealem partem in parvo cubiculo humi jacet, ac lemmate superposito sic notatur: *Sepulchrum nobilis cujusdam Galli &c.* Quandoquidem vero lapis valde consumptus est; Inscriptio ad tabulæ oras circum exarata, varie lecta fuit. Hanc enim Turrigius (*b*) ita refert: *Hic requiescit corpus Nobilis Militis Ilicen. de Francia, qui obiit anno Domini MCCCXCIV. Indict. 11. die VI. Mense Februarii*. At epigraphes in hunc modum exscripta vereor ne exemplari adamussim non respondeat, tum quia reticet proprium defuncti nomen in Epitaphiis exprimi solitum; tum etiam quia plura sane exemplar ipsum, quam prolatum ectypon continet; ut equidem ex utriusque collatione satis intellexi, licet verba marmori incisa, & in præsens obliterata percipere nequiverim. Jacobus Grimaldus in MS. Libro Instrumentorum ita legit: *Hic requiescit corpus Nobilis viri Ilebisebel e Franc. ... anno Dom. MCCCLXXXXIV. Ind. 11. die VI. mens. Februarii*. Tamen Petrus Detoi, humanis literis eximioque ingenio præditus, veriorem, ut puto, hujus Epitaphii lectionem est assequutus sic legendo: *Hic requiescit corpus nobilis mulieris Ubal e France Vidue de Neapoli Renate .... Neapoli que obiit anno Domini MCCCLXXXXIV. Ind. 11. die VI...* Ubi in marmore habetur UBAL E fortassis legendum UBALDE, litera D suppleta. Hoc autem proprium nomen aliis mox sequentibus verbis copulatum, indicare videtur personam familiæ de Francis seu Francorum, a Perrio (*Istor. Napolet. pag.* 103. *&* 108.) aliisque memoratæ tanquam in nonnullis Neapolitani regni urbibus claræ. Et Nicolaum Francum Sedis Apostolicæ notarium ad sedanda Hispanorum regum dissidia a Sixto IV. Pont. legatum fuisse, *Raynald. ad an.* 1475. *num.* 14. *& seq.* refert. In gentilitia tessera baltei patent, in scutaria tamen coronide vestigia tantum remanent sculptarum avium, quas Turrigius perperam dicit montes, nec Alpharanus in MS. *pag* 18. recte descripsit.

In S. Petronillæ æde ad Vaticanum (*c*) tumulatus fuit Joannes de Villiers, qui & *de la Groslaye*, seu Langrolasius cognominatur, vir nobilis natione Gallus, anno Domini MCCCCLXXIV. electus Abbas Monasterii S. Dionysii Parisiensis. In Lumbariensem quoque Episcopalem Cathedram evectus, multisque clarus legationibus, in Hispanias præsertim, atque Germaniam, Francofurti pacem cum Maximiliano Romanorum Rege, filio Friderici III. Imperatoris sancivit; ex Hispania ad Conventum Sandionysianum, pacem inter Franciæ, & Hispaniæ Reges initam fuisse, an. 1477. scripsit, celebrique pompa maximas hac de re gratias Deo agi voluit. Conspicuus item editis ab se Commentariis in Petrum Lombardum Magistrum Sententiarum, sermonibus ad populum, & Orationibus ad Papam, & Cardinales, anno MCCCCXCIII. ab Alexandro Sexto Pontifice sacra est purpura, & Sanctæ Sabinæ titulo donatus; cumque Regius Orator nomine Caroli VIII. Galliarum Regis apud Sedem Apostolicam ageret, in Urbe e vivis decessit; quemadmodum narrant Ciaconius (*d*) & Fratres Sammarthani (*e*). Quin & in Ms. Diarii fragmento, quod re-

fe-

(*a*) Tom. 4. Inscript. pag. 1825. num. 7. (*b*) Crypt. Vatic. pag. 432. (*c*) Vide Alphar. Tabulam Ichnogr. lit. *d*. (*d*) Tom. 3. col. 168. & seq. (*e*) Gallia Christiana tom. 7. col. 406.

ferunt idem Ciaconius, ac Turrigius (*a*); ita notatum legimus: *Die 6. Augusti MCCCCXCIX. obiit Joannes Tit. S. Sabinæ Cardinalis S. Dionysii, & delatus, & sepultus in Basilica S. Petri in Cappella S. Petronillæ die 7. comitatus a Clero S. Petri, Fratribus Minervæ, Aracœli, S. Augustini, de Populo, Carmelitanis, & S. Marcelli, factis vigiliis ab XI. Cardinalibus, inter quos fuerunt Cæsarinus, Borgia, Grimanus, & Senensis*. Hæc præfati sumus ad illustrandam ipsius Cardinalis Langrolasii marmoream sepulchralem effigiem, anaglyphico opere exsculptam, quam sub hujus tabulæ num. 2. delineandam curavimus. Simulacrum hoc visitur in Sacrarum Cryptarum cubiculo superiùs memorato; palmos Rom. VIII. in longum superat, & affabre cælatis sacerdotalibus vestibus, mitra insuper, chirothecis, atque annulis in dextro ac finistro pollice, ornatum occurrit. Casula, quam tunicæ, & dalmaticæ superpositam aspicimus, ad latera non est accisa, sed more veterum perampla: quod observatione dignum est in hoc monumento ad XVI. æræ Christianæ seculi initium spectante, nempe circa annum MD. constructo: hinc quippe intelligimus, priscam casulam, seù planetam, circulatim ad pedes demissam, totumque corpus involventem, qua veteres, ut plurimum utebantur, antiquam formam per id tempus retinuisse, nec in aliam decurtatam & ad latera apertam, saltem universe, degenerasse. Insalutatum haud prætereibo ejusdem Casulæ Prygianum ornatum, quem sculptor plurima diligentia repræsentavit. Scilicet ornatus ille tænia est, eidem casulæ veluti adsuta, atque ad ejus limbum recta e pectore defluens; ac nullus fere dubito, quin lati clavi & imaginem referre, & nomen jure possit sibi vindicare. Me non latet, complures rerum antiquarum peritos existimasse, clavorum vocabulo, cum de Romanorum tunicis sermo est, particulas, sive segmenta purpurea vestibus insuta intelligi oportere; quibus quidem particulis latioribus uterentur viri Senatorii, *Laticlavii* propterea dicti; angustioribus vero equites, ob id *Angusticlavii* nuncupati. At Rubenius, qui rem vestiariam plurimum illustravit, prædictos clavos, non segmenta ex purpura, sed purpureas lacinias, sive institas ex humeris ad infimas vestium oras descendentes fuisse judicat (*b*). In Rubenii sententiam abierunt Patres Congregationis Sancti Mauri, qui novissimam operum S. Gregorii Magni editionem adornarunt. Nam recitata eorum Auctorum opinione, qui tunicarum, & dalmaticarum clavos fuisse bullas quasdam purpureas, veluti clavorum capita vestibus intextas, mox subiiciunt (*c*) probabilius sibi videri eos clavos purpureas lineas fuisse, sive lineas, quæ medias vestes intersecabant; cum illos Alcuinus, & Remigius *virgulas*, Amalarius, & Honorius Augustodunensis *lineas*, Joannes Diaconus *zonas*, & Rabanus *tramites* appellaverint, quemadmodum Tibullus aureos clavos in femineis vestibus *vias* dixit: paucisque interjectis, iidem Maurini Patres observant, in præsbyterorum casulis latum clavum perseverare. Expositam Rubenii opinionem suo etiam calculo comprobavit Monachus apprimè doctus Maurus Sarti in Dissertatione, quam de veteri casula *diptyca* anno MDCCLIII. typis edidit. Attamen Rubenium ipsum asserentem *chrysoclavum esse quoddam picturæ genus*, refellit; solidisque argumentis decernit (*d*) chrysoclavum, seù vestes chrysoclavas, quarum pervulgatus Anastasius, sive Liber Pontificalis passim meminit, eas esse, quæ aureis clavis hoc est aureis tæniis, seù institis ornatæ, tùm Romæ, tùm alibi in sacrarum ædium picturis, atque musivis conspiciuntur. Casula igitur, quæ in marmorea Langrolasii effigie repræsentatur, aliæque eidem similes, uti etiam dalmaticæ pari ornatu, tæniis scilicet aureis micantes; vestes clavatæ, & græcolatina voce Χρυσoclavatæ, nempe auro clavatæ, vel auriclaviæ, sive institis aureis insignitæ, merito dici posse videntur.

Quæ huic sepulchrali monumento incisa erat Inscriptio, jamdudum intercidit, aut alicubi latet. Sed eam licet mutilam Ciaconius (*e*) & Turrigius (*f*) referunt in hunc plane modum:

Y *D. O. M.*

(*a*) Crypt. Vatic. pag. 578. (*b*) De re vestiar. lib. 1. cap. 2. (*c*) Not. in Epist. 107. lib. 9.
(*d*) Cit. Dissert. de vet. casula cap. 3. (*e*) Tom. 3. col. 170. (*f*) Cr. Vat. pag. 430.

D. O. M.

Joanni Langrolasio Gallo
S. Dionysii Abbati
Episcopo Lumbariensi
Presb. Card. S. Sabinæ
Cardd.
Alex. & Senen.
Et Perer. Rotæ Auditor
Execut. Testam. MCCCCC.
Ætatis suæ x.....

Si Turrigio loc. cit. scribenti, Alexandrum Cardinalem Farnesium, ad Sancti Petri Cathedram sub Pauli III. nomine postea evectum, alterum fuisse ex duobus Cardinalibus, qui ultimam Langrolasii voluntatem sunt exequuti, audiamus; compendiatum in hoc epitaphio verbum *Alex.* deberet Alexandrum ipsum Farnesium designare: at meo quidem judicio Cardinalem denotat *Alexandrinum*, scilicet Joannem Antonium de S.Georgio, cujus meminit Paris de Grassis iter Julii II. Bononiam enarrans apud Gatticum pag. 10. voluminis 2. (incœpti prælo dari, sed postmodum editio intercepta) Actorum selectorum Cæremonialium S. Romanæ Ecclesiæ. In hac autem Inscriptione Alexandrinus utpote Presbyter Card. Tit. Sanctorum Nerei & Achillei anteponitur Senensi Cardinali Diacono S. Eustachii, etsi ob creationem antiquiori. Ad hæc, perperam apud Ciaconium in octavo hujus epitaphii versu legitur *Pestr.* loco *Perer.*, ut bene habetur apud Turrigium. Nam Cardinales Alexandrinus, & Franciscus Piccolomineus Senensis nuncupatus, una cum Guillelmo Pererio, sive de Pereriis Rotæ Auditore ultimam Langrolasii voluntatem executioni mandarunt, & monumentum posuere. Certe Guillelmus Pererius is est, qui commemorat cum inter epistolas Cardinalis Papiensis pag. 52. edition. Mediol. 1506., tum in Burchardi Diario, ubi ille dicitur Sacræ Rotæ Decanus vita decessisse 17. Novembris MD., ac postridie ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Populo, ejus collegis funus comitantibus, delatus. Quamquam verò de Langrolasii virtutibus prolata epigraphes omnino sileat, ejus tamen pietatem, & munificentiam indicat non modica pecuniarum summa, quam Langrolasius impendit in constructionem egregii simulacri ex pario marmore, Deiparam, quæ Christum Jesum e cruce depositum sinu gestat, repræsentantis, & Michaelis Angeli Bonaroti opera elaborati: quod sane mirandum, ac præstantissimum sculpturæ opus in prædicta S. Petronillæ primum, deinde vero in Sixti Quarti seu Vaticani Chori æde expositum fuit, ubi diù extitit; ac demum in ejusdem S. Petri Basilicæ Sacello, quod SS.Crucifixi appellant, anno MDCCXLIX. collocatum.



TA-

TABULA LXVII.

AD lævam ingredientium veterem Sancti Petri Vaticanam Basilicam situm erat, ut in Alpharani Tabula Ichnographica (*a*) videre licet, secretarium; in quo Romani Antistites sacra facturi, vestes induebant sacrificio congruas, & inde ad altare solemni ritu procedebant. In hac æde olim extabat, delineata hic num. I. Deiparæ Virginis imago gestantis puerum Jesum qui globum, Mundi nempe symbolum, dextera sustinet. Tabula alta est palmos III. semis, lata fere III. & a Petri Perusini Pictoris celeberrimi alumno coloribus expressa perhibetur (*b*), atque in Cryptarum fornice, qui boream respicit, ad altare collocata nunc visitur cum Inscriptione hujusmodi: *Effigies hæc Dei genitricis Mariæ erat in antiquo secretario, quod postea dictum fuit Sacellum Sanctæ Mariæ de Febribus, hic anno MDCXXXI. sub Urbano VIII. exposita*: Cave tamen, ne hanc effigiem existimes eamdem esse cum illa *Sanctæ Mariæ de Febri* nuncupata, quæ etiam aliquandiu in prædicto Secretario exstitit (propterea *Sacellum Sanctæ Mariæ de Febribus* & ipsum appellarunt) & quæ in hodierno sacrario nunc religiose asservatur. Plura si scire hac de re cupias, consule historicam Descriptionem (*c*) Altarium, & Reliquiarum Basilicæ Sancti Petri a viro solertissimo Raphaele Sindonio ex Archivi Capitularis Vaticani monumentis concinnatam.

Bini Angeli, qui in hac tabula num. 2. & 3. notantur, sub commemorato Cryptarum fornice ad prædicti Altaris latera muro affixi hodie conspiciuntur, palm. Rom. fere III. semis in altum extensi. Marmorei sunt, pingui tamen Minerva cælati. Juvenili ætate florentes (nunquam enim senescunt, ut Gulielmus Durandus (*d*) observat) recte ab Sculptore sunt pro more effigiati. Quem locum olim in Basilica veteri occupaverint, & cuinam usui fuerint, mihi incompertum.

TABULA LXVIII.

CArdinalis Ardicini de la Porta junioris patria Novariensis sepulchrale monumentum, quod nunc in boreali Cryptarum parte collocatum cernitur, Tabula hæc repræsentat. E marmore admodum affabre exculptum est, in altum palm. Rom. IV., in longum VIII., & in veteris Templi Vaticani sacello ad Sanctæ Thomæ Apostoli honorem erecto, meridiem versus, uti Alpharanus (*e*) tradit, olim existebat. Ardicini simulacrum supra urnam jacet, sacris vestibus, casula, dalmatica, tunica, alba, manipulo, & manicis, seù chirothecis indutum, ac pretiosa mitra ornatum; de quibus vestimentis cum alibi dixerim, in præsentiarum sileo. Unum tamen animadversione dignum existimavi: scilicet marmorea hæc imago quatuor habet annulos; tres quidem in dextera, alterum in pollice, alterum in digito medio, tertium in auriculari, seu minimo; quartum vero in medio lævæ digito. Illud sane apud veteres in more positum fuit, ut Principum, Nobiliumque virorum Ecclesiastica etiam dignitatem fulgentium cadavera, pluribus annulis decorarentur, & cum eisdem sepelirentur. Hujus rei exempla suppetunt bene

 mul-

(*a*) Litt. dd. (*b*) Turrig. Crypt. Vatic. pag. 284., & 434. (*c*) Pag. 86. seq. (*d*) Rational. Divin. Offic. lib. I. cap. 3. num. 8. (*e*) Tabula Ichnograph. num. 76.

multa: Unum vel alterum indicare, abs re non est. Corpus examine Ludovici Card. Scarampi, seù Media rota, a sacrilego fure honoratissimis vestibus, & *annulis* nudatum fuisse, memorat Canensius in Pauli Secundi vita (*a*). Cardinalis Rotomagensis cadaveri *annulos* item, quos gestabat, furtim sublatos memoriæ prodidit ad ann. MCDLXXXIII. Notarius de Nantiportu in suo Diario Romanæ Urbis (*b*). Paris de Crassis sacris cæremoniis Præfectus inter alia, quæ Julium Secundum Pontificem extremo morbo laborantem sibi demandasse narrat, illud quoque recenset, nimirum: *Jussit .... ut albo aureo panno suum corpus induerem; addiditque velle, quod in manibus suis duos annulos pretiosos ponerem, quos mihi se daturum promisit; & in Cappella Sixtina* (Vaticanæ Basilicæ) *se locarem, sic ibi permanendum, quoad sepulchrum suum, quod jam inchoari mandaverat, perficeretur*. Ita Paris de Crassis apud Joannem Baptistam Gatticum in sua cæremonialium Diariorum collectione (*c*) (quæ tamen collectio admodum utilis, quum ipsius Auctor ex Regularibus Canonicis Lateranensibus, eruditione æque ac pietate, & modestia clarissimus, immatura morte raptus fuerit, imperfecta adhuc remanet, non solum quia schedas a Gattico relictas digerere, atque ordine disponere, valde arduum, ac perdifficile censeatur, verum etiam ob nonnullorum suggestionem.) Remotiori quoque ætate in Principum tumulis una cum eorum cadaveribus res pretiosas recondi consuevisse, aliis exemplis prætermissis; evincit Mariæ Stiliconis filiæ, & Honorii Imperatoris conjugis sarcophagus anno Domini MDXLIV. referatus; ubi complures annuli, gemmæ, & alia pretiosa sunt reperta, quæ Marlianus (*d*) Bosius (*e*) aliique descripserunt. Quo sane referri potest illud Venerab. Bedæ Presbyteri effatum, qui animadvertens exanime Jesu Christi Corpus a Josepho ab Arimathæa fuisse munda sindone involutum, ait (*f*): *Ex simplici sepultura Domini ambitio Divitum condemnatur, qui ne in tumulis quidem possunt carere divitiis*. Lex quoque duodecim Tabularum vetuit aurum cum Defunctis condi. Ea tamen nec semper, nec ubique viguit: multas quippe divitias in tumulos fuisse conjectas, ex Plauti, Terentiique Comædiis admonemur. Hinc in sepulchris notulæ istæ inscriptæ: I. M. I. S. I. B. A. idest: *In memoria ista sunt intus bona abscondita*: Vel. IN. HC. MM. S. P. SI. FN. hoc est: *In* hoc monumento sunt pecuniæ sine fine; ut Aldus Manutius explicat in Commentario de veterum Notarum explanatione, quæ in antiquis monumentis occurrunt. Hæc obiter adnotasse operæ pretium duxi, ut cum in hoc opere, & alibi passim sepulchralia simulacra plures annulos gestantia, tibi Lector, occurrerint, memoria repetas Summorum Principum, ac prædivitum, nobiliumque virorum morem, quo iidem non solum viventes, sed etiam defuncti, ipsorum scilicet cadavera multis annulis decorari solebant.

Una cum sepulchrali, de qua diximus, Ardicini junioris statua, ac urna, & gentilitio stemmate, ejus pariter epitaphium marmore insculptum apud Ciaconium, atque a Turrigio relatum, in Cryptis Vaticanis asservatur. Hoc in præsenti etiam tabula accuratius exhibetur; ejusdem quippe Cardinalis laudes, præcipua munera, ætatem, ac annum, diemque emortualem enunciat. Is profecto Ardicini senioris, cujus sepulchrum Tabula (*g*) delineatum dedimus, ex legitimo filio Nepos, virtutibus, ac rebus præclare gestis avo minime inferior; quum Florentiæ Vicarium Episcopalem ageret Pauli Secundi Edictum in Florentinos non sine capitis periculo promulgavit. A Sixto IV. supplicibus libellis referendis præfectus, Aleriensi Pontificatu donatus est. Magnum verò nomen sibi comparavit, postquam Fridericum III. Imperatorem, & Matthiam Hungariæ Regem, diù & acerrime de ipso Hungariæ Regno (*h*) contendentes mirificè composuit. Tum ad Urbem reversus prælaudati Sixti IV. jussu supplices libellos signavit, quod munus etiam obivit sub Innocentio VIII., a quo Presbyter Cardinalis SS. Joannis, & Pauli renunciatus fuit. Verum haud multo post unice Deo vacare cupiens ex ejusdem Pontificis Innocentii per-mis-

(*a*) Pag. 41. ex edit. Card. Quirini. (*b*) Apud Murator. tom. 3. part. 2. Scriptor. Rer. Italic.
(*c*) Tom. I. pag. 434. (*d*) Topograph. Urb. Rom. lib. 5. cap. 21. (*e*) Rom. fotterr. lib. 2. cap. 7.
(*f*) Lib. 4. cap. 27. in Matthæum. (*g*) Tabula LX. (*h*) Platina in Pauli II. vita.

missione, dimisso Cardinalis habitu, ad Camaldulenses se contulit; quamquam id ægre ferente Cardinalium Collegio, Romam ab ipso Innocentio revocatur, ubi paucis elapsis mensibus ex hac vita ad cœlum migravit anno Christi MCCCCXCIII. pridie nonas Februarii, quemadmodum habet ejus epitaphium in hac Tabula diligenter incisum; non autem *Novembris* ut perperam legitur in eodem sepulchrali titulo apud Ciaconium relato. Egregia ejusdem Cardinalis Epistola, in qua sui ad Camaldulenses recessus Summo eidem Innocentio Antistiti rationem reddit, refertur apud prælaudatum Ciaconium (*a*), in quo plura ad Ardicinum juniorem spectantia legesis. Ejus quoque mortem literis mandavit Burchardus in suo Diario (*b*) ad diem IV. Februarii 1493. in hunc plane modum: *Reverendissimi Domini, Neapolitanus* (is est Cardinalis Oliverius Carafa) *&* *Senensis* (nempe Franciscus Piccolomineus) *Cardinales circa horam* 20. *venerunt ad domum Cardinalis Aleriensis, vocati a fratre ejusdem Cardinalis, ac eum agonizantem repererunt. Et circa horam* 23. *prædictus Card. Aleriensis Catholice emisit spiritum. Obiit in ultimo peroxysmo febris quartanæ, in quam* 3. *die mensis Septembris proximo præteriti incidit, & quæ ab eodem die citra ipsum nunquam reliquit, sed cum multiplicibus accidentibus eum continue molestavit. Cardinalis sepultus fuit in capella baptisterii juxta capellam Sancti Andreæ & Gregorii sitam in Vaticano ante memoriam Andriani* (Lege Ardicini) *della Porta avi sui Cardinalis*. Tum die 4. Martii sic habet: *In Basilica S. Petri habitæ sunt exequiæ bonæ memoriæ Card. Aleriensis parato prius castro doloris. Omnia alia more solito facta fuerunt, excepto, quod exequiæ hujusmodi non per novem dies, pro ut fieri solent pro Cardinalibus, sed bodiè tantum propter defuncti paupertatem. Funesti fuerunt* 172. *vel circa, & nullus prælatus. Primi fuerunt fratres Cardinalis defuncti*.

TABULA LXIX.


ABsis Vaticani Templi veteris a Severino, & Innocentio III. Romanis Pontificis instaurata, & antequam deiiceretur anno MDXCII. accuratè, ac fideliter coloribus delineata in charta pergamena (*c*) ex quo quidem schemate ipsam tabula incisam Joannes Ciampinus (*d*) & Conradus Janningus (*e*) ediderunt, maxixa vetustate commendatur. Hujus concinne tessellati operis fragmentum est, quod in hac tabula num. 1. signatur altum palmos 11. semis, & in ambitu confessionis Beati Petri ad borealem regionem modo visitur, tametsi alia in Cryptis Vaticanis loca quondam occupasse, ex Turrigio (*f*) colligitur. Cum primo in Deiparæ vulgo *della bocciata*, ac etiam *de Febri* nuncupatæ sacello positum fuit, hac inscriptione distinctum est: *Imago S. Pauli Apostoli ex ruinis absidæ veteris Basilicæ ab Innocentio Papa III. musaico opere exornatæ, hic posita anno MDCVII. Paulo V. Pont. Max.* Postea vero non procul inde translatum alio epigrammate, quod in præsentiarum extat, notatum fuit, nempe: *Hæc S. Pauli musivæ imago erat in absida Innocentii Papæ III. ante altare S. Petri, hic anno MDCXXXI. affixa*. Inscriptiones hujusmodi, idcirco recitare placuit, ut planum fiat musivum hocce fragmentum expressam in prælaudata abside effigiem Sancti Pauli Apostoli referre: in ipso etenim caput quidem inspicimus, sed antiquitate ita exesum, ac deformatum, ut Sanctissimi Gentium Doctoris vultum ibi repræsentari, nonnisi prolatorum epigrammatum ope nobis innotescat,

(*a*) Tom. 3. col. 126. & seq. (*b*) Apud Eccardum Corp. Histor. med. ævi col. 2021. & 2023.
(*c*) Asservatur hæc in Vaticanæ Basilicæ Tabulario, ejusque similitudo cum Archetypo, sive originale, ex Instrumento ipsi chartæ subjecto demonstratur. (*d*) De sacris ædificiis Tabula XIII.
(*e*) Tom. 6. part. 2. Junii Bollandiani. (*f*) Crypt. Vatic. pag. 72. & 238.

ſcat. In prædicta ſane abſide Paulus ſtabat, pallio, atque tunica indutus, barba parùm promiſſa, diademate cinctus caput, facie ac dextera in Chriſtum converſis, ſiniſtra vero volumen explicatum, & pendulum gerens, in quo verba illa ad Philippenſes c. I. v. 21. legebantur: *Mihi vivere Chriſtus eſt*: ſcilicet; mihi eſt, dum inter vivos ago, ſervire Chriſto, atque in ejus Evangelii prædicatione, qua verbo, qua ſcriptis inſudare.

De muſivo altero, in latitud. palm. III. cum quadr. in altitud. palm. IV. protenſo, cujus figuram in hac tabula num. 2. aſpicitur, ſatis exploratum eſt illud quidem fragmentum eſſe antiquæ abſidis Baſilicæ S. Pauli in via Oſtienſi; ex qua translatum in ambitu Confeſſionis Beati Petri ad borealem regionem paucis ab hinc annis muro affixum fuit. Rem mihi enarravit D. Joſeph Octaviani in teſſellatis, varieque picturatis operibus conficiendis peritiſſimus, qui ruinoſum prædictæ abſidis Paulini Templi muſivum, innovandum ſuſcepit, egregieque ſuo eſt munere perſunctus. Porro imago hæc pallio albi, atque tunica cærulei coloris induitur, circulo autem ſeu diademate cingitur caput, cui intorti, & criſpi, breveſque inſunt capilli: imberbis etiam apparet; eamque ubi contuli eum ſingulis effigiebus, quæ nunc in Paulinæ Baſilicæ inſtaurata abſide conſpiciuntur; appoſita illarum cuique propria nomina me docuerunt, hac noſtra Tabula Sanctum Thomam Apoſtolum, aut Sanctum Philippum pariter Apoſtolum repræſentari. Et hic quidem, ut in memorata abſide cernitur, chartam manu ad genua pendentem geſtat, in qua legitur, *Glorificamus te*: alia vero charta, quam eodem modo defert S. Thomas, ſic habet: *Gratias agimus tibi*:

In prædicta Vaticanæ Confeſſionis parte extat alia Tabula marmorea operis anaglyphici hic num. 3. deſignata, latitudine palmor. IV. cum quadr. altitudine vero palm. III. & quadr. totidem. Hæc ſane ciborium, ubi ſacra lancea religioſe aſſervabatur, olim ornavit. De Tabula fere gemina alibi (*a*) me dixiſſe memini. Ne igitur actum agam, illud tantummodo hoc in loco adjiciam, prælaudatum ciborium, quo per XXX. circiter gradus ligneos erat aſcenſus, anno Domini MDVII. a Julio II., novi Templi Vaticani extruendi cauſa fuiſſe everſum: tum Simone Bonadies Divi Petri Canonico & Imolenſi Epiſcopo curante, in aliam veteris ejuſdem Baſilicæ partem delatum, ſacris Reliquiis cuſtodiendis, populoque oſtendendis adhibitum fuit: ſacrum autem Lanceæ ferrum in aliud Joannis VII. ciborium, ubi Veronica, nempe Vultus Sanctus, jampridem aſſervabatur, die 22. Novembris MDVII. repoſitum eſt: ut ex Ms. Libro Inſtrumentorum Demetrii Guaſelli pag. 410. (*b*) Turrigius (*c*) prodit.



TA-

(*a*) Tabula XII., & LXXIV. (*b*) Extat hic liber in Vaticanæ Baſilicæ Archivo.
(*c*) Crypt. Vatic. pag. 214.

TABULA LXX.

Nobile quidem, satisque amplum Sacellum ad chori usum in veteri Vaticana Basilica ad meridiem Sixtus hujus nominis IV., ut ipsemet in suis literis Bullario ejusdem Basilicæ insertis (*a*) testatur, extruendum curavit. Abside ornatum erat; in cujus superiori parte imago Deiparæ Seraphinis circumdatæ, in inferiori autem dextrorsum Divus Petrus, & S. Franciscus, ac prælaudatus Pontifex Sixtus in modum orantis, sinistrorsum verò Divus Paulus, & S. Antonius Patavinus conspiciebantur. Hujus Sacelli, anno Domini MDCIX. solo dejecti, ruderibus annumeratur paries, qui latitudine palmos duos cum tribus quadrantibus, altitudine vero palm. tres cum quadrantibus totidem extensus, in Subterraneo Vaticanæ Confessionis ambitu Boream versus prostat, & Apostolorum Principis effigiem coloribus eleganter expressam exhibet, quemadmodum in præsentis Tabulæ figura num. 1. signata videre est. Super hoc monumentum ista olim inscriptio legebatur (*b*): *Imago Beati Petri ex ruinis Sacelli Xisti IV.* cui postea hæc altera substituta fuit: *Imago hæc Sancti Petri Apostoli erat in Sacello Xyxti III.* (legendum est, *IIII.*, & sic oscitantis lapidicæ mendum castigandum, uti Turrigius (*c*) correxit) *Papæ, hic posita MDCXXXI.* Iconem vero, de qua nunc sermo est, aliam fuisse oportet ab ea, quam laudata absis præseferebat. In hac enim Tabula, binam auream clavem, ut Turrigio placet (*d*), dextera Petrus gestat; ac sinistra apertum tenet librum, in quem oculos intendit: Verum in abside illa Princeps Apostolorum secus delineatus apparet; dexteram scilicet super Sixti Pontificis humeros ponit, & lævam sustollit; ut docemur ex ejusdem absidis extypo, quod in Criptis Vaticanis non longe ab Altare S. Mariæ Prægnantium nuncupato cernimus, quodve etiam Turrigius (*e*) describit. In alia igitur Sixtini Sacelli parte, non in ejus abside extabat S. Petri imago, de qua modo loquimur. Pictæ cujusdam Tabulæ tum certum locum, tum etiam Auctorem luculenter indicat Georgius Vasarius cum de Balthasare Perutio Senense agens, ita inquit (*f*) *Finì in S. Pietro la Facciata della Cappella maggiore di peperigni già stata cominciata da Bramante: e nella Cappella dove è la Sepoltura di bronzo di Papa Sisto (IV.) fece di pittura quegli Apostoli, che sono di chiaro scuro, nelle nicchie dietro l'Altare.* Ac eidem egregio Pictori imagines in sæpedicta abside expressas Turrigius (*g*) aliique attribuunt; quamquam Jacobus Grimaldus (*h*) ipsis imaginibus recensitis, mox ita adnotat: *Opus Petri de Perusia egregii Pictoris.* Forsitan Grimaldus melius vidit, quam Turrigius & alii. Si enim anno MCCCCLXXIX. quo Sixtinum Sacellum pompa solemni consecratum fuit, illius absis jam picturis ornata erat; non Balthaxari Senensi, sed Petro Vannucio Perusino opus adjudicandum videtur: quum per id tempus hic quidem in pingendi arte præstantissimus haberetur; ille vero Perutius aut nondum aut vix natus esset, ut colligitur ex epitaphio, quod in Sanctæ Mariæ ad Martyres eidem Balthaxari Perutio a conjuge, & filiis positum anno 1536. enunciat, ipsum annos dumtaxat LV. vixisse. (*i*). Cum his tamen id recte conciliari potest, quod paulò ante ex Vasario deprehendimus, scilicet Balthaxarem Senensem, ipsum quoque sua ætate in pingendi arte certe præstantissimum, imagines Apostolorum in lucunlamentis pone Altare Sixtini Sacelli depinxisse: hoc enim nonnisi longe post annum MCCCCLXXIX. Perutius effecerit. Cæterum in hac eadem pictura, quod ad San-

(*a*) Tom. 2. pag. 205. (*b*) Turrig. Crypt. Vatic. pag. 34. (*c*) Ibi p. 238. (*d*) Ibid. p. 34.
(*e*) Ibid. pag. 146. (*f*) In opere, cui titulus: Vite de più eccellenti Pittorl &c. part. 3. vol. 1. pag. 141. (*g*) Crypt. Vatic. pag. 146. (*h*) Cujus verba ex Ms. vir solertissimus Raphael Sindonius refert in historica Descriptione Altarium, & Reliquiarum Vatic. Basil. pag. 104. (*i*) Hoc epitaphium Vasarius loc. cit. integrum refert.

Sancti Petri formam attinet, illud notandum succurrit, recalvum apparere ipsum Apostolorum Principem. Ac certe in ejus *Periodis*, sive Itinerario, Clemens Pontifex apud S. Hieronymum lib. 1. Commentariorum in Epistolam ad Galatas cap. 1. v. 18. refert, Divum Petrum *calvitiem habuisse in capite*, sicque in nonnullis monumentis cernitur. Attamen complures Tabulæ ab Aringhio tom. 1. Rom. Subterr. pag. 295. 613. & 623., atque fragmenta vitrea a Bonarotio Tabula X. XI. XII. XIV. &c. proferuntur, in quibus ejusdem Apostoli verticem, & superioris partem frontis capilli tegunt: atque in hunc modum Petrus delineatus aspicitur in picta eaque vetusta Tabula, quæ in Vaticano Templo religiose asservatur, & penes S. Silvestrum I. Pont. Max. fuisse dicitur.

In præsentis Tabulæ figg. 2., & 3. spectantur quoque ejusdem Apostolorum Principis, & S. Pauli marmoreæ imagines opere non poenitendo cælatæ, quæ in altitudinem palmos v. superant; ac in veteri Vaticana Basilica sepulchrum Berardi Heruli Sæculo XV. Cardinalis clarissimi olim ornabant, nunc vero in ambitu Confessionis Beati Petri ad Boreale latus muro sunt affixæ. Uterque Apostolus tunicam, & pallium, librum item, ac soleas gestat, de quibus alibi dictum est: Petrus insuper duplicem clavem funiculo obligatam, Paulus vero gladium tenet. Ad hæc Sancti Petri verticem, ac frontem crispis, densisque capillis cælator distinxit, qua in re neutiquam est reprehendendus, ut ex iis, quæ paulò ante dicebamus inferre licet: At in eo minime probandus, quod eodem fere modo S. Paulum expresserit. Lucianus quippe, sive alius Auctor, qui Trajano imperante vixit, in Dialogo *Philopatris* ipsum Doctorem Gentium sub Galilæi nomine in tertium usque cœlum per aerem ingressi, ἀναφαλαντίαν atque ἐπίῤῥινον, idest recalvum, & naso justo aut aquilino prædirum dicit (*a*). Profecto hujusce vetustissimi scriptoris testimonium me movet, ut antiquis vitris apud Bonarotium (*b*) exhibentibus Divum Paulum recalvastrum, fidem adhibeam, non item aliis id genus monumentis, quæ ab eodem Auctore allata, frontem Apostoli coma contectam præferunt. Meminisse hìc oportet, quod Beda narrat lib. IV. cap. 14., Apostolos scilicet Petrum, & Paulum apparuisse cuidam puerolo Saxoni, qui eos designavit præclaros omnino habitu, vultu pulcherrimos ac *unus quidem attonsus erat ut Clericus, alius barbam habebat prolixam*; quam sane gerit pervetusta Divi Pauli effigies apud Aringhum Rom. Subterr. to. 2. pag. 273. Verùm silentio prætereundus non est Nicephorus Callixtus, qui staturam, corporis formam, ac lineamenta vultus utriusque Apostoli sic describit (*c*). Petrus non crassa corporis statura fuit, sed quæ aliquando esset erectior, facie subpallida, & alba admodum: Capilli & capitis & barbæ crispi & densi, sed non admodum prominentes fuere: oculi quasi sanguine respersi, & nigri, supercilia prope evulsa: nasus autem longior ille quidem, non tamen in acumen desinens, sed pressus, simusque magis. Paulus autem corpore erat parvo, & contracto, & quasi incurvo, atque paululum inflexo, facie candida, annosque plures præseferente, & capite modico: oculis multa inerat gratia: supercilia deorsum versus vergebant; nasus pulchre inflexus, idemque longior; barba densa, & satis promissa; eaque non minus quam capitis coma, canis etiam respersa erat. Hucusque Nicephorus, cui Græcorum concinunt Menæa, in quibus eadem plane descriptio habetur. Huc etiam spectat Divus Joannes Chrysostomus in Homil. de SS. Apostolorum Principibus (*d*), S. Paulum appellans Τρίπηχυν, idest *tricubitalem*, qui tamen cœlos attingit: eodemque reduci potest, quod ipsius Pauli obtrectatores Apostolo objiciebant, ejus nimirum epistolas graves quidem esse, *præsentiam vero corporis infirmam* (*e*). Potuit autem Nicephorus, uti quoque Menæorum Auctor ex veteribus Tabulis, in quibus veræ utriusque Apostoli imagines essent effictæ, easdem literis commendare: quum illorum Ecclesiæ Principum effigies vel ab ipsis Reipublicæ Christianæ incunabulis pingi consuevisse ratum, com-

(*a*) Inter Luciani Dialogos pag. 1122. ex Parisina Bourdelotii edit. ann. 1615. (*b*) Tabula X., fig. 2., & Tabula XVI. fig. 1. (*c*) Lib. 2. Histor. cap. 37. (*d*) Tom. 6. oper. pag. 316. edit. Frontonis Ducæi. (*e*) II. Cor. 10. v. 10.

compertumque ſit. Ut enim Ambroſium, Auguſtinum, Chryſoſtomum, ac Joannem Damaſcenum (a) veteris hujuſce moris fidem facientes omittam, unum Euſebium Cæſarienſem proferam, qui de ſtatua, quam mulier fluxu ſanguinis laborans Chriſto Domino poſuit, locutus, hæc addit (b) *Nec verò mirandum eſt, Gentiles a Servatore noſtro beneficiis affectos hac præſtitiſſe; cum & Apoſtolorum Petri, & Pauli, Chriſtique ipſius pictas imagines ad noſtram uſque memoriam ſervatas in tabulis viderimus*: Τῶν ἀποςόλων αὐτῦ τὰς εἰκόνας Παύλυ κ̀ Πέτρυ, κ̀ αὐτῦ δὲ τῦ χριςῦ διὰ χρωμάτων ἐν γραφαῖς σωζομένας ἱςορήσαμεν. Hunc Euſebii locum ſi veteres Iconomachi, & ii qui illorum hæreſim denuo excitarunt recentiores heterodoxi, ſemoto partium ſtudio expendiſſent, in ſacras imagines debacchati non eſſent.

TABULA LXXI.

SAcellum, quod Joannes VII. Summus Pontifex, ut alibi diximus (c) in Deiparæ honorem erigi curavit, olim ornabant bina iſthæc marmora opere anaglyphico inſculpta; utrumque palmos VIII. longum, latitudine vero palmum unum ſuperans. Tanquam poſtes jamdudum oſtio aptata ſunt, quod ex Vaticanæ Confeſſionis ſubterraneo ambitu ad borealem regionem vergente, ad ipſam Divi Petri tumbam perducit (d). Aſſimiles hiſce tabulas Turrigius (e) commemorat, quarum vetuſtatem duobus circiter annorum millibus definit; nos autem ære inciſas in hoc Opere edidimus (f). Nil ſacri in eis occurrit, ſed venationis ſpecies nempe frondes, & ampla conſpiciuntur folia, varii quoque generis animalia, geniique nonnulli ex arcu emittentes ſagittas vel jaculа, ſive haſtas aut baculos manibus geſtantes, quorum pleroſque, uti etiam animalia, tanquam ex foliis illis erumpentes Sculptor effinxit. In ſuprema lapidis utriuſque parte alii etiam comparent bini genii, qui ſertum ſuſtinent: circum vero lapis ipſe ſic eſt æqualiter inciſus, ut coronæ ſpeciem cælatura præſeferat.

In eadem Boreali parte ypogæi Vaticanæ Confeſſionis affixum hodie muro eſt aliud marmor operis item anaglyphici, altitudine palm. V. cum tertio, latitudine vero ultra VI. protenſum. Pauli II. Pontificis Mauſoleum lapis iſte olim ornavit, ut ex Turrigio (g) cujus ætate marmor ipſum in Cryptis veteribus extabat, ex Epiphanio Gizzi (h), atque ex inſcriptione ſuperpoſita, monemur; tametſi in hujus Romani Antiſtitis monumento apud Ciaconium (i) ænea tabula inciſo ornamentum hujuſmodi non reperimus. Repræſentat autem Deum Patrem elata dextera benedicentem, plurima luce, radiiſque, & octo Angelis in eum venerabundis circumdatum. Ipſe Deus Pater diademate cinctus caput, tunica talari indutus, ac ſuper eam ampla veſte ad inſtar pluvialis, cujus fimbrias duo Angeli, alter a dextris, a ſiniſtris alter ſuſtollunt, amictus, throno inſidere videtur; atque ſub ſenis imagine exprimitur, qualis Danieli (k) apparuit, ut alibi (l) adnotavimus.



(a) Orat. I. de Imagin. (b) Lib. 7. Hiſtor. cap. 18. (c) Tabula III. XVIII. (d) Epiphan. Gizzi Deſcript. Baſil. Vatic. pag. 94. (e) Crypt. Vatic. pag. 484., & ſeq. (f) Tabula I. III.
(g) Crypt. Vatic. pag. 19., & 20. (h) Deſcript. Baſil. Vatic. pag. 92. (i) Vit. Pont. Roman. tom. 2. pag. 1093. (k) Dan. cap. VII. v. 9., & 13. (l) Tabula II.

TABULA LXXII.

QUÆ hìc fig. 1., & 2. exhibentur binæ marmoreæ tabulæ, affabrè elaboratæ opere anaglyphico, altitudine palmor. Roman. circiter v. in ambitu Confessionis B. Petri ad Aquilonare latus muro affixæ conspiciuntur; Pontificis autem Pauli II. sepulchrum olim ornabant, ut ex Turrigio (*a*) & Ciaconio (*b*) colligitur. Harum altera pallio, tunica, soleisque induti S. Lucæ effigiem, manibus tamen ac libro mutilam, præfert. Bos juxta ipsius Lucæ pedes insculptus occurrit, hujus nimirum Evangelistæ symbolum, ab remotissimis Christianæ Reipublicæ temporibus usurpatum; sicuti Joannes per Aquilam, Matthæus per humanam faciem, Marcus vero per Leonem symbolice designati fuerunt. Rem luculentissime testantur Urbana monumenta non pauca, scilicet musivæ absides, aut arcus Ecclesiarum S. Marci, S.Pudentianæ, & S.Clementis; musivum quoque majoris arcus Basilicæ Liberianæ Sancto Pontifice Sixto III. curante confectum, & fornix Oratorii S. Joannis Baptistæ in Laterano a S. Hilaro Antistite Romano excitati (*c*). Rationem vero, ob quam Majores nostri Evangelistas insignibus illis denoraverint, S. Hieronymus in proœmio commentarii in Matthæum suppeditat. Visionem scilicet quatuor animalium, quæ ab Ezechiele (*d*) describuntur, quatuor Evangelistis accommodat; opinatus prima hominis facie, Matthæum significari, qui quasi de homine exorsus est scribere; *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham*; Leonis autem specie Marcum exprimi, quod sui Evangelii initio vox Leonis in eremo rugientis audiatur; *Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini*; Vitulus Lucam præfigurat, qui a Sacerdote Zacharia Evangelicam historiam exorditur; demum Aquilæ facies Joannem Evangelistam adumbrat, qui assumptis Aquilæ pennis, & ad altiora festinans, de verbo Dei disputat. Sic Hieronymus, in cujus sententiam ivit Sedulius, cum ita cecinit:

Hoc Matthæus agens, hominem generaliter implet:
Marcus ut alta fremit vox per deserta Leonis:
Jura Sacerdotis Lucas tenet ore juvenci:
More volans Aquilæ Verbo petit astra Joannes.

Non una tamen hac in re fuit veterum sententia. Nam S. Augustino (*e*) ii probabilius existimasse visi sunt, qui Leonem in Matthæo, Hominem in Marco, Vitulum vero in Luca, & Aquilam in Joanne intellexerunt, quam qui Hominem Matthæo, Aquilam Marco, Bovem Lucæ, ac Leonem Joanni tribuerunt. Hinc idem Augustinus alibi (*f*) ostendit S. Joannem non immerito Aquilæ fuisse comparatum: Cæteri enim tres Evangelistæ, ait, *tanquam cum homine Domino in terra ambulant, & de divinitate ejus pauca dixerunt: istum autem quasi piguerit in terra ambulare.... erexit se non super terram, & super omnem ambitum aeris & cœli, sed super omnem etiam exercitum Angelorum, omnemque constitutionem visibilium potestatum, & pervenit ad eum, per quem facta sunt omnia, dicendo: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Quamobrem nullus dubito, quin in 2. fig. is, ad cujus pedes adstat Aquila, sit Divus Joannes Evangelista, pallio ante pectus conjuncto indutus: Senex autem a Sculptore cælatus jure fuit; nam teste Sancto Hieronymo (*g*) ille senio confectus

(*a*) Crypt. Vatic. pag. 35. (*b*) Vit. Pont. & Cardin. to. 2. pag. 1093. (*c*) Apud Ciampin. vet. monum. to. 1. Tabula LXXV. pag. 241. (*d*) Cap. 1. *Facies hominis, & facies Leonis.... facies autem bovis.... & facies Aquilæ.* (*e*) Initio lib. 1. de Consensu Evangelist. (*f*) Tract. 36. in Joann.
(*g*) Lib. de Script. Eccles. in Joanne.

fectus, sexagesimo octavo post passionem Domini anno ad superos migravit.

Hic etiam fig. 3. ob intuentium oculos ponitur tabula marmorea opere anaglyphico incisa, quæ olim Sancti Blasii Sacellum a Card. Joanne Caetano Ursino in veteri Basilica dotatum cohonestabat; & curante Card. Francisco Barberino instaurata, anno Domini MDCXXXIII. in ambitu Confessionis Beati Petri ad borealem partem muro affixa est. Latitudine superat palm. Rom. v. semis, altitudine vero palm. item v. protenditur: in medio autem lapis Deipara aspicitur Infantem Jesum in sinu gestans, & Angelis circumdata; quorum duo superiori in loco positi, musicis Instrumentis canunt, alter scilicet Lyram, alter Organum pulsat: Hinc & inde Sancti Apostoli Petrus, ac Paulus cernuntur, & hic quidem ad lævam, ille vero ad dexteram collocatus apparet; quod utique observandum est, ut hinc, Lector, deprehendas, plerumque usitatum apud veteres morem ponendi effigiem Pauli ad dexteram Petri, non fuisse perpetuum, atque constantem, quemadmodum alibi monuimus (a). Præterea in modum orantis, & flexis super pulvinare genibus ad pedes Deiparæ dextrorsum Pontifex pluviali, ac tiara uno coronamento ornata indutus, sinistrorsum vero Cardinalis quidam occurrit: & hic quidem, ut Turrigius existimat (b), Joannes Caetanus Ursinus est; ille autem Nicolaus Papa Tertius, quamquam alibi hujus Pontificis effigies barbata appareat. Sed & certiori argumento a Turrigio doceri cupio, ea Cardinalis imagine Joannem Cajetanum Ursinum exprimi. Nam etsi olim casula, sive planeta, qua Cardinalis ille amicitur, non solum presbyterorum, verum etiam diaconorum, aliorumque inferiorum Clericorum vestis communis fuerit (c), imo Diaconi in majoribus Ecclesiis etiamnum statis diebus eadem veste plicata utantur; hi tamen in antiquis operibus musivis, pictis tabulis, cælatisque marmoribus dalmatica induti exhiberi consueverunt. Quapropter satis exploratum non habeo, quod Turrigius affirmat, Cardinalem illum, casula amictum, esse Joannem Caetanum Ursinum, qui procul dubio Diaconus fuit, nec ad sublimiores gradus ascendit. De ipso enim vetus Necrologium in Capitulari Vaticanæ Basilicæ Archivo III. Kal. Septembris hæc habet: *Anno Domini MCCCXXXV. tertia indictione mens. August. obiit Reverendus Pater Joannes Gajetanus de domo Ursinorum, Sancti Theodori Diaconus Cardinalis concanonicus noster, cujus corpus requiescit apud suam Cappellam Sanctæ Mariæ Pregnantium, sitam in nostra Basilica; qui in vita sua donavit nostræ Basilicæ pro redemptione animarum Patris, Matris, Fratrum, Nepotis, & sua, terras Vinearum Serveteti, & totum tenimentum ipsius, de quibus per Cameram quolibet die octo Missæ dicantur; scilicet quatuor in Altari S. Blasii, & quatuor in Altari Sanctæ Mariæ Pregnantium, de quo præstitum fuit Sacramentum per Priorem, & Capitulum. Insuper voluit, & mandavit, quod post mortem suam, in die ista fiat Anniversarium pro anima sua, in quo expendantur x. floreni in ipso die, & manualiter.* Ex prolato Necrologii textu animadverto Jo: Caet. Ursinum Diaconali tantum ordine insignitum fuisse: sed & Turrigium corrige, qui hunc ipsum locum referens in Cr. Vat. pag. 161. pro anno MCCCXXXV. male posuit annum MCCCXXXIV. ac denique Ciaconii mendum caveto, qui to. 2. pag. 414. Vit. Rom. Pont. &c. scribit prælaudatum Cardinalem anno MCCCXXXIX. e vivis abiisse. Hic quidem Avenione obiit: inde vero ad Urbem translatus in Vaticano Templo sepultus est.



(a) Tabula X. (b) Crypt. Vatic. pag. 393. (c) Ven. Card. Thomasius in præfat. ad Responsoriale, & Antiphon. pag. 18.

TABULA LXXIII.

INter celebriora monumenta Romanis Pontificibus in Veteri Vaticano Templo olim existentia, non infimum sane locum tenet Pauli II. sepulchrum, cujus schema incisum æneà tabulà apud Ciaconium (*a*) videre est, ejusdemque partes fuerunt tabulæ quinque marmoreæ hic exhibitæ, quæ in ambitu sacræ Confessionis Beati Petri ad Aquilonare latus conspiciuntur. Ac initio quidem sub num. 1. occurrit Christianæ Fidei simulacrum, compta scilicet Juvenis, Cathedræ insidens, quæ dextera calicem (effractus tamen hic est, dum marmor transferretur) læva crucem gestat. Hujusmodi autem symbolis congrue catholica fides exprimitur. Etenim non modo crux, verum etiam calix, per quem, ut S. Hieronymus (*b*) notat, in scripturis Divinis passionem intelligimus juxta illud; *Pater si possibile est, transeat a me calix iste*; Jesu Christi veri Dei, & hominis mortem designat, Judæis quidem scandalum, & Gentibus stultitiam, præcipuum tamen Christianæ Religionis Mysterium. *Quid autem*, ait S. Leo Magnus (*c*), *inter omnia opera Dei, in quibus humanæ admirationis fatigatur intentio, ita contemplationem mentis nostræ ..... superat, sicut passio Salvatoris?*

Quæ mox sequitur alia figura, signata num. 2. symbolum est charitatis. Decoræ & ipsa insidet cathedræ, ac venustæ mulieris, nobilique amictu ornatæ speciem præfert. Infantem sinu tenet, nuda mamilla dextera lac illi præbitura: alii quoque duo pueri, unus scilicet ad sedis dextrum latus, alter ad lævum adstare videntur, quorum tamen nonnisi facies comparent ad simulacrum conversæ. Charitate præditus creaturas propter Deus casta dilectione complectitur; ad cujus fervorem denotandum, ut Cæsar Ripa in sua nova Iconologia (*d*) animadvertit, charitatis simulacrum cum flamma capiti insistente effingi, vel ejus manui cor ardens apponi consuevit. Sane præsens imago quidpiam dextera olim gerebat: quale tamen illud fuerit, utpote jam confractum, facile deprehendi nequit. Utut sit, in mulieris pectore flamma ardens aspicitur. Ignis autem metaphorà Christus Dominus charitatem, ejusque fervorem indicasse bene intelligitur, dum ait (*e*) *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Atque idipsum notat ignis ille (idest, ut conjectare licet, vapor densior, luce rubente coruscus instar ignis, in linguæ sectilis speciem (*f*) efformatus) qui die Pentecostes discipulis in cœnaculo manentibus apparuit, *seditque supra singulos eorum* (*g*). Cætera etiam charitati designandæ congruunt. Nam sub mulieris typo infantem suum, vel in utero gestantis, vel studiose curantis, atque diligentis, Dei erga Israeliticum populum amor, summaque beneficentia, non semel in sacris Voluminibus ostenditur. Sic apud Isaiam cap. XLVI. v. 3. ait Dominus: *Audite me, Domus Jacob ..., qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva; usque ad senectam ego ipse, & usque ad canos ego portabo*: Et cap. XLIX. v. 15. legimus: *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui*. Sic etiam apud Oseam cap. XI. v. 3. inquit Deus: *Ego quasi nutritius* (*pro quo in* Hebraico textu habemus, *tirgalti*, idest *assuefeci*, nimirum *pedavi, incedere feci* (*h*); quod mihi videntur significare voluisse LXX. Interpretes, qui συνπόδισα verterunt) *Ephraim, portabam eos in brachiis meis*. Quin & apud prophanos scriptores gestare aliquem in sinu est fovere, impense amare; hinc Terentius ait (*i*). *Hic non amandus? hiccine non gestandus in sinu est?*

Spei simulacrum num. 3. intuemur. Juvenis & ipsa effingitur, sedi margaritis ornatæ insidens, splendidis induta vestibus, gemmisque tum pectori, tum capiti insisten-

(*a*) Tom. 2. Vit. Pont. &c. pag. 1093. (*b*) Lib. 1. Comment. in Matthæi cap. 20. (*c*) Serm. 11. de Passione Domini. (*d*) Pag. 94. seq. (*e*) Lucæ XII. v. 49. (*f*) Tirinus in Act. Apost. cap. 2. v. 3. (*g*) Act. Apost. ibi. (*h*) Buxtorf. Lexic. Hebr. V. רגל. (*i*) Adelph. Act. IV. Scen. V.

ftentibus decora; junctis manibus faciem ad cœlum convertit, unde emanant, atque ad ipsam descendunt lucis radii, quos coronæ circumstant: alæ demum explicatæ scapulis ejus insunt, & pedibus subjacent. Quo schemate significari arbitror eum, qui Divina spe munitur, tanquam peregrinum & hospitem super Terram, Cælestem patriam auhelare, ac probe nosse, quod *maledictus est homo, qui confidit in homine* (a): idcirco in Deum erigi, verum, nec unquam deficiens bonum, bonorumque omnium Datorem; a quo non modo immortalem in cœlis gloriam, & cætera bona æternæ saluti consentanea ipse præstolatur, sed etiam in periculis, molestiis, & aliis rebus, quantumcumque arduis, Divino Auxilio superandis nihil hæsitat. Hinc Israeliticus populus in captivitate, & exilio positus, ac patriam Jerusalem suspirans, elatis in cœlum oculis ita exprimitur Deum precari: *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis* (b). Spem perinde cœlum aspicientem exhibuerunt Dardanius, & Alciatus; quorum hic ita habet;

Quæ Dea tam læto suspectans sidera vultu (c)?

Ille vero eamdem vitutem sic alloquitur:

Suspicis intento cur cœlum lumine (d)?

Atqui vota in Deum sperantium, irrita non sunt. His enim ipse Dominus æterna donavit præmia, quæ forsitan per coronas superius commemoratas designantur juxta illud Apostoli: *Reposita est mihi corona Justitiæ, quam reddet mihi Dominus* (e). Cæterum simulacri Auctorem docet Inscriptio, quam in inferiori marmoris ora incisam legimus, nempe: *Joannis Dalmatæ opus*.

Jam vero, quid notet lapis alter insculptus, num. 4. signatus, per se patet. Nam Evæ creationem repræsentat, a Moyse in libro Genesis (f) enarratam his verbis: *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumque obdormiret, tulit unam de costis ejus, & replevit carnem pro ea. Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem; & adduxit eam ad Adam*. Ac primum sub venerandi senis effigie, ut a Daniele (g) describitur, *antiquus dierum*, Deus scilicet Seraphim stipatus, ac veluti in throno residens occurrit. Marmorea imago etsi cubito, manuque dextera sit mutila; nullus tamen dubito, quin hæc ad exprimendam mulieris formationem apte cælata fuerit, sed postmodum, ut patet, confracta. Aparet quippe Adam alto somno divinitus immisso correptus ac detentus (quo significaretur sopor secundi Adam, idest Christi, quem passurus erat, quando ex ejus in cruce dormientis latere formanda esset Ecclesia per Evam figurata, ut Augustinus (h) & Beda (i) aliique explicant), atque e latere ipsius Eva erumpens conspicitur. Me non latet ea, quæ de Mulieris formatione ex Adami costa, ut mox vidimus, sacri Codices tradunt, metaphoricè a Philone (k) & Cajetano intelligi. Sed horum interpretatio explodenda omnino est, utpote absona cum Divinæ ipsi Scripturæ, tum Sanctorum Patrum sensui, qui recitatum locum historice, & quemadmodum verba ipsa sonant explicarunt. Ex eodem autem textu illud etiam colligi videtur, quod Deus costam in alium locum ab Adamo dormiente paululùm sejunctum tulerit; ibique vel multiplicata prodigio materie, vel nova etiam e limo formata, ex eadem costa Evam ædificaverit, deinde ad expergefactum Adam attulerit. Verum historiæ summam, non rationem, qua gesta res est, sculptor ob oculos ponere curavit: Sed & fluvium, qui de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum egrediebatur (l) atque vitæ arborem, aut si mavis lignum scientiæ boni, & mali idem cælator sedulus adumbravit.

Tandem in marmore, quod postremo loco hujus tabulæ sub num. 5. positum est, præ-

(a) Jerem. XVII. 5. (b) Psalm. 122. (c) In Emblemate Spei. (d) Apud Commentar. in Alciat. loc. cit. (e) II. Ad Timoth. cap. IV. v. 8. (f) Cap. II. v. 21., & 22. (g) Cap. VII. v. 9. (h) Tract. 9. in Joann. (i) In cap. 2. Genes. (k) Lib. 3. Allegor. Leg. (l) Gen. Cap. II. v. 10.

prædictum lignum scientiæ boni, & mali delineatum cernitur. Serpens arbori circumvolutus, proculdubio illum denotat; quo utpote natura callido, voluit Diabolus uti tanquam instrumento ad fallendum apprime idoneo, nempe ut Evam seduceret, ad pomi vetiti comestionem illiciendo; quemadmodum ex libro Genesis (a) constat. Nulla profecto Serpenti inerat loquendi vis, ut nonnulli ex antiquis perperam autumant: at Dæmon serpentem ingressus, ut solet energumenos, in ejus ore quasi in organo, aere colliso atque modulato, vocem humanam, non vitali actione, sed artificiali effingere, ac imitari facile potuit. Quidnam vero esse causæ dicemus, cur virginis faciem serpenti delineator aptavit? Hic certe quorumdam spectavit opinionem, ac inter alios Vincentii Belvacensis Sæculo Ecclesiæ XIII. clari, qui in suo speculo Naturali (b) sic de Diabolo Evam seducente loquitur: *Elegit etiam* (Dæmon) *quoddam serpentis genus, ut ait Beda virgineum habens vultum, ut melius deciperet, quia similia similibus applaudunt*. Sententiam hanc quæ nullo Divinæ Scripturæ testimonio, neque Sanctorum Patrum traditione, neque eruditorum Interpretum calculo fulcitur, a veritate alienam arbitror; eamque Cornelius a Lapide (c) refellit, quod monstruosum hunc serpentem; quem Deus ab initio Mundi non condidit, Eva statim exhorruisset, fugissetque. Quanti facienda sit ratio ista, non quæro. Serpentem, aut si vis quoque viperam, propria ac naturali forma præsentem aversata quidem Eva non est; euncta quippe animalia Protoparentibus nostris innocentibus omnino subiiciebantur: nec vel loquentem Serpentem ipsum illa exhorruit, ejus enim voces supernaturali virtute formari optime norat, tametsi haud satis attendit, easdem ad se decipiendam confictas fuisse. Ex scientiæ arbore hic cælata (cui adstat vas lilia continens innocentiæ symbola) fructus pendent, vel mali citrini, vel limonii speciem præferentes. Cujus autem generis fuerit arbor illa, satis exploratum non habemus: alii namque cerasum, alii vitem, alii ficum, plerique tandem malum fuisse judicant. Ad appellationis rationem quod attinet non ideo eadem arbor *lignum scientiæ boni, & mali* dicta est, quod ejus fructum comedentes aliqua scientia verè donarentur; sed quod mendax Diabolus scientiam illam transgressoribus datum iri fallaciter spoponderit (d). Ad hæc, ut Calmetius notat (e) Patrum, ac Interpretum, plerique arborem scientiæ boni, & mali metaphorice sensu interpretantur, quasi scilicet ab arbore Adam docendus esset bonum, & malum: cum enim transgressionis ipsius occasio futura esset, ita pariter argumento erat demonstratura, quantum differret status ille post crimen a primo Innocentiæ statu. Satis hæc de quinque hisce lapidibus accuratissime exculptis, quorum singuli latitudine palm. III. altitudine palm. V. superant.



TA-

(a) Cap. III. v. 1. & seq. (b) Lib. xxx. cap. 68. (c) In Genes. cap. III. (d) Tirin. in Genes. cap. II. v. 9. (e) In Genes. loc. cit.

TABULA LXXIV.

DUæ marmoreæ Tabulæ operis Anaglyphici altitud. palmor. fere v., latitud. palm. I. cum tribus quadrant. hic num. 1. & 2. exhibentur, atque in ambitu Confessionis B. Petri ad latus boreale modo prostant: quem vero olim Basilicæ veteris locum ornarent, me quidem latet; ac latuit etiam Epiphanium Gizzium, rerum, quæ in Vaticanis Cryptis reperiuntur non ignarum, ac de duabus hisce imaginibus, totidemque aliis ita scribentem (a) *stavano per ornamento in diversi luoghi della Basilica vecchia*. Quin Apostolos hæc repræsentent, vix dubito: ac licet quinam isti sint, haud certo definias; videtur tamen priori figura Divum Petrum Apostolorum Principem ex forma ipsius alibi descripta, referri; posterior autem S. Paulum designare potest. Cæterum effigies hæc integra est, sed illa manu dexterà mutila: utraque autem pallium, tunicamque, & librum sinistra gestat.

Quæ num. 3. signatur, & ipsa est marmorea tabula anaglyphico cælata opere, altitudine palm. VI. semis, latitudine palm. IV. cum dimidio, & in eadem sacræ Vaticanæ Confessionis parte ad Aquilonem vergente cernitur (b). Superne Christi Domini effigies ad pietatem excitans, inferne vero bini occurrunt alati Angeli, quorum vultus, ac gestus ad venerationem sunt compositi: in medio janua obducta auro insculpta est; quæ geminas habet partes in se quidem coeuntes, attamen haud prorsus clausa apparet: in parvulis hisce valvis lanceam, & spongiam arundini impositam cælator expressit, & utrique in medio ornatus gratia binas alas fasciculà concinne alligavit. Hujuscemodi tabula ciborium, sive tabernaculum, in quo sacra lancea a Bazajete II. Turcarum Imperatore missa ad Innocentium Octavum Pontificem condita fuit, olim ornavit. Sane ferrum illud, quo Christi latus perforatum est, postquam Anconæ a Nicolao Ronciardo Archiepiscopo Arelatensi, & a Luca Borsiano Præsule Fulginate honorifice exceptum fuit, atque ab eisdem Narniam, indeque Romam a Juliano de Ruvere, & Georgio Costa Cardinalibus Legatis anno MCCCCXCII. delatum; prælaudatus Summus Pontifex, qui cum omnium ordinum frequentia, celebrique pompa sacro pignori extra portam Flaminiam occurrit, in pulcherrimo chrystallino vase clausum, Cardinalibus, aliisque Præsulibus, cunctoque Romano Clero præcedentibus (c) ad Vaticanam Sancti Petri Basilicam die 31. Maii prædicti anni religiosissime deportavit. Quo cum pervenisset ex odeo super templi scalas populo sacrà lanceà benedixit; divinaque mysteria solemniter celebrasset, nisi ex itinere pedibus confecto defatigatus admodum fuisset; quare sacræ agendæ rei curam Dominico Cardinali de Ruvere commisit: tum venerandum pignus in suum Apostolici Palatii cubiculum deferri voluit. Ibi asservatum est ad mensis Julii diem decimam sextam; qua cum Innocentius vehementer ægrotaret, illud *Cardinales, & Collegium de Camera dicti Pontificis in Ecclesiam Sancti Petri portaverunt, & in loco, ubi inclusum est sudarium, una cum dicto sudario collocaverunt*: ut Burchardus notat (d). Diebus decem exactis Pontifex e vita migravit VIII. Kal. Augusti. Laurentius Cardinalis Cybo, patrui optimi vota adimplens, partim pecunia a summo Antistite relicta, partim propria, sacellum Deiparæ sacrum in veteri Vaticana Basilica a Sancto Gre-

(a) Pag. 93., & 94. libelli, cui titulus: Breve descrizione della Basilica Vaticana.

(b) Turrig. Crypt. Vatic. pag. 31. & 35. (c) Huic supplicationi interfuit etiam Chamisbuerch, Bajazetis II. Nuncius, qui Imperatoris nomine venerandum Lanceæ ferrum oblaturus, juxta morem ab aliis Magnorum Principum Oratoribus servari solitum Urbem fuerat ingressus, & equo vectus, mediusque Franciscum Cybum inter & Capuæ Principem procedens ad Palatium Cæsiorum in Vaticano divertit, ut ex Joannis Burchardi Diario Turrigius monet in Crypt. Vatic. pag. 212. (d) Hujus sacris cæremoniis præfecti allata verba recitat Turrigius Crypt. Vatic. pag. 212., eademque habet Stephanus Infessura apud Raynaldum ad ann. 1492. num. 16.

Gregorio III. constructum, & vetustate consumptum instaurari; ac super Altare Ciborium *ex marmoreis lapidibus opere admodum sumptuoso* (a) ad ipsum Lanceæ ferrum ea, qua decet reverentia custodiendum, Bramante Architecto celeberrimo opus dirigente (b) excitari curavit. Turrigius Auctor est (c) hoc Tabernaculum anno MCCCCXCV. absolutum, gemina eademque ænea porticula fuisse instructum, epigraphem hanc præferente: *Hic est Ferrum, quo Christi latus apertum fuit*; in eoque sacram ipsam Lanceam, die 12. Novembris anno Domini MD. ab Andrea de Valle Crotonensi Episcopo & Vaticanæ Basilicæ Canonico esse reconditam. Hæc de prælaudato Cyborio observanda censuimus, quoniam illius pars & ornamentum fuit marmorea ipsa tabula num. 3. hic exhibita. Videsis Tabulam XII. & LXIX.

TABULA LXXV.

VEteris Basilicæ ingressis januam, quæ *Guidonea* dicebatur (d) dextrorsum aderat nobile sacellum sive oratorium in Deiparæ honorem a Pontifice Joanne VII. erectum, ac musivo opere decoratum, ut ex vulgato Anastasio Bibliothecario antea monuimus, cum Tabulam III. & XVIII. & alias, in quibus nonnulla cernuntur monumenta ipsum sacellum olim ornantia, illustravimus. Musivi illius particula est, quæ hic fig. I. exhibetur, alta palm. circiter II., lata totidem, & in ambitu Confessionis B. Petri ad aquilonare latus muro affixa; ac super eam posita est inscriptio hujusmodi: *Hæc B. Virginis musiva imago erat ad sacellum Joannis Papæ Septimi*. Ob diuturnitatem valde nunc detrita est; in eo autem sacello expressa erat junctis manibus, oculisque conversis in Christi Jesu quatuor clavis cruci suffixi imaginem (e), quæ etsi interciderit, ejus tamen ectypon apud Angelum Rocca in Commentario de Sanctæ Crucis particula in Apostolico Sacrario asservata, & apud Ciampinum in opere de ædificiis a Constantino Magno erectis Tabula XXIII. cernitur. De imaginibus in eodem tessellato opere expressis loquitur S. Gregorius II. in Epistola ad Leonem Isaurum, Ecclesiæ annalibus a Baronio ad annum DCCXXVI. inserta, cujus etiam laciniæ nonnullis observationibus illustratæ in Bullario Vaticanæ Basilicæ to. I. pag. 8. & 9. leguntur.

Occurrunt fig. II., & III. duo Angeli marmore insculpti, altitudine palm. II. semis, qui sepulchrum Cardinalis Berardi Eruli alias memorati, quondam ornabant (f) nunc vero juxta cancellos subterranei cubiculi, & altaris sacræ Confessionis B. Petri hinc inde conspiciuntur: nec aliud quidpiam notatu dignum de iis referre possumus. Sequitur fig. IV. tabula marmorea opere anaglyphico cælata, quæ non ad Calixti III. monumentum spectabat, quod perperam ait Epiphanius Gizzi pag. 95. Brevis Descriptionis Basilicæ Vaticanæ, sed ut ex Turrigio (g) & Ciaconio (h) evincitur, atque ex Inscriptione tabulæ isti apposita confirmatur (i) sepulchro Pauli II. olim ornamento erat; nunc vero in ambitu Confessionis Vaticanæ ad aquilonare latus prostat. In altitudinem palm. VI. cum 3. quadrant., in longitudinem palm. X. protenditur, & resurgentem Christum Dominum repræsentat. Ejusdem Redemptoris imago tantulùm muti-

(a) Ex Alexandri VI. Diplomate apud Bullar. Vatic. Basil. tom. 2. pag. 291. (b) Turrig. Crypt. Vatic. pag. 213. (c) Ibi. (d) Propterea quod Peregrini ad Apostolica Limina accedentes in Sancti Petri templum inducebantur a *Guidonibus*, iis nimirum, qui eosdem Peregrinos de Vaticanæ præsertim Basilicæ rebus erudiebant. Vide Petrum Mallium cap. 7. & Vegium num. 59. (e) Turrig. Crypt. Vatic. pag. 39. (f) Turrig. Crypt. Vatic. pag. 51. (g) Ibi pag. 39. (h) Tom. 2. Vitarum Pontificum &c. pag. 1093. ubi schema sepulchri Pauli II. inspicitur. (i) Inscriptio est hujusmodi: *Christi resurgentis imago existens ad sepulchrum Pauli II.*

mutila; manus quippe dextera abscissa est; vexillum sinistra gerit, devictæ scilicet mortis signum: Milites sepulchrum Dominicum custodire jussi comparent, quorum duo dormiunt, alii tres vel terræmotu, vel Christi corporis redivivi, atque gloriosi splendore perculsi videntur. Salvatoris monumentum sculptor scite in agro posuit: Judæi enim sepulchra extra Urbem habebant, ne contaminarentur; quod ex Matthæi capite 8. sub finem colligitur, ipsumque Salvatoris monumentum in latere Calvariæ Montis, haud procul a Crucifixionis loco, situm non obscure indicat S. Joannes (a) illis verbis: *Erat autem in loco, ubi* (Jesus) *Crucifixus est, hortus, & in horto monumentum novum. ..... Ibi ergo propter parasceven Judæorum, quia juxta erat monumentum, posuerunt Jesum.* Sed peritorum nullus affirmaverit eumdem cælatorem satis accurate expressisse Dominici monumenti formam. Hæc quippe a Venerabili Beda sic describitur in Commentariis in Sancti Marci Evangelium cap. 15. *De monumento Domini ferunt qui nostra ætate de Hierosolymis in Britanniam venere, quod domus fuerit rotunda de subjacente rupe excisa, tantæ altitudinis, ut intro consistens Homo, vix manu extensa culmen possit attingere; quæ habet introitum ab Oriente, cui magnus ille lapis advolutus, atque impositus est: In cujus monumenti parte aquilonari sepulcrum ipsum, hoc est locus Dominici corporis, de eadem petra est, septem habens pedes longitudinis, trium vero palmorum mensura cætero pavimento altius eminens. Qui videlicet locus non desuper, sed a latere meridiano per totum patulus est, unde corpus inferebatur. Color autem ejusdem monumenti, ac loculi, rubicundo, & albo dicitur esse permixtus.* Idipsum affirmat idem Auctor cap. 2. libelli de Locis Sanctis. Profecto oculatis fulcitur testibus recitata descriptio: quapropter is, qui præsentem tabulam delineavit, non immerito indiligentiæ argui potest; tum quod Corporis Dominici loculum desuper patentem effinxit, tum quod monumenti adinstar domus e rupe excisi, nullam plane formam exhibuit. Inter eos, qui ex Hierosolymis Britanniam penetrarunt, ac de Hierosolymitanis sacris monumentis Britannos docuerunt, adnumerari debet Arculphus Galliarum Episcopus ab eodem Beda sub finem sui de Locis Sanctis Opusculi commemoratus. Audiendus etiam Eusebius Cæsariensis, sepulchri Dominici inventionem enarrans. Hic quippe locum, in quo Corpus Christi tumulatum fuit, ἄντρον, scilicet speluncam non semel appellat: cumque retulerit, eumdem locum religiosa Constantini Augusti cura prophanis simulacris, quæ superposuerant Ethnici, fuisse expurgatum; ac solum ipsum, utpote Dæmonum piaculis pollutum, simul cum egesta humo quàm longissime exportatum fuisse (b) ita subiicit (c). Ὡς δ' ἕτερον ἀνθ' ἑτέρου στοιχεῖον ὁ κατὰ βάθους τῆς γῆς ἀνεφάνη χῶρος, αὐτὸ δὴ λοιπὸν τὸ σεμνὸν· καὶ πανάγιον τῆς σωτηρίου ἀναστάσεως μαρτύριον παρ' ἐλπίδα πᾶσαν ἀνεφαίνετο. καὶ τότε ἅγιον τῶν ἁγίων ἄντρον τὴν ὁμοίαν τῆς τοῦ σωτῆρος ἀναβιώσεως ἀπελάμβανεν εἰκόνα: quæ sic Valesius latine reddit: *Postquam aliud solum, locus scilicet qui in imo erat, apparuit, tunc vero ipsum Augustum, Sanctissimumque Dominicæ Resurrectionis monumentum præter omnium spem refulsit; & spelunca illa, quæ Sancta Sanctorum vere dici potest, Resurrectionis Servatoris nostri quandam expressit similitudinem* &c. Cæterum sicut ad spem resurrectionis corporum fovendam vetustiores Christifideles Lazarum a Domino ad vitam excitatum in sepulchris delineari curarunt; quod complura apud Aringhium Christianorum virorum monumenta, ac inter alia Junii Bassi sarcophagus etiam in hoc opere (d) delineatus facile demonstrant; ita ob eamdem quoque rationem in Pauli Secundi Romani Pontificis monumento expressa fuit Redemptoris nostri Resurrectio, utpote nostræ Resurrectionis causa, juxta illud Apostoli (e) *Christus surrexit a mortuis primitiæ dormientium: quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum.* Consule si libet S. Thomam Aquinatem (f).

A 2 TA-

(a) Cap. 19. v. 41. (b) Vit. Constantin. lib. 3. cap. 26., & 27. (c) Ibi cap. 28.
(d) Tabula LXXXI. (e) 1. Ad Corinth. cap. 15. v. 20., & 21. (f) Part. III. quæst. 56. art. 1.

TABULA LXXVI.

Spectas erudite Lector in priori hujus tabulæ figura portionem non modicam sepulchri Pauli II. Romani Pontificis, quod Minii ea ætate celeberrimi Sculptoris manu fabrefactum (quamquam & Joannem Dalmatam in eo adlaborasse, ex superiori Tab. LXXIII. certo cognovimus) in veteri Basilica Vaticana existebat, quove postea novi templi extruendi gratia everso, partes ejus in Cryptis Vaticanis collocatæ sunt. Harum altera figuræ semicircularis, quam hic edimus, marmor est opere anaglyphico cælatum longitudine palm. quasi XII., altitudine fere VI. in ambitu sacræ Confessionis B. Petri ad Borealem plagam visitur, & Universale Judicium exhibet. Nam Christus Dominus *in sede Majestatis suæ*, ut Matthæi cap. 25. describitur, in primis apparet, cui a dextris Petrus, Paulusque a sinistris, ac alii hinc & inde Apostoli assident legis Evangelicæ volumen manibus gerentes: qua in re cælator respexisse videtur ad ea Redemptoris nostri verba, quibus Discipulos suos alloquebatur (*a*). *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis & vos judicantes duodecim tribus Israel*. Sub Christi pedibus binos Angelos videre est, qui universum genus humanum ad judicium tubis convocant; vel si mavis, sententiam in Divino Tribunali contra impios latam proclamant, ac statim executioni mandant: Hae autem specie alludi posset ad Angelos, de quibus S. Joannes in Apocalypsis cap. 8. loquitur. At illud mihi probabilius est, quod ii qui in extremi Judicii die vel coloribus, vel opere anaglyphico repræsentanda, Angelos cum tumbis effinxerunt, ob oculos potissimum habuerint non solum Divi Pauli doctrinam, qui de resurrectione mortuorum agens, *tubam* & Archangelum commemorat; ait enim ad Corinthios scribens (*b*): *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba: canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti* &c. Et ad Thessalonicenses (*c*); *Ipse Dominus*, inquit, *in jussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo, & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi*: verum etiam luculentissima Christi Domini, universalis Judicii diem describentis, verba illa; *Mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos ejus a quatuor ventis* (*d*). Haud satis liquet, *tubæ* vocabulum in prolatis Divinæ Scripturæ locis propriene accipiendum sit, an metaphorice, nimirum pro signo, quo tanquam tubali voce, maxime sonora, per Angelos in aere efformanda, e cineribus & sepulchris evocati tam reprobi quam electi ante Judicis thronum cogentur. Illud simile est veri, ut in prælaudatum Divi Matthæi locum Calmetius notat, Christum, sacrosque Scriptores, cum supremum illum diem describerent, aptissimis, acerrimisque usos esse locutionibus, quibus audientium animi excuterentur: at nunquam hæc ad verbum a fidelibus usurpari jussit Ecclesia (*e*).

Occurrit etiam Archangeli Michaelis effigies, dextera gladium, sinistra vero libram gerentis: quo symbolo tum absolutissimam Judicii a Christo ferendi justitiam, æquitatemque, tum Angelorum ministerium in extrema illa die, ut Matthæi cap. 13. prædictum est, justos ab iniquis secernentium, tum denique tutelam, qua iidem Angeli justis hominibus aderunt, eosque ante Christi tribunal defendent, significari existimo. Profecto S. Thomas Aquinas (*f*) & S. Bonaventura (*g*) docent, Angelos in Judicio Universali haud futuros Christi Assessores, neque cum eo judicaturos genus humanum; quia non sunt Christo conformes in ea natura, secundum quam, ut legimus in Joannis Evangelio (*h*) datum est ei Judicium ferre.

Ejusdem lapidis pars inferior, eaque dextera, Pauli II., & Friderici III. Augusti

(*a*) Matth. cap. 19. v. 28. (*b*) Epist. 1. cap. 15. v. 52. (*c*) Epist. 1. cap. 4. v. 15.
(*d*) Matth. cap. 24. v. 31. (*e*) Vide Maldon. (*f*) In supplement. ad III. Part. quæst. 89. art. 3.
(*g*) In IV. sentent. dist. 47. (*h*) Cap. V. v. 27.

sti imagines præsefert: quamvis Imperator coronam, & Summus Pontifex thiaram triplici ornatam coronamento gestent; uterque tamen supplex, & flexis genibus exprimitur; ac S. Joannes Baptista sic Friderico proxime adest, ut extensa super eum dextera, ipsius patronus apud Christum Judicem esse videatur. Mox sequuntur habitu item supplici viri sex, quorum unus e tumulo exurgit: cumque a dextris Judicantium positi sint, verisimiliter electos referunt, eo loci, uti Evangelium prænunciat (a), statuendos. Ad marmoris lævam inferius impii comparent, quos e monumentis egressos, & æquissima Christi Judicis sententia damnatos, funibusque vinctos in ardentis fornacem ignis Diabolus trudit. Horum alterum, qui gladium, & volumen gestat, iniquum Judicem Turrigius interpretatur (b) alter vero, qui proxime sequitur, calamariam deferre thecam, & Tabellionis imago esse, eidem Turrigio videtur (c) qui insuper in hoc lapide novem supra triginta figuras enumerat. Sed Typographum notis numerabilibus Arabicis utentem, loco 35. posuisse 39., suspicari licet: nam figuras illas recensenti, triginta quinque dumtaxat esse constat.

Secunda hujus tabulæ figura exhibet e pario marmore & opere anaglyphico, nostri Servatoris imaginem eleganter cælatam, quæ Nicolai V. Pontificis Maximi sepulchrum ornabat. Christus Dominus sedens aspicitur dextera benedictionem impertiens, læva autem crucem tenens: Divinæ Majestatis indicium est Angelus sinistro Redemptoris pedi suppositus; Deus enim Psal. 98. v. 1. super Cherubim sedere dicitur: qui locus ad propitiatorium, sive, oraculum, Exodi cap. 25. descriptum, spectare videtur. Cæterum lapis, de quo nobis sermo est, in ambitu Confessionis B. Petri nunc ad Occidentem extat, longus palm. v., latus supra II. & in aliqua sui parte confractus, qua scilicet elatam Salvatoris dexteram in modum benedicentis repræsentabat.

Pius II. Pontifex ex Piccolomineorum Familia in veteris Vaticanæ Basilicæ minori navi ad meridiem, ut alibi monuimus, priscum instauravit sacellum, aram extruxit, ac supra altare marmoream, deauratamque erexit cameram, seu ciborium columnis quatuor innixum, in quo S. Andreæ Apostoli venerandum caput asservari curavit. In hoc sacello, aut certe juxta ipsum Franciscus Bandinus Piccolomineus Archiepiscopus Senensis, & Pii III. Pronepos eidem Beatissimo Apostolo ære proprio statuam posuit, sub cujus basi tumulum sibi delegit. Id sane docet Inscriptio, quam tertia hujus tabulæ figura præfert, quamve marmore, alt. palm. IV. lat. II. semis, incisam videre nunc est in Vaticanæ Confessionis hypogæo ad Occidentem; olim vero in ima ejusdem simulacri parte, sive basi extasse non dubito. Epigramma ipsum Turrigius anno Domini MDCXXXIV. ab se in horto quodam repertum scribit; suoque de Cryptis Vaticanis libro pag. 231. inseruit: male tamen ibi legitur, *Pii II.* pro *Pii III.* Affirmat insuper hic Auctor, prædictum sacellum ab eodem Francisco Piccolomineo dote fuisse locupletatum. Quum vero Franciscum Piccolomineum S. Eustachii Diaconum Cardinalem, Senensem nuncupatum, alium certe a Francisco Bandino Piccolomineo Archiepiscopo Senensi, prælaudato sacello dotem suppeditasse, Pontificiæ Alexandri Sexti literæ (d) luculentissime declarent; non tam ex nominum affinitate, quam ex titulo Archiepiscopi Senensis utrique communi, Turrigium deceptum esse opinor; nempe Francisco Bandino Archiepiscopo Senensi, & sacra purpura nunquam insignito, id perperam adtribuisse, quod Franciscus Piccolomineus, Senensis item Antistes, & Cardinalis Diaconus S. Eustachii revera præstitit.



A a 2 TA-

(a) Matth. cap. 25. v. 33. seq. (b) Crypt. Vatic. pag. 38. (c) Ibidem. (d) Apud Basil. Vatic. Bullarium tom. 2. pag. 283.

TABULA LXXVII.

Sancti Andreæ Apostoli caput ex Achaja Romam advectum, atque a Pio II. Pontifice maxima excepptum Religione, summaque populi, ac procerum frequentia, & celebri pompa in Vaticanam Divi Petri Basilicam fuisse delatum; ex ejusdem Pii II. Commentariis (a) certo deprehendimus (b). Sanctissimo enim Apostolo ædes cum Beato Petro germano fratre Pius voluit esset communes. Idcirco aram S. Gregorio Magno sacram; quæ in medio posterioris minoris navis Basilicæ veteris sita erat, *marmoribus elegantissimis exornavit, & desuper altare marmoream, deauratamque cameram super quatuor columnas extruxit, in qua venerabile Beati Andreæ Apostoli caput, argento, auro, gemmisque ornatum solemni Processione, totaque Curia, Romanoque Clero comitante, Dominica tertia Junii* (anno 1462.) *summo cum honore collocavit*: Verba sunt Tiberii Alpharani ex ejus Ms. in Bullarium Vaticanæ Basilicæ (c) relata. Ad Cameram illam, sive ciborium, aut conditorium, quod delineatum videsis apud Ciampinum (d), extabant olim duæ affabræ insculptæ marmoreæ imagines capitis Beati Andreæ Apostoli, quæ in hac tabula fig. 1. & 2. exhibentur, hodieque in ambitu Confessionis Divi Petri ad Occidentem visuntur. Utraque in ima parte palmos Rom. IV. & semis longa est, alta vero palm. II. cum quadrante.

Ex iis quæ sequuntur imaginibus, tertia sub num. 3. S. Matthiam præfert; quarta signata num. 4. S. Thaddæi effigies est, quinta sub num. 5. S. Simonem repræsentat, ut propria singulis earum inscripta nomina demonstrant. Marmorea hæc Apostolorum simulacra in ciborio, quod Pontifex Sixtus Quartus super altare princeps Divi Petri erexit, aut potius restituit, extitisse; uti etiam de vestibus, queis Apostoli induti cernuntur, alibi loquuti sumus: quamobrem hic de soleis tantum, sive Sandaliis, quæ in Apostolorum pedibus apparent, quidpiam attingemus. Ad manus est locus ex Marci Evangelio (e) ubi Christus Apostolis præcipit, *ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm; non peram, non panem, neque in zona æs; sed calceatos sandaliis*, ἀλλ' ὑποδεδεμένους σανδάλια. Quis autem exprolatis verbis non intelligit, Redemptorem nostrum mandasse, aut saltem admonuisse, ut Apostoli sandalia gestarent? Petrum sane ex carcere educendum, sic Angelus alloquitur apud Lucam in Actis (f) Ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου; quod vulgatus Interpres videtur minus recte vertisse: *Calcea te caligas tuas*; cum potius reddendum esset: *Subliga*, sive *calcea te sandalia tua*. Hujusmodi autem sandalia vel soleæ ad illud calceamenti genus pertinent, quo solum dumtaxat sive planta pedis ita obtegebatur, ut cæteræ pedis partes prope nudæ relinquerentur, ac teretibus habenis in superiori parte coeuntibus revinctæ forent; quemadmodum non solum in hac tabula, verum etiam in aliis monumentis inspicere fas est: in quibus etsi perquam raro Apostoli calceis muniti occurrunt, fere tamen vel soleis, aut sandaliis induti, vel nudis omnino pedibus cernuntur. Equidem Apostolos aut domi manentes, aut in calidis regionibus, aut humilitatis causa, aliquando nudis pedibus incessisse non ambigo: id vero ex Christi mandato eosdem præstitisse non video. Nec quispiam obiiciat Redemptoris nostri præceptum Apostolis indictum (g): *Nolite possidere aurum ..... non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta*. Vel enim Christus ὑποδήματα, hoc est illa dumtaxat calceamina, quæ pedis calcem muniunt, distincta sane a sandaliis, sive soleis plantam solummodo pedis tegentibus, interdixit: vel præceptum illud pro una tantum vice, & in certis quibusdam circumstantiis latum fuit, ideoque temporarium, non autem perpetuum: vel tandem iis verbis curam minus necessariam corporis maxime, quæ offendiculo aliis esset, aut ipsis Evangelii præconibus impedimento

(a) Lib. 8. (b) Consule quæ ad Tabulam XXXIII. dicta sunt. (c) Tom. 2. pag. 283. not. b. (d) De sacr. ædific. (e) Cap. 6. v. 8. & 9. (f) Cap. 12. v. 8. (g) Matth. cap. 10. v. 9. & 10.

mento, Salvator prohibuit. Nam ipsemet Christus, ut ex prælaudato S. Marci Evangelio vidimus, Apostolos suos sandaliis calceatos incedere jussit, vel admonuit, aut sivit. In ipsorum igitur pedibus soleæ non ad Sculptoris placitum, sed ad historiæ fidem delineatæ sunt: Quarum mysticam significationem Ven. Beda sic explicat (a). *Marcus dicendo calceari Apostolos sandaliis, vel soleis, aliquid hoc calceamentum mysticæ finificationis habere admonet, ut pes neque tectus sit, neque nudus ad terram; idest ne occultetur Evangelium, nec terrenis commodis innitatur.* Illud notandum superest, quod S. Thaddæus fig. IV. exhibitus ante pectus gerit volumen utraque manu explicatum; quo actu num Sculptor epistolam catholicam ab eodem S. Thaddæo, sive Juda conscriptam designari voluerit, Eruditorum esto judicium. Ita sane Turrigius (b) est opinatus, qui illud etiam animadvertit, fimbrias vestium ejusdem S. Thaddæi auro esse obductas. Id ipsum, si Divi Matthæi statuam excipias, dicendum est de cæteris Apostolorum simulacris olim extantibus ad principis aræ Vaticanæ Ciborium, quod Sixtus Quartus; ut alias monuimus, auro exornavit.

TABULA LXXVIII.

SAcram B. Petri Confessionem circumstant marmorea duodecim Apostolorum simulacra, quorum singulis proprium legitur nomen inscriptum, Paulo V. Pontifice, aut paucos inde post annos: jam enim ea nomina, cum Turrigius suum de Vaticanis Cryptis librum scribebat sub Maximo Antistite Urbano VIII, notata fuerant. Ad ipsa simulacra pertinet inscriptio, quæ in eisdem Cryptis extat, & sic habet: *Imagines istæ marmoreæ Sanctorum XII Apostolorum erant ad ornatum Ciborii, quod Sixtus IV. Pont. Max. supra altare Sacrosanctum B. Petri magnificè constituerat.* Ciborii vocabulo hic intelligitur nobile tegmen, columnis quatuor suffultum, quod aram principem operiebat; quemadmodum observare est in Basilicis S. Joannis Lateranensis, S. Pauli in via Ostiensi, S. Laurentii ad agrum Veranum, Sanctæ Mariæ Transtyberim, aliisque nonnullis Ecclesiis, in quibus vetusta illa ædificia principes aras tegentia adhuc supersunt. Insigne quidem fuit Ciborium altari Vaticano superpositum, quod argento exornavit S. Leo IV. ut ex hujus Pontificis vita apud Anastasium colligimus. Quamvis autem Petrus Leonis in Romanam Cathedram adversus Innocentium II. intrusus, præter alias pretiosas supellectiles, quas ex Vaticanæ Basilicæ thesauro sacrilege rapuit, Ciborium quoque, inquit Nicolaus Cardin. de Aragonia (c) *quod super altare Beatus Leo Papa construxerat, decrustare præsumpserit*; ipsum tamen argenteum tegmen exeunte XIII. Ecclesiæ sæculo extabat. Per id enim tempus Jacobus Cajetanus de Stephanescis in suo Poemate (d) de gestis S. Petri Cælestini, & Bonifacii VIII. Coronatione, literis mandavit, quod electus Pontifex Bonifacius

Accessit ad altum
Egregiumque decus Fidei, venerabile donum
Christicolis, altare Petri de marmore cæsum,
Porphyreisque gerens fulvis a celte columnis
Quatuor Argenti Cœlum, quod tempus in atrum
Verterat &c.

Pro.

(a) In Epist. ad Ephes. cap. 6. (b) Crypt. Vatic. pag. 42. (c) In Vita Innocentii II. apud Murator. tom. 3. Scriptor. Rer. Italic. (d) Primum a Bollandianis publica luce donato ad diem 19. Maii.

Profecto hoc idem a Sixto IV. Pontifice splendidius fuisse redditum, Franciscus Albertinus Auctor, nisi coævus, certè suppar, in opusculo de Mirabilibus novæ, & veteris Romæ (a) testatur his verbis: *In Ecclesia S. Petri in Vaticano est Tabernaculum marmoreum IIII. porphyreis suffultum columnis, in quo sunt XII. Apostoli sculpti cum passione Martyrii Apostolorum Petri, & Pauli; manu Matthæi Pullari Florentini Sculptoris præclarissimi: quod quidem opus mirandum Sixtus IV. restituit, auroque exornavit.*

Ex prædictis duodecim Apostolorum statuis, quæ altitudine palm. v. extenduntur, præsens tabula sex repræsentat; aliæ tres in Tabula X. reliquæ vero in Tabula LXXVII. occurrunt. Sanctissimi Christianæ Religionis præcones tunica, & pallio induti singuli cernuntur, quibus sane vestibus eosdem uti consuevisse nemo inficias iverit. Christus enim Apostolos, ac Discipulos suos alloquens sic monet (b): *Et qui vult tecum Judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei pallium.* Liber vitas Apostolorum complectens, & falso Abdiæ nomine inscriptus, Apostolis Joanni, Simoni, Judæ, & Bartholomæo pallium tribuit. Quod Angelus S. Petro in Carcere manenti dicit Actorum cap. XII. v. 8. Περιβαλῦ τὸ ἱμάτιόν σε: & Vulgata reddit; *Circumda tibi vestimentum tuum*; verti etiam potest: *Cinge te pallio tuo*: nam vox ἱμάτιον, ut alibi innuimus, pallium designat. Profecto, ut obiter dicam, pallium est vestis extima longe, lateque diffusa, quæ tunicæ superinduitur, & Philosophorum præcipuè Græcorum propria olim fuit. Idcirco primis Ecclesiæ sæculis idem indumentum usurparunt cælestis Philosophiæ Sectatores, nimirum Christiani; ex Clericis quidem, si non omnes, saltem plerique; ex Laicis vero sane multi. Hinc Tertullianus in aureo suo, quod de Pallio concinnavit opusculo, postquam ejus formam, usum, atque laudes disertissime fuit exequutus, de se ad Christi Religionem converso, abjecta toga, sumptoque pallio, sic inquit (c): *At ego jam me illi etiam divinæ sectæ, & disciplinæ commercium confero: Gaude pallium, & exulta: melior jam te Philosophia dignata est, ex quo Christianum vestire cœpisti.* Hic non vacat celebrem expendere controversiam; num Christiani omnes pallium philosophicum gestare passim consueverint, ut sentit Beatus Renanus in notis ad Tertulliani librum de Pallio, & Dionysius Petavius (d) sub Antonii Kerkoetii nomine latitans propugnat; an aliquot dumtaxat sive Christifidelium, sive Ethnicorum peculiare esset indumentum, ut censet Salmasius in notis ad prælaudatum Tertulliani Librum. Utut sit de quæstione hujusmodi, pallium ex lana fere conficiebatur, quemadmodum Octavius Ferrarius in opere de re vestiaria (e) demonstrat: ideoque opinor, S. Epiphanium (f), & Hegesippum (g) rem veluti peculiarem, & communi usu absonam adnotasse, dum hic scribit, S. Jacobum non lanicio, sed linea tantum veste usum fuisse: ille vero idipsum de S. Joanne Evangelista literis mandavit. Ad Pallii colorem, quod attinet, ratum est, veteres Christifideles a pretiosis vestium tincturis abstinuisse; quod haud inepte insero ex Clemente Alexandrino lib. 2. Pædagogi (h) ubi ait: Παραιτητέον δὲ τῆς ἐσθῆτος καὶ τὰς βαφάς, αὗται γὰρ πόῤῥω καὶ τῆς χρείας, καὶ τῆς ἀληθείας: idest, *Reiicienda quoque sunt vestium tinctura: ipsa enim & ab usu, & a veritate longe remota sunt.* Nec quemquam moveat, a Stephano III. Pontifice in epistola ad Hilduinum Abbatem data, S. Dionysium Areopagitam *pallio toto purpureo auro intersellato* circumdatum; & a prælaudato pseudo-Abdia (i) S. Bartholomæum Apostolum *pallio albo habente per singulos angulos singulas gemmas purpureas* amictum exhiberi; ac tandem Christi, & Apostolorum vestes in antiquis vitris Philippi Bonarotii, vario tinctas colore spectari; quin loquar de SS. Apostolorum Philippi, & Joannis imaginibus, qui in Theodosii Imperatoris veteri numismate apud Petrum de Marca (k) in habitu Episcoporum repræsentantur, capite raso, & cum palliolo crucibus insignito, & ad pectus usque pertingente. Sæpe enim contigit, ut Pictores, & alii, qui res vetustas ob oculos po-

(a) Lib. 3. pag. 84. edit. 1515. (b) Matth. cap. 5. v. 40. (c) In fine. (d) In libro, cui titulus: *Animadversiones ad notas Salmasii in Tertullianum de Pallio.* (e) Part. 2. lib. 4. cap. 11. (f) Hæresi 30. c. 24. (g) Apud Euseb. Histor. lib. 2. c. 23. (h) Cap. 10. (i) Lib. 8. (k) Concord. Sacerd. & Imp. lib. 6. cap. 6.

ponunt, easdem ex ætatis suæ moribus haud recte metiantur. Verosimiliter etiam, qui in exprimendis Christi, & Apostolorum imaginibus, his pretiosas aptarunt vestes, ad ipsum Redemptorem nostrum, & Fidei Præcones magis honorandos animum intenderunt: sed contra historiæ fidem. Quis enim Christum Dominum, Apostolos, ac viros Apostolicos indumentorum simplicitatem, humilitatemque exacte coluisse, inficias iverit? Quapropter ad Artificis genium, non ad rei gestæ veritatem conformatas existimo Sanctorum Petri, & Pauli imagines apud allegatum Bonarotium (a) occurrentes, in quibus ante Beatissimorum horumce Apostolorum pectus fibulæ quædam gemmatæ conspiciuntur. Juvat huc referre Divi Ambrosii locum (b) quo nonnulla ex prædictis confirmantur, & pallii misticæ significationes traduntur: *Caveamus igitur*, inquit, *ne lapsus noster vulnus Ecclesiæ fiat: ne quis a nobis pallium auferat, hoc est, amictum prudentiæ, insigne patientiæ, quo mollioris ambitio vestis exuitur. Qui enim mollioribus vestibus induuntur, in domibus regum sunt. Nobis autem pallium dedit Christus, quo Apostolos suos, & corpus suum ipse vestivit. Quod denique jubet te dare, si quis a te tunicam petat, ut dimittas ei & pallium, idest insigne Philosophiæ tuæ tradas, & quasi amictu prudentiæ tuæ eum, qui ante nudus fuerit, circumvestias.*

Jam vero paucis differendum de Apostolorum tunica, quam ab eis usurpatam sacri Codices testantur, tùm in Evangeliis Sancti Matthæi (c) & Sancti Lucæ (d) tum alibi: Hinc Petrus ubi ex Joanne cognovit Christi Domini præsentiam, tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare (e). Duplex autem tunicarum genus distinguunt, qui rem vestiariam tractarunt; aliæ nimirum breves, quæ infra medium crus, & prope talos defluebant, *discinctæ* ideo appellatæ, quod zonis minime eingerentur; aliæ talares, quæ videlicet ad imos pedes descendebant: Has Apostoli gestasse quidem videntur. Laneam, & albi coloris fuisse tunicam evincit Octavius Ferrarius in Opere de Re Vestiaria (f): & quoad colorem, Clemens Alexandrinus vestem candidam Christiani apprime consentaneam ita commendat (g): *Nobis concedit Pædagogus frugali veste uti, albo colore (h), ut diximus; ut non arti varieganti, sed naturæ generanti nos accommodantes, quidquid est fallax, & veritatem ementitur, repellentes, simplicem & uniusmodi veritatem amplectamur.* Pseudo-Abdias S. Bartholomæum Apostolum colobio albo elavato purpura indutum exhibet (i). Colobium quidem tunica erat absque manicis, ut ex Servio colligimus (k). Si hoc indumenti genus Pseudo-Abdias indigitat, vereor ne sit deceptus. In vetustissimis quippe sarcophagis Christianis, aliisque monumentis tunicæ Apostolorum manicatæ cernuntur. Quod autem S. Bartholomæi tunica clavis purpureis ornata fuerit, id a veritate alienum censeo, utpote vestium simplicitati absonum, quam Apostoli sectati sunt, & Clemens Alexandrinus (l) pluribus exequitur. Eorumdem Apostolorum tunicæ undique clausæ, & connexæ, ut plurimum apparent: sed in hac tabula fig. 4. Divi Matthæi tunica, uti etiam aliorum aliquot Apostolorum tunicæ in Tab. X. apertæ ante pectus occurrunt, & corrigiis, aut nodulis, seù globulis nectuntur. Hæc generatim præfati sumus, ne eadem repetere cogeremur ad singulas tùm præsentis tabulæ, tùm aliarum aliquot hujus operis tabularum imagines, quæ tunica, & pallio circumdatæ visuntur.

Reliquum est igitur, ut quæ simulacris inscripta sunt nomina, & si quid eisdem singulare inest, detegamus. Prima itaque figura præfert Sancti Philippi Apostoli simulacrum dextero cubito, lævaque manu, quæ fortassis librum gestabat, mutilum. In secunda figura delineatur S. Andreæ statua, cujus ora vestimenti auro obducta hodiedum cernitur; idemque esse aurum judico, quo Ciborium Altaris Divi Petri, ut ex Albertino supra vidimus, Sixtus IV. exornavir. Figura tertia S. Joannem Evangelistam oculis subiicit, qui licet senio confectus ad Dominum migraverit, juvenili tamen ætate,

(a) Tabula X., & XI. (b) De Virginitate cap. 8. (c) Cap. 5. v. 40. & cap. 10. v. 10.
(d) Cap. 22. v. 36. (e) Joann. cap. 21. v. 7. (f) Part. 2. lib. 4. cap. 11. & Part. 1. lib. 3. cap. 10.
(g) Lib. 3. Pædag. c. 11. (h) Χρόᾳ δὲ τῇ λευκῇ. (i) Lib. 8. (k) In Æneid. 9. v. 616.
(l) Lib. 2. Pædag. c. 10.

te, atque imberbis exculptus fuit; secus ac cæteri Apostoli, qui barbati conspiciuntur: ligatum ante pectus pallium gerit: hoc etiam simulacrum dextera mutilum est. Quarta figura Divus Matthæus exprimitur, cujus dextera volumen gerere videtur, pergamenam scilicet involutam ad cylindri formam; læva autem librum apertum: Tunicam ante pectus discissam, sed nodulis, aut globulis conjunctam habet; eamdemque zona supra renes præcinctam. S. Bartholomæi effigies est quinta figura: Hic uti etiam cæteri Apostoli, librum gestat; ac tunicam zona circumdatam quemadmodum alii nonnulli. In sexta demum figura occurrit Divi Petri statua, cubito dextro mutila, Nicephorus tradit (*a*) Apostolorum Principem non quidem crassa corporis statura fuisse, sed mediocri, & quæ aliquanto esset erectior. Quamquam vero aliorum Apostolorum cæsaries hic longa, & ad humeros defluens appareat, in Sanctorum tamen Philippi, & Petri Simulacris breves, atque attonsos capillos videre est. Profecto Apostoli omnes, & Christifideles in Ecclesiæ primordiis crines non quidem ad cutem rasos, aut ad collum descendentes, sed decurtatos gestasse, mihi videntur: Quod enim vir comam nutriat, indecorum esse, Beatus Paulus (*b*) luculentissime pronunciat. Idem Divus Petrus, uti & S. Philippus in hac tabula soleas induunt, secus ac alii Apostoli, quorum pedes nudi omnino spectantur. De soleis autem, vel Sandaliis diximus ad Tabulam mox præcedentem.

TABULA LXXIX.

Veteris Ciborii, quod principi aræ Divi Petri imminebat, quodve Sixtus IV., ut paulo ante præmonuimus, restituerat, & auro exornarat, partes sunt marmoreæ tabulæ hic loci exhibitæ: opere anaglyphico insculptæ: longitudine palmos x. semis, altitudine palm. v. cum dimidio exæquant; & in inferiori sacræ Confessionis Vaticanæ ambitu ad Occidentem, Paulo Quinto Pontifice jubente, anno MDCXVI. collocatæ fuerunt. S. Petri Martyrium, nempe cruci adfixionem prior figura sub num. 1. oculis intuentium obiicit. Concors profecto est vetustissimorum Ecclesiæ Scriptorum traditio, eo mortis genere pro adserenda Evangelii veritate Beatum Apostolorum Principem innocentissimam animam exalasse: quo Tertullianus secundi sæculi scriptor, in libro de Præscriptionibus (*c*) alludit, cum Romanæ Ecclesiæ gratulatur, quod in ea *Petrus Dominicæ passioni* fuerit *adæquatus*. Luculentius tamen, accuratiusque S. Gaudentius Brixiensis Episcopus, qui circa annum Domini CCCLXXXVII. floruit, Divi Petri Martyrium exposuit. Sancti hujus Præsulis verba recito, quia ad hanc tabulam illustrandam satis opportuna judico. In sermone igitur de SS. Apostolis Petro, & Paulo sic habet Gaudentius: *Per hujus magistri* (Jesu Christi) *vestigia gradiuntur fideles Discipuli Petrus, & Paulus .... In hoc enim die apud Urbem Romam ambos pro Christi nomine Neronis crudelitas interfecit, Domini justitia coronavit. PETRUS CRUCIFIGITUR VERSO AD TERRAM CAPITE ET IN SUBLIME PEDIBUS ELEVATIS, asserens indignum se, qui ita crucifigeretur, ut Dominus suus*. Concinit, & S. Ambrosius, qui in libro 1. de Interpellatione Job, & David (*d*): *De Petro*, inquit, *quid loquar, qui crucem suam futura remuneratione indignam arbitratus, inverso suspendi poposcit vestigio, ut aliquid passioni suæ adderet, cujus acerbare ipse sibi supplicia non timeret?* Ejusdem Ambrosii verba sunt, quæ subiicimus (*e*) *Non fuit opprobrio Petro crux Christi, quæ tantum ei gloriæ dedit, ut inversis* Chri-

(*a*) Lib. 2. cap. 37. (*b*) I. Corinth. cap. 11. v. 14. (*c*) Cap. 36. (*d*) Cap. 1.
(*e*) Ex Expositione in Psalm. 118. serm. 21. num. 21.

Christum honoraret vestigiis; metuens, ne si ea specie crucifixus esset, qua Dominus, affectasse Domini gloriam videretur. Cum itaque Petrum ἀνασκολοπισθῆναι ex historiarum monumentis Eusebius (*a*) tradidit vocabulum ἀνασκολοπίζεσθαι pro *cruci suffigi* usurpat, tametsi ea vox *palo affixum tolli*, vel *palo affigi* proprie denotet.

Ex allatis tùm S. Gaudentii, tùm Divi Ambrosii locis, Beatum Petrum inversis vestigiis crucifixum fuisse. quemadmodum in præsenti Tabula cernimus, nemo non intelligit. At illud insuper observatione dignum est, quod in eadem Tabula Martyrium Principis Apostolorum ita expressum videri potest, ac si in Monte Aureo, sive Janiculo contigerit. Hæc sane opinio jam vigebat sæculo Christi Decimoquinto, quo ad exitum vergente marmor cælatum fuit, eamque Vegius noster in suo de Vaticanæ Basilicæ rebus antiquis opusculo (*b*) argumentis comprobare nititur. In eamdem sententiam itum est Decimosexto Ecclesiæ sæculo; Anno quippe MDII. Ferdinandus Hispaniarum Rex & Elisabeth Regina in Monte Aureo sacellum rotundum sexdecim fultum columnis, opus a peritissimo Bramante Architecto delineatum, erigi curarunt, eodem in loco, ubi S. Petrus cruci adfixus putatur; atque ibidem posita fuit Inscriptio hujusmodi: *B. Petri Apostolorum Principis Martyrio Sacrum Ferdinandus Rex Hisp. & Helisabeth Regina Catholici post erectam ab eis ædem posuere anno salutis MDII.* Idcirco ea traditio deinceps vulgata magis magisque est: Hanc quippe Baronius (*c*) Massutius, Ciaconius, Oldoinus, Paulus Æmil. Sanctorius, Valerius Doricus, Joannes Lupardus, Andreas Fulvius, Baptista Paulianus, Stephanus Chamillardus, Andreas Marianus, aliique sunt amplexati, ac Turrigius tum in libro de Cryptis Vaticanis (*d*) tum maxime in opusculo italice *Li sagri Trofei Romani* (*e*) inscripto propugnat. Non is certe sum, qui opinionem istam rejicere, & Fidelium pietatem, qui Janiculum adeuntes, in sacello prædicto locum ubi Apostolorum Princeps passus est, religiose venerantur, defraudare velim: attamen, ut veritati consulam, argumenta indicabo, queis probabilius evincitur, Petrum in Vaticano fuisse Martyrio coronatum. Aurelius Prudentius inter vetustos Auctores primus est, quem noverim, locum passionis Beati Petri enunciasse. Hic autem Christianus Poeta de loco ipso ita loquitur, ut eumdem exhibeat paludosum, Tyberis scilicet undis madefactum: id vero planitiei potius Vaticanæ, quam summitati Montis Janiculi congruit. Accipe, erudite lector, Prudentii verba ex libro περὶ στεφάνων hym. XII., qui est de SS. Apostolis Petro, & Paulo:

> *Scit Tyberina palus, quæ flumine lambitur propinquo*
> *Binis dicatum cespitem trophæis,*
> *Et crucis, & gladii testis, quibus irrigans easdem*
> *Bis fluxit imber sanguinis per herbas.*

Nimirum Poeta innuit, in Tyberina palude Petrum fuisse Cruci suffixum, & Paulo caput gladio amputatum. Quod si quispiam autumet, Prudentium ligatæ orationis Scriptorem poeticà licentià fuisse locutum, alia veterum testimonia dabimus, quibus tale quid opponere non licet. Ad manus est libellus Apologeticus, quem pro Symmaco Romano Pontifice, & pro Palmari Synodo innocentiam ejusdem Summi Præsulis vindicante, Ennodius Ticinensis elocubravit. Hic Petrum Altinatem Episcopum, qui Romam quidem venerat, sed Vaticanam Basilicam non inviserat, isto nomine vehementer culpans; Limina Beati Apostoli Petri vocat *Natale solum*, & locum, ex quo ad superna idem Apostolus *transivit*; ac demum ait: *Non modica monumenti illius* (Beati Petri sepulchrum indicat) *per frequentiam comparata est nobilitas; quia per eum, qui hominem mutavit in Angelum, illustrari potuit natura telluris.* Sententiæ istæ innuere videntur, Ennodium, qui cadente V. Ecclesiæ sæculo vigebat, existimasse, in Vaticano, ubi Petri cineres quiescunt, ipsum Apostolorum Principem sustinuisse passionem,

B b in-

(*a*) Hist. lib. 2. cap. 25. (*b*) Lib. 2. cap. 2. (*c*) Ad ann. 69.
(*d*) Pag. 45. 46. 179. 180. & 194. (*e*) Cap. 8.

indeque ad superos evolasse. Ad hæc, in Libro Pontificali, & in vetustis Romanorum Antistitum Catalogis legitur, Divus Petrus sepultus fuisse *via Aurelia in templum Appollinis juxta locum ubi crucifixus est, juxta Palatium Neronianum, in Vaticano*. Adjuncta illa, *Templum Apollinis*, & *Palatium Neronianum* Vaticano quidem Colli conveniunt, at Monti Janiculo minime quadrant. Suppetunt & alia magis perspicua veterum testimonia. Petrus Comestor XII. Christi, sæculo clarus in historia Actuum Apostolorum (*a*) scribit, eorumdem Apostolorum coriphæum *in Vaticano in vico scilicet extra Civitatem* Martyrium sustinuisse. Ad memoriam hic vetus Romanorum mos est revocandus, ut in reos, ac fontes homines extra Urbis mænia plerumque animadverteretur: validum quippe argumentum inde conficitur, quo evincimus, B. Petrum non in Janiculo, sed in Vaticano subiisse Crucis patibulum. Etenim Mons Janiculus jam inde ab Regis Anci ætate pomœrio inclusus fuerat; at Vaticanum nonnisi a S.Leone IV. Pontifice muris est circumdatum. Eodem sæculo XII.vixit noster Petrus Mallius, qui in Libello descriptionis Vaticanæ Basilicæ, hæc literis mandavit (*b*) *In naumachia juxta Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Transpadina* (nunc Traspontina) *est sepulchrum Romuli, quod vocatur meta, quæ fuit miro lapide tabulata .... Habuit circa se plateam Tiburtinam viginti pedum cum cloaca, & floribus fuit. Habuit quoque circa se terebintbum Neronis tantæ altitudinis, quantum est castellum Hadriani Imperatoris miro lapide tabulatum: quod ædificium rotundum fuit cum duobus geronibus sicut Castellum; quorum labia erant cooperta tabulis lapideis pro stillicidiis; & JUXTA HOC ÆDIFICIUM CRUCIFIXUS FUIT B. PETRUS APOSTOLUS*. Hujus traditionis monumentum, in antiquo lapide versibus concinnatum, quod in S. Mariæ Transpontinæ templo collocatum Turrigius (*c*) evulgavit, sic habet:

Hic locus æteræ Dominæ, Matrique Tonantis
Prospice sit quanto dignus honore sacer.
. . . .
Ipse Ovium pastor, post Christi funera, Petrus
Hic cruce sustinuit fata nefanda libens. &c.

Prolata veterum testimonia quisquis expenderit, haud sane mirabitur, si doctissimi aliquot viri, & sacrarum Romanarum Antiquitatum valde periti, existimaverint Divum Petrum non in monte Aureo, sed in Vaticano Martyrem occubuisse. Profecto Blondus Flavius (*d*) decernit, Apostolorum Coryphæum in Vaticanis hortis Neronianis passum fuisse, ubi teste Tacito, immanis illa Christianorum strages, quam vetus hic Historiographus literis mandavit, jubente Nerone post Hominum memoriam scelestissimo, peracta est. Sententiam hanc Joannes Severanus (*e*) tanquam probabiliorem amplectitur: In eamdem pedibus jam iverat Tiberius noster Alpharanus, qui Gregorio XIII. Summo Pontifice floruit; in suo enim libro de veteri & nova structura Basilicæ Vaticanæ, qui Ms. in hujus Ecclesiæ archivo adservatur, sub initium sic habet: *Basilica Vaticana Deo vivo, & vero ... consecrata eo loci, ubi Beatus Apostolus* (Petrus) *pro Christi nomine crucifixus, atque sepultus fuerat, sex partibus constabat*. Et paulo infra: *Inter quam* (absidem) *& transversam navem altare majus erectum fuerat eo loci, ubi Petrus Christi Vicarius cruci affixus fuerat*: & cap. 2. ejusdem libri ait; *Venerandam quoque Beati Petri Apostoli Confessionem, quæ est ante, & sub dicto Altari Majori juxta locum, ubi mortem pro Christo Domino Crucifixus oppetiit* &c. Julius item Herculanus, & Panvinius a Severano (*f*) pro hac ipsa opinione laudantur; in quam ceu probabiliorem, allatis argumentis compluribus, Bosius (*g*), & Aringhus (*h*) inclinant, ac Ferdinandus Carolus (*i*), egregius Præsul Franciscus Blanchinus in not. ad Anastas. in S. Petro, & nu-

(*a*) Cap. ult. (*b*) Num. 130. apud Janningum tom. 6. part. 2. mensis Junii Bollandiani.
(*c*) Crypt. Vatic. pag. 139. (*d*) Rom. Instaur. lib. 1. num. 45. & seqq. (*e*) In Lib. de VII. Urbis Eccles. pag. 15. ad 20. (*f*) De VII. Urbis Eccles. pag. 18., & 19. (*g*) Rom. Subterr. lib. 2. cap. 3. (*h*) Rom. Subterr. lib. 2. cap. 5., & lib. 3. cap. 1. num. 1. (*i*) Apud Severan. cit. pag. 280. seq.

nuper vir cl. Petrus Franciscus Fogginius in suo opere *De Romano Divi Petri itinere*, & *Episcopatu* (*a*) concesserunt.

Equidem video, nec tacitus dissimulo quid contra hanc veterum traditionem, atque doctorum virorum sententiam obiici potest. Nempe Christianæ plebis pastorem Divum Petrum prope naumachiam cruci affixum fuisse, ab antiquis jam temporibus fertur: naumachia autem in Transtyberina regione sita erat: Esto, numquid vero una tantum naumachia in Urbe? At plures in P. Victoris libello recensentur. Quæ sub Janiculo extructa est, celebris extitit; sed aliam in Vaticano fuisse naumachiam, aut locum ita nuncupatum, ex vulgato Anastasio cognoscimus. Hic enim tum in vita Sanctis Leonis III. tum in gestis Paschalis I. diserte meminit *Hospitale S. Peregrini positum ad Sanctum Petrum Apostolum in loco, qui vocatur NAUMACHIA*. Ecclesiam quoque Sancti Peregrini, hospitalem domum, & *naumachiam* inter bona Monasterii S. Stephani Majoris, quod olim fuit unum ex quatuor domiciliis Vaticano Templo inservientium, Sanctus Leo IX. enumerat in suo diplomate (*b*); ubi tamen ex notarii oscitantia, vel imperitia *Dalmachia* pro *Naumachia* legitur. Sancta itidem Zoes, ut B. Sebastiani Martyris acta produnt, cum ad Divi Petri sepulchrum oraret, capta a Paganis est, & ad regionis Naumachiæ Patronum confestim perducta. Hinc profecto mirum non est, si Romanarum antiquitatum scientissimi Andreas Fulvius, Marlianus, & L. Faunus ab Aringho (*c*) laudati, complurium in Urbe existentium Naumachiarum, in quibus prælia navalia frequenter Populo exhibebantur, unam in Vaticano sitam fuisse, literis commendarint. Quæ cum ita sint, ratio mox objecta nullum plane mihi negotium facessit.

Minus officit aliud argumentum, quod Maphæus Vegius obtendit; celebre nimirum Gaii testimonium, quo S. Petrum in Aureo sive Janiculo Monte suspensum fuisse, comprobari autumat. Scilicet Gaii verba adversus Proculum Sectæ Cataphrygarum patronum disputantis, ita Vegius exhibet (*d*). *Ego habeo trophæa Apostolorum, quæ ostendam. Si enim procedas via Regali quæ ad Vaticanum ducit, aut via Ostiensi, invenies trophæa defixa, quibus ex utraque parte statutis Romana communitur Ecclesia*. Mox idem Vegius observat, Montem Aureum in via ipsa regali, quæ ad Vaticanum ducit, situm esse; indeque infert sacrorum nostrorum Ducem & Antistitem mortalitatem in cruce suam non in Vaticano Colle, sed in Janiculo deposuisse. Miror sane Vegium, exacti cæteroquin judicii virum, ita dissere. Is certe si Græcum Gaii textum, aut fidelem saltem versionem Latinam consuluisset, procul dubio argumentum illud repudiasset. En Gaii verba ab Eusebio Cæsariensi (*e*) relata: Ἐγὼ δὲ τὰ τρόπαια τῶν ἀποστόλων ἔχω δεῖξαι. Ἐὰν γὰρ θελήσῃς ἀπελθεῖν ἐπὶ τὸν Βατικανὸν, ἢ ἐπὶ τὴν ὁδὸν τὴν Ὠστίαν, εὑρήσεις τὰ τρόπαια τῶν ταύτην ἱδρυσαμένων τὴν Ἐκκλησίαν: Idest: *Ego vero Apostolorum trophæa possum ostendere. Nam sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere libet, comperies trophæa illorum, qui Ecclesiam illam* (Romanam) *fundaverunt*. Cum in recitato Gaii testimonio altum plane sit de via regali silentium; quin hic de hujus viæ limitibus loquamur; Vegii argumentum sponte sua corruit, ac fumi instar in tenuem aerem evanescit, simulque eorum, qui Divum Petrum in Vaticano jugo Martyrium consumasse putant, sententia confirmatur.

Quænam vero Collis Vaticani pars, ubi præclarum certamen fuit peractum? *Inter duas metas* Apostolorum Principem fuisse cruci adfixum, vetus traditio est. Hanc prælaudatus Vegius ut sua cum opinione componeret, nempe ut Montem Aureum, ubi Petrum cruci suffixum fuisse scribit, medium inter duas metas existere demonstraret; geminam illam metam eas esse censuit, quarum altera in Vaticano extabat, altera juxta Montem Aventinum, scilicet Caii Cestii sepulchrum. Sententiam hanc ob oculos habuisse quidem ii videntur, qui passionem Divi Petri tùm in valvis æneis Vaticanæ Basilicæ Pontifice Eugenio IV. fabrefactis, tùm in marmorea tabula, de qua modo tractamus, delinearunt; Utrobique enim Mons, sive jugum, in quo

Bb 2 Beati

(*a*) Exercitat. 17. (*b*) Tom. I. Bullar. Vatic. Basil. pag 29. ubi consule not. d. (*c*) Lib. 2. cap. 5. num. 3. (*d*) Lib. 2. cap. 2. cit. opusc. (*e*) Hist. lib. 2. cap. 25.

Beati Petri Martyrium exhibetur, positum conspicitur inter Caii Cestii Monumentum sive pyramidem, & aliud ædificium olim in Vaticano existens, ac *meta* appellatum, creditumque Scipionis vel Romuli sepulchrum. At Vegii interpretatio tam inepta est, quam ridiculum foret, si scriptor Actorum Divi Petri, sive alius vetus Auctor ad indicandam ejusdem Apostolorum coriphæi certam Martyrii sedem, hanc per duo illa extrema significasset: quod neutiquam verisimile est. Nam ut apposite notat clariss. Præsul Blanchinus (*a*) nemo diceret Reginam Svecorum Christinam supremum diem obiisse in ædibus sitis inter Obeliscum Vaticanum, & pyramidem Caii Cestii, ut ædes Riariorum, nunc Corsinorum, designaret inter utrumque terminum constitutas. Metas igitur, quas inter B. Petrus crucifixus perhibetur, aliter intelligi oportet, quam Vegius accepit. Porro utriusque metæ nomine Blondus Flavius (*b*) notari existimat Castrum S. Angeli, sive Hadriani molem, & aliud ædificium non inde procul in Vaticano antiquitus excitatum eo loci, ubi nunc prostat fons a Paulo V. Pontifice derivatus, exornatusque, quod quidem ædificium *meta* nuncupatum prisca nonnulla monumenta (*c*) pluries meminerunt, & ab Alexandro VI. viam Alexandrinam, vulgo *Borgo Nuovo* dirigente, solo æquatum fuisse traditur. Prælaudati Flavii Blondii verba sunt hujusmodi: *Licet Hadriani moles metarum una temporibus Petri, & Neronis ..... non fuerit; tamen tenemus, illos qui longo post Petri mortem tempore id factum literis mandare, aut pictura idiotis ostendere voluerunt, signum id metarum, quo nullum erat certius, accepisse: altera autem moles, quam marmoribus spoliatam cernimus, utrum Neronis tempore fuerit, ignoramus*. Hæc autem iis consona sunt, quæ tum Petrus Mallius de loco Crucifixionis Principis Apostolorum, ut supra vidimus, literis mandavit; tum carmina paulo ante relata ennuciant, nempè ipsum Divum Petrum eo in loco Martyrium subiisse, ubi postea extructa fuit Ecclesia Sanctæ Mariæ Transpadina, sive Transpontina, quæ juxta Hadriani Imperatoris molem, ubi nunc videmus Occidentalem fossam Castri Sancti Angeli, quondam existebat. Nihilosecius alia prælaudato Blanchino sententia est: Is enim binas illas metas interpretatur duo extrema Spinæ Circi Vaticani, inter quæ Petrum cruci affixum fuisse affirmat. Non alias item, quam circenses metas fuisse illas, quas inter idem ipse Christianæ Religionis Hierarcha passionem sustinuisse dicitur, Ferdinandus Carolus asseverat. Nam Auctor hic disertissimus duos in Vaticano circos ab se repertos esse testatur (*d*): alterum a Gajo inceptum, a Nerone autem vel perfectum, vel ornatum, vel frequentibus ludis, & cæteris circensibus spectaculis celebratum, quem lateri collis innixum, ad Meridiem in Agro Vaticano pone triumphalem viam reposuit ex vestigiis ipsius, ex compertæ sibi rei, & veterum monumentorum fide: Circum alterum ab se inventum ait ad boreales montis radices in Domitiæ Neronis amitæ hortis, qui principis scelere quæsiti cognomentum a domino duxerint. Is Gajani Circi situs fuit, ut illius carceres ad occasum diei spectarent, meta vero intueretur ortum, Neroniani autem carceres ad ortum, meta ad occasum vertere-

(*a*) In not. ad Anastas. in Sancto Petro. (*b*) Rom. instaur. lib. 1. num. 49., & 50.

(*c*) Vide Bullar. Vatic. Basil. tom. 1. pag. 27. 131. 179. In ejusdem Bullarii Volumine II. pag. 359. & seq. extat Julii II. Bulla, quæ domos *in area, sive solo olim ædificii publici Metæ nuncupati in burgo S. Petri* sumptibus Capellæ Juliæ erigendas meminit. Pontificium hoc diploma spectavit Turrigius, cum de metis, inter quas Divus Petrus cruci affixus traditur, sic habet in Crypt. Vatic. pag. 195. „ La Meta „ nel Vaticano s' intende, o quella secondo alcuni, che era nel cerchio di Nerone, dove è ora il Cam- „ panile della Basilica, e fu gettata a terra da Giulio II. per farvi l' abitazione per la Scuola de' Fan- „ ciulli Cantori di detta Basilica, come si legge nella sua Bolla nell' Archivio, nella quale tal' edificio „ vien chiamato *Meta*; o quella (il che ha più del verisimile) vicina al Sepolcro di Adriano, la quale „ era ancor essa a guisa di Piramide alta quanto il detto Sepolcro, detta similmente *Meta*, o Sepolcro „ di Romolo, o di Scipione, con voce impropria chiamata ancora da Benedetto Canonico Terebinto „ di Nerone „. At hujusmodi appellationem apud Benedictum unquam me reperisse non memini: immo is in suo Romano Ordine num. 16. & 50. Romuli Sepulchrum secernit a Neronis obelisco, quo nomine celebrem, proceramque terebinthum arborem denotare videtur. Metam vero in Julii II. prælaudato diplomate commemoratam, aliam esse ab ea, quæ prope Hadriani molem extabat, mihi haud facile suaserim, nisi gravia hujus rei argumenta producantur. (*d*) Apud Severan. in lib. de VII. Eccl. pag. 283

teretur ; ea loci propinquitate, ac dispositione, ut inter utrumque circum triumphalis ager extenderetur ad flumen usque productus, & utraque utriusque circi meta invicem ita sese respiceret, ut linea recta in longitudinem stadii inter utramque deducta desineret in utramque. Hisce positis, concludit, B. Petrum inter supremas illas duorum Circorum, Gajani, scilicet, & Neroniani, binas metas in cruce actum fuisse: & hunc locum non alium ab eo censet, in quo primum ipsi Apostolorum Principi S. Anacletus Pontifex Memoriam extruxit, ac deinde Constantinus Magnus regali plane munificentia sacram ædem erigendam curavit, piis nationum omnium peregrinationibus a remotissimis Christianæ Reipublicæ sæculis ad nostrum usque ævum celebratam. Hactenus de propria Martyrii B. Petri sede; de qua etsi forsitan dubites, utrum in hac, vel in illa Collis Vaticani parte sit statuenda, gravia tamen præsto sunt argumenta, quibus ostendas, ipsum Jesu Christi Vicarium Sanctissimum in Vaticano potius, quam in Janiculo, sive Aureo Monte supremum Deo spiritum reddidisse.

Eumdem Divum Petrum cruci affixum quatuor clavis, cumque suppedaneo, in hac tabula sculptor exhibuit: qua in re vetustas Redemptoris Nostri Crucifixi imagines eo modo, vel coloribus expressas, vel cælatas spectasse videtur. Suppedaneum sane, quod ad corpus sustentandum adhibebatur minimè convenit passioni Beati Petri, qui pedibus sursum elatis, & capite in terram verso, fuit in cruce suspensus. Ipsum autem illi venerando stipiti clavis affixum, & æneæ, quas paulò ante indicavimus, Vaticani Templi valvæ repræsentant ; & S. Joannes Chrysostomus (a) insinuat, cum beatos celebrat clavos, qui Sancta Petri membra perforarunt, eosdemque pro gemmis infixis in diademate vehementer cupit. Si Oldoino in additionibus ad Ciaconium fidem adhibeamus, Tertullianus Apostolorum Principem cruci vinculis adstrictum innuit. Tertulliani tamen locus sub finem libri Scorpiaci, quem in duabus editionibus consului, est hujusmodi: *Orientem Fidem Romæ primus Nero cruentavit. Tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruci adstringitur*. De vinculis nulla hic mentio: quare Oldoinus, qui recitata Tertulliani verba proferens legit: *Cum cruci vinculis adstringitur*: aut vitiata usus est editione, aut locum perperam exscripsit.

Jam vero quæ in altera hujus tabulæ figura præferuntur historiæ, per se patent. Beato Petro claves Regni Cœlorum, supremam scilicet in Ecclesia potestatem, Christus antequam pateretur, promisit (b) Fidem liberavit, cum post resurrectionem suam ipsi Petro agnos, & oves, cunctos nimirum fideles regendos commisit; eumdemque constituit Pastorem, Caput Supremum ac spiritualem totius Ecclesiæ principem (c). In hoc autem lapide sub num. 2. Christum Dominum Petro summam Auctoritatem reipsa conferentem, non promittentem, cælator expressisse videtur: undecim quippe in ipso marmore Apostoli conspiciuntur; quot nempe, postquam sceleſtissimus Judas laqueo se suspendit, erant numero, dum supremam illam potestatem redivivus Salvator noster eidem Petro demandavit.

In tabula denique num. 3. signata Princeps Apostolorum una cum S. Joanne occurrit, claudo gressum divinitus restituens, quemadmodum S. Lucas enarrat (d). In eo tamen Sculptor nonnihil peccavit, quod Petrum effinxerit, prehendentem claudi lævam. Secus enim Acta Apostolorum habent, si Græcum textum, & Vulgatam sequamur versionem, ubi legimus (e) *Apprehensa manu ejus* (Claudi) *dextera, allevavit eum*: In textu autem Græco est: Πιάσας αὐτὸν τῆς δεξιᾶς χειρὸς ἤγειρε. Januæ quoque inspicitur imago, qua, ni fallor, designatur ea Templi Hierosolymitani porta, ante quam claudus ille jacebat, quamve ὡραίαν speciosam vulgus dicebat, quod pulchritudine alias templi portas præcelleret; & Corinthiam, si Baronium audiamus, Josephus appellat, quod ex ære Corinthio, ac fortassis etiam forma Corinthia ab Architectis constructa esset.

TA-

(a) Apud Simeon. Metaphrast. (b) Matth. cap. 16. v. 19. (c) Joann. cap. 21.
(d) Act. Apost. cap. 3. (e) Ibid. vers. 7.

TABULA LXXX.

BInæ isthæc marmoreæ tabulæ, quemadmodum aliæ geminæ, quas proxime exhibuimus, in longitudinem palmorum x. semis, ac in altitudinem palm. v. cum dimidio, nunc prostant ex Pauli V. Pontificis jussu in hypogæo sacræ Vaticanæ Confessionis ad Occidentem, olim vero antiquum aræ principis Divi Petri ornabant Ciborium, quod Sixtus IV. ut alibi dictum est (*a*) restituit. In priori autem præsentis tabulæ figura occurrit S. Pauli Martyrium a vetustissimis Ecclesiæ Scriptoribus celebratum. Nam Beatissimum hunc Fidei Christianæ præconem *Joannis exitu* coronatum, nimirum capite fuisse truncatum, eo plane modo, quo S. Joannes Baptista peremptus fuit, Tertullianus (*b*) literis consignavit. Eidem Apostolo Paulo, jubente impio & crudeli Nerone caput fuisse amputatum, Eusebius Cæsariensis (*c*) Sanctus Gaudentius Brixianus Episcopus (*d*) Sanctus Petrus Alexandrinus (*e*) Divus Hieronymus (*f*) Prudentius (*g*) Paulus Orosius (*h*) aliique multi Ecclesiæ Patres atque Scriptores tradiderunt, Me non latet, quod apud Sanctum Gregorium Nyssenum legimus (*i*) Apostolum scilicet Paulum cruce Martyrium consumasse: Ait namque: Οὕτω δέχεται τὸν ςαυρὸν ὁ Παυλός. τὸ ξίφος Ἰάκωβος. τὺς λίθυς Στέφανος. τὸν ἐπὶ κεφαλὴν ἀνασκολοπισμὸν ὁ μακάριος Πέτρος: Nempe *Crucem Paulus excipit, gladium Jacobus, lapides Stephanus, capite deorsum verso crucifixionem Beatus Petrus*. Equidem credere par esset, ex oscitantia nomen Pauli loco Petri in Textum irrepsisse, nisi in eadem periodo de S. Petri crucifixione mentio fieret luculentissima. Si autem illud vere scripsit Nyssenus, ejus Auctoritas hac in re tanti facienda non est, ut unanimi Patrum, Scriptorumque Ecclesiasticorum consensui præferri debeat: quem sequutus hujus tabulæ sculptor, vere carnificem expressit stricto gladio caput Sanctissimo Apostolo exscindentem. Hoc quidem supplicii genere Cives Romani plectebantur, queis Paulus fuerat adnumeratus; ut ex Apostolorum actis cap. 22. v. 25. & seqq. docemur; atque huc alludit Tertullianus sub finem libri Scorpiaei, inquiens: *Paulus Civitatis Romanæ consequitur nativitatem, cum illic Martyrii renascitur generositate*. Locum passionis Beati Apostoli, uti constat ex Prudentii versibus in superiori tabula relatis, Tiberina palus fuit. Illum vero etiam indigitat S. Gregorius Magnus; hic quippe Summus Pontifex Massam; quæ *Ad Aquas Salvias* ex familia Salviorium, si Turrigio credimus (*k*), nuncupata est; Ostiensi Divi Pauli Basilicæ addixit; quod rem valde incongruam judicabat, ut ea Doctori Gentium *specialiter possessio non serviret, in qua palmam sumens Martyrii, capite est truncatus, ut viveret* (*l*).

In eodem lapide occurrit effigies viri, quem detinent milites. Is diademate cinctum habet caput, ac barbam prolixam gerit, qualem profecto in vetustis Pauli imaginibus videre est: idcirco effigie ista, ni fallor, ipse Apostolus exhibetur, qui a satellibus ad supplicium ducitur.

Quod præsertim Divus Petrus, & Sanctus Paulus Apostoli in Urbe Roma cum Simone Mago iniere certamen; quamve præcibus Deo fusis de impudentissimi hominis præstigiis victoriam reportarunt; inferior hujus tabulæ figura sub num. 2. ostendit. Rem enarrant vetustissimi Ecclesiæ Scriptores, quos inter Arnobius quarto æræ Christianæ sæculo clarus, postquam animadvertit una cum aliis Gentibus Romanos quoque, patriis ritibus derelictis, Christo nomen dedisse, mox ita subjungit (*m*): *Viderant enim* (Romani) *currum Simonis Magi, & qua-*

(*a*) Ad Tabulam LXXVIII. (*b*) Lib. de Præscription. cap. 36. (*c*) Histor. lib. 2. cap. 25.
(*d*) In serm. de S Petro, & Paulo. (*e*) Can. 9. pœnit. (*f*) De script. Eccles. cap. 5.
(*g*) Περὶ στεφ. Hym. 12. (*h*) Lib. 7. hist. cap. 5. (*i*) De Beatitudinib. Orat. 8. tom. 1. oper. ejus pag. 835. edit. Paris. 1615. (*k*) Crypt. Vatic. pag. 52. (*l*) S. Greg. Mag. lib. 12. epist. 7.
(*m*) Lib. 2. Disputat. adversus Gentes pag. 50. edit. Lugd. Batav. 1651.

& quadrigas igneas Petri ore difflatas, & nominato Christo evanuisse. Viderant, inquam, fidentem Diis falsis, & ab eisdem metuentibus proditum, pondere præcipitatum suo, cruribus jacuisse præfractis: post deinde perlatum Brundam, cruciatibus, & pudore defessum ex altissimi culminis se rursum præcipitasse fastigio. Historiam hanc Cyrillus Hierosolymitanus, & ipse quarto Ecclesiæ sæculo tùm Sanctitate, tùm eruditione conspicuus, graphice quoque describit in Catechesi VI. illuminandorum, ubi hæc habet: *Cum vero error* (Simonis Magi) *se latius spargeret, vitium illud correxit egregium par virorum Petrus, & Paulus Ecclesiæ Præsules illuc* (Romam) *appulsi; Simonemque, illum videlicet opinione Deum superbe se ostentantem, subita morte perculerunt. Nam cum pollicitus esset, se sublimem in cœlos elatum iri, ac Dæmonum vehiculo sublatus per aera ferretur, genibus provoluti Servi Dei, concordiamque illam demonstrantes, de qua Jesus dixerat*: Si duo ex vobis concordarint, de omni re, quamcumque petierint, fiet eis: *concordiæ telo per precationem adversus Magum immisso, præcipitem ad terram dejecerunt. Neque tibi res illa mira videatur, tametsi alioquin admiranda. Petrus namque erat is, qui Cœli claves circumferebat. Nihil quoque miri: Paulus enim erat is, qui in tertium cœlum, atque in Paradisum raptus erat, audieratque arcana verba, quæ non licet homini loqui: Ex sublimi aere illum existimatum Deum ad terram dejecerunt, ad subterranea deprimendum.* Arnobio, & Cyrillo Severum Sulpicium adjungimus, qui suæ Historiæ lib. 2. de SS. Petri, & Pauli adversus Simonem Magum conflictu verba faciens, ait, impostorem illum, ut se Deum probaret, duobus suffultum Dæmonibus evolasse; sed orationibus Apostolorum, fugatis Dæmonibus, in terram dilapsum, populo inspectante disruptum fuisse. Missos faciam bene multos, eosque veteres Ecclesiasticos Scriptores, Philastrium, Augustinum, vetustum Apostolicarum Constitutionum Auctorem, S. Maximum, & alios, qui idem factum commemorarunt: Silentio tamen haud præteribo Divum Ambrosium, in Urbe moribus institutum, ac literis excultum, lib. 4. Exameron cap. 8. rem gestam ita literis consignantem: *Petrus Simonem alta cœli Magico volatu petentem, dissoluta carminum* (Magicorum) *potestate dejecit & stravit*; atque idipsum innuit in concione de basilicis non tradendis contra Auxentium cap. 1.

Equidem scio, aliquos emunctæ naris criticos Simonis Magi lapsum in dubium revocasse: illud vero, quod Desiderius Heraldus in recitatum Arnobii locum animadvertit, nempè: *Hæc fabula ab Scriptoribus Ecclesiasticis passim inculcatur*: temere pronunciatum censeo. Si enim id fabulis adnumeremus, quod Sæculi IV. & V. Auctores gravissimi testati sunt, quod posterior ætas perpetuo retinuit, quod S. Ambrosius in Urbe educatus, & rerum Ecclesiæ Romanæ satis peritus tradidit; historiæ fides pereat, aut maxime vacillet, vel debilitetur, necesse est. Neque ulla suppetit ratio ad convellendam eorum, quos in medium adduximus, veterum Scriptorum auctoritatem idonea. Obiicientibus enim, eosdem Auctores in aliqua facti circumstantia, discrepare; facile reponimus, ipsos in rei gestæ summa enarranda concordes esse; quod plane efficit, ut historiæ veritas constet: Ea insuper, in quibus pugnare inter sese Auctores illi videntur, Ambrosius Garbebosch in sua Ecclesiasticæ Historiæ Synopsi sec. 1. part. 4. lib. 1. Dissert. 1. quæst. 2. facili negocio conciliare studuit. Ad labefactandam relatæ historiæ fidem, aliud telum intorquetur, scilicet: trium priorum Ecclesiæ sæculorum nullus reperitur Auctor, qui Simonis Magi lapsum meminerit. Hoc tamen argumentum, ut nemo non videt est mere negans; quod positivo opponere non licet, ac proinde antiquissimæ traditioni refellendæ minus aptum: traditioni, inquam, non solum vetustissimæ, sed etiam adeo in Urbe receptæ, ut locum, ubi Impostor ille scelestissimus præceps ruit, intento veluti digito Romani demonstrarent. Benedictus quippe Vaticanæ Basilicæ Canonicus describens Summi Pontificis iter ex eadem Basilica ad Lateranense Palatium, sic ait, (a): *Subintrat* (Pontifex) *arcum Nerviæ inter templum ejusdem Deæ, & templum Jani, ascendit ante asilum per silicem, ubi cecidit Simon Magus, juxta templum Romuli; pergit sub arcu triumphali Titi, & Vespasiani*

(a) Ord. Roman. num. 51.

ni &c. Eumdem quoque locum *Simonium* fuisse appellatum, Nicephorus Callixtus lib. 2. Hist. cap. 36. tradit. Ad hæc S. Gregorius Turonensis lib. de Glor. Mart. cap. 27. testatur, ævo suo extasse in Urbe Roma binas in lapide fossulas, super quas B. Apostoli deflexo poplite contra Simonem Magum preces ad Dominum fuderunt.

In marmoris medio sculptor machinam effinxit, ut designaret Magum ex instrumenti illius summitate volatum incepisse: Nullus enim dubito, quin ab cælatore historia fuerit expressa, prout legitur in quodam codice (a) ubi fertur Simon Magus a Nerone postulasse turrem excelsam fieri ex lignis, & trabibus magnis, & in Campo Martio collocari, ut postquam illam ascendisset, cœlos volatu penetraret; sed mirandum opus temere agressus in eum corruisse locum, qui *via sacra* nuncupatur. Beatissimi Apostoli Petrus, & Paulus orantes conspiciuntur; & hic quidem flexis genibus, ille vero stans præcatur. Populi frequentia occurrit; ac alii oculis sursum elatis impium Simonem volantem spectare videntur; alii eumdem contemplantur ex aere præcipitem actum, & tanquam exanimem coram Nerone humi jacentem. Spectaculis, quæ truculentissimus hic Princeps Romano Populo exhibuit, pyrrhichas quasdam e numero epheborum Svetonius accenset, ac paucis interjectis, hæc addit (b) *Icarus primo statim conatu, juxta cubiculum ejus* (Neronis) *decidit, ipsumque cruore respersit*. Ad Simonis Magi casum nonnulli ista referunt, sed perperam, ut mihi videtur. Illud sane ratum est atque exploratum, Svetonium eo in loco de pyrrhicha loqui, nempe de tripudii genere, quo armati potissimum juvenes exercebantur, accinente interim aliquo carmen hyporchematicum, ad cujus scilicet numeros qui saltabant pueri, motus componebant.

Antequam hanc dimittamus Tabulam, Lector monendus est, veteres quamplures existimasse Simonis Magi casum die Dominica contigisse, ac Divum Petrum, totamque Romanam Ecclesiam, ut præstigiatoris iniquæ artes panderentur, pridie nimirum Sabbatho jejunasse. Certe Urbicus quidam scripto edito jejunium Sabbathi in Romana Ecclesia observatum, sic propugnavit, ut Ecclesiis omnibus præceptum esse adfirmaverit. In hujus autem rei confirmationem, *Petrus*, inquit Auctor ille apud S. Augustinum in epistola ad Casulanum, *extincto Simone, qui fuerat Diaboli, nonnisi jejunio vincendi, figura; idipsum Romanos edocuit, quorum fides annunciatur universo Orbi terrarum*. Sed & Augustinus in eadem Epistola memoriæ prodidit: esse quidem & hanc opinionem *plurimorum* (*quamvis eam perhibeant esse falsam plerique Romani*) quod Apostolus Petrus cum Simone Mago die Dominico certaturus, propter ipsum magnæ tentationis periculum, pridie cum ejusdem Urbis Ecclesia jejunaverit. Equidem Sabbatici jejunii apud Romanos usitati eam esse, potiorem saltem, rationem puto, quam Sanctus Innocentius I. Pont. Max. in Epist. ad Decentium cap. 4. affert, nempe quòd Apostoli in Christi passione non modo sextam feriam sed etiam Sabbatum, summa affecti tristitia, jejuni transegerunt: At hæc obiter. Illud sane ad rem denique notandum, Tabulæ huic uti, & præcedenti LXXIX., vicesimamtertiam in alio licet Cryptarum Vaticanarum positam loco, esse sociandam.



TA-

(a) Cujus Verba Turrigius affert in suo Opusculo inscripto Li sagri Trofei Romani pag. 81.
(b) In Vita Neronis Claudii.

TABULA LXXXI.

Multa veterum clarissimorum virorum sepulchra olim apud Vaticanum extitisse, Aringhii *Romam Subterraneam* percurrentibus satis constat. Debet inter ea monumenta recenseri Junii Bassi Sarcophagus & pario marmore, & opere Corinthio, altitudine palmos fere v., latitudine palm. supra v., ac longitudine palm. IX. semis protensus: quem apud sacram Beati Apostoli Petri Confessionem, dum Clemens VIII. ipsam exornaret, anno MDXCV. repertum (*a*) ac postea in ambitu ejusdem Confessionis ad occidentalem plagam collocatum, Aringhius primum (*b*) deinde Cl. Joannes Bottarius (*c*) delineandum, atque explicandum curarunt; præsens autem Tabula exhibet una cum ejusdem sepulchri partibus lateralibus, quæ apud ipsum Aringhum desiderantur.

Bassos insigni prognatos genere commemorat Prudentius, nec ullum mihi dubium est, quin hunc etiam, de quo loquimur, Junium Bassum spectaverit idem Christianus Poeta, dum contra Symmachum prophanæ superstitionis defensorem ita cecinit (*d*):

Non Paulinorum, non Bassorum dubitavit
Prompta fides dare se Christo, stirpemque superbam
Gentis patriciæ venturo attollere sæclo.

Prælaudatus Cl. Joannes Bottarius Aringhum, & Chamillardum erroris arguit, quod *Bassi* nomen ad familiam referant. Num verò ex Junia gente ortum duxerit noster Junius Bassus, haud facile decerni potest. Nam etsi Romana stante Republica, ea nominum ratio haberetur, ut proprium id nomen fuerit, quod prius, idest prænomen, posterior vero gentem, ac tertium peculiarem ejusdem gentis familiam indicaret, quod in nominibus, Cajus Julius Cæsar, planum fit; hæc tamen nominum ratio, atque distinctio post Reipublicæ occasum, ac præsertim (*e*) cum Antoninus Caracalla decrevit (*f*), quoscumque in Romani Imperii ambitu degentes, Romana Civitate frui, neglecta est, adeout nullum postea familiæ, nullum gentis certum nomen fuerit; filii etiam a patribus & fratribus, omnibus fæpe nominibus, aut fere omnibus discreparint, ut optime notat Sirmondus (*g*) qui exempla indigitat in Flavio Avito Mariniano Asclepiodoti collega in Consulatu, cujus filius Rufius Prætextatus Postumianus appellatus est, consul & ipse Apollinari Sidonio puero: & in Q. Clodio Hermogeniano Olybrio, & Faltonio Probo Alypio, qui Theodosii ævo fratres fuerant. Quod igitur Bassus nominetur Junius, hinc certo inferre non licet, ipsum ad clarissimam gentem Juniam pertinuisse, de qua Fulvius Ursinus, Antonius Augustinus, aliique de vetustis Romanis familiis agentes edisserunt. Nec illud asserere ausim, quatuor Imperatorias leges *Basso Urbis præfecto* inscriptas, nimirum leg. 11. lib. 5. Cod. tit. 34. leg. 22. lib. 2. Cod. tit. 13. anno Christi CCCXIX. promulgatam, leg. 2. lib. 1. Cod. tit. 51. anno CCCXXIX. sancitam, & leg. 4. lib. 3. Cod. tit. 39. anno CCCXXX. excusam, ad nostrum Bassum datas fuisse: quamquam enim hic Urbi Præfectus fuerit, anno tamen salutis CCCXXX. ut ex ejusdem sepulchrali titulo inferius recitando colligimus, nonnisi tresdecim ætatis annos numerare potuit. Idcircò non videò cur Felix Contelorius cap. ultimo sui de Præfecto Urbi libelli, cum de Junio Basso verba facit, prælaudatas Imperatorias leges meminerit. Ipsum insuper Bassum ante suam promotio-

(*a*) Aringh. Rom. Subterr. lib. 2. cap. 10. pag. 275. (*b*) Ibidem. (*c*) In suis explicationibus Romæ Subterr. tom. 1. pag. 35. seq. (*d*) Lib. 1. vers. 559. (*e*) Panvin. de Nominib. Roman. (*f*) Lib. 17. ff. de statu hominum. (*g*) In notis ad Apollinar. Sidon. sub initium.

tionem ad Urbanam præfecturam, Campaniæ consularem fuisse, existimat nuperus, isque eruditus Auctor ad Inscriptionem a Reinesio (*a*) editam provocans. At epigramma illud proculdubio spectat ad *Anicium Auchenum Bassum*, quem cum nostro Junio Basso eumdem esse, affirmari profecto nequit. Hic enim e vivis abiit anno æræ vulgaris CCCLIX. ut paulo infra videre est: at Anicius Auchenius Bassus anno Christi CCCLXXXIII., aut paulo ante Urbi Præfectus fuit. Faustinus quoque, & Marcellinus presbyteri Schismatici in libello precum commemorant *Bassum Judicem*, apud quem contra Ephesium dicunt Damasum egisse; & de quo num Christianus fuerit, Tillemontius dubitat, tametsi Bassum hunc ipsi presbyteri *olim Catholicam Religionem venerantem* exhibeant. Sed Junium Bassum, cujus sepulchrum describimus, Urbi præfectum fuisse, & in hoc munere obeundo paulo post acceptum Regenerationis Lavacrum e vita migrasse, sepulchralis ejusdem epigraphes luculentissime demonstrat.

Hæc Inscriptio in superiori lapidis ora legitur, & est hujusmodi: *Junius Bassus V. C. qui vixit annis XLII. men.* II. *in ipsa præfectura Urbi neofitus iit ad Deum* VIII. *Kal. sept. Eusebio, & Ypatio coss.*, nimirum anno Domini CCCLIX. quo juxta Fastos Consulares a Panvinio, Ant. Pagio, aliisque ordinatos Eusebius & Hypatius consulatum gesserunt. Eam Gruterus (*b*) & Sirmondus (*c*) fideliter, ac prorsus ad archetypi fidem, sed Relandus (*d*) & Henricus Valesius (*e*) haud satis accuratè exhibuerunt. Quum Junius Bassus die 25. Augusti anno salutis CCCLIX. decesserit exactis suæ ætatis XLII. annis, ac mensibus II, certe anno Christi CCCXVII. natus fuit. Urbis præfectura, qua decoratus ille est, magistratus quidem extitit apprime splendidus, de quo Sidonius Apollinaris Urbanam præfecturam sibi delatam notans, in Carmine sapphico (*f*) sic ait:

Accepi capiens honorem,
Qui patrum, ac plebis simul, unus olim
Jura gubernat.

Præfectus Urbi erat Senatus Princeps, patres consulebat, de illis judicabat, ipsorumque jura tuebatur, multa demum Reipublicæ munera exercebat, quæ Ulpianus variis in locis recenset. (*g*) Quod in eadem Inscriptione Junius Bassus dicitur Neophytus obiisse, Ecclesiæ historiam scientibus mirum, aut impervium non est. Alii id ge-

(*a*) Pag. 395. (*b*) Pag. 1162. num. 1. (*c*) In notis ad Ennod. (*d*) In Fast. Consul. ann. 359. pag. 390. (*e*) In not. ad Ammian. Marcellin. lib. 17. (*f*) Epist. 16. lib. 9. (g) Turrigius in libro de Cryptis Vaticanis pag. 268. Junium Bassum Urbi præfectum, ejusque sepulchrum commemorans, postquam ex Turonensi animadvertit, Sanctum Gregorium Magnum ante monachatus professionem præfectura Urbis fuisse decoratum, eamdemque dignitatem Carolo Magno delatam, ex Nic. Alemanno adnotavit; factum enarrat, quod utpote ab se propriis oculis inspectum, minime prætereundum existimavi. Sic igitur ait „ Tal segnalata dignità è stata l'anno 1631. a dì 12. di Maggio conferita da „ nostro Signore (Urbano VIII.) con molto applauso nella persona dell' Eccellentissimo Don Taddeo „ Barberino, e fu dichiarato in Consistoro a Monte-Cavallo in Lunedì mattina in luogo di Francesco „ Maria Feltrio, ultimo, e VI. Duca d' Urbino, qual passò all' altra vita a dì 28. di Aprile in Castel „ Durante, vecchio di sopra 80. anni, per la cui morte è ricaduto lo stato d' Urbino a S. Chiesa, alla „ quale Iddio Benedetto conceda sempre pace, e tranquillità. Fece il prefato Eccellentissimo Don Tad- „ deo in Roma con molto splendore alli 3. di Agosto in Domenica l' entrata solita per la Porta del Po- „ polo sino al suo Palazzo posto quasi incontro alla Chiesa di S. Salvatore in Campo con numerosa „ Comitiva di gran Personaggi, e Titolati, e a dì 6. dell' istesso in Mercoldì mattina gli fu dato dall' „ istesso Pontefice l' abito antico prezioso di Prefetto, cioè Dalmatica, Manto &c. presenti 30. Car- „ dinali nella Cappella Apostolica del Quirinale con grandissima solennità, ed in quella mattina sua San- „ tità lo ritenne seco a pranzo in Mensa distinta, e ad ore 22. con nobilissima Cavalcata andò dal Qui- „ rinale al suddetto Palazzo; a vedere il qual spettacolo concorse tutta Roma non essendo stata vista „ da molti e molti anni in quà simil pompa. A dì 21. di Marzo 1632. nel Vaticano la Domenica *Lætare* „ N. S. gli diede solennemente la Rosa benedetta, e fu accompagnato da 34. Cardinali in mezzo alli „ due primi Diaconi Cardinali, cioè Francesco Barberino e Ippolito Aldobrandino con molto applauso. „ Nella sala di Campidoglio si legge in marmo a lettere d' oro tal' iscrizione. Tadæo Barberino Præ- „ nestinorum Principi, & summo Ecclesiasticarum Copiarum Duci pristinam Urbanæ præfecturæ glo- „ riam, quæ pridem aberat ab Urbe, in Capitolium reducenti, Roma gratulans publicum grati animi „ monumentum ex S. C. posuit anno M. DC. XXXI. Die xx. Septembris. Petro Francisco Paulo, Fa- „ bio Fano, Petro Antonio Muto Coss. Fabio Celso Priore „.

genus tituli sepulchrales apud Gruterum (*a*), Fabrettum (*b*), Montfauconium (*c*), ac Muratorium (*d*) suppetunt. Nempe vetustioribus sæculis in more positum fuit, ut sacri Baptismatis susceptionem ad extremum vitæ terminum non pauci differrent; alii eo quidem animo, quo licentius viverent, suisque indulgerent voluptatibus, nec interim præscriptas consulte ab Ecclesia Christianæ pœnitentiæ leges maxime laboriosas subire cogerentur, quos ideo complures Sancti Patres acriter coarguebant, atque inter cæteros S. Gregorius Nazianzenus (*e*) S. Epiphanius (*f*) S. Joannes Chrysostomus (*g*) Sanctus Cornelius Papa (*h*) & Synodus Neocæsariensis (*i*) jubendo ne clinici, si morbo convaluerint, in Clerum assumerentur: alii vero Baptismum aliquandiu distulerunt, ut prævia virtutum exercitatione ad Sanctum Lavacrum sese pararent, in quorum censu S. Martinus Turonensis, S. Ambrosius, aliique nonnulli reponendi sunt. Quænam Junio Basso mens fuerit in protrahenda Baptismatis susceptione, exploratum non habeo. Is forsitan tempus præstolabatur, quo Reipublicæ curis vacuus posset se colligere, sicque ad sacras undas accedere: sed cum talia cogitaret, annumque ætatis XLII. explevisset, ac XLIII inchoasset, lethali morbo correptus est, ideoque, ut videtur, in lecto baptizatus, paulo post immatura morte occubuit, sive ut epigraphe legitur, neophytus *iit ad Deum*: quæ sane phrasis aut omnino similis in veteribus Christianorum tumulis raro quidem, sed non semel occurrit (*k*); eaque majores nostri spem illam bonam significari voluerunt, qua confidebant sacris undis nuper ablutos, aut dudum pœnitentia mundatos, æternæ cum Deo felicitatis post ærumnosam hanc vitam fore participes.

Jam vero ad historias, quas opere anaglyphico cælatas anterior Sarcophagi facies præfert, accedamus. Hæc sane decem loculamentis, sive ædiculis, quinque in superiori parte, totidem in inferiori distinguitur. Primum loculamentum obvium ad lapidis dexteram, Abrahamum Patriarcham exhibet, qui stricto gladio, filium suum unigenitum Isaac, Deo jubente, immolaturus, ab Angelo inhibetur, quamquam Angeli manus dumtaxat ex alto descendens appareat; quemadmodum in antiquis Fidelium picturis, atque operibus anaglyphicis licet inspicere. Illud etiam notatu dignum est, historiam minus exacte a Sculptore expressam fuisse. Nam ille sacrificii altare, supra quod ignem, & ad cujus latus pateram conspicimus, more veterum Romanorum delineasse videtur; Isaac jamjam immolandum ante Aram composuit; virum quemdam, ceu testem holocausti, marte proprio adjecit; & loco Arietis, pro Isaac in sacrificium penitus absumendi, agnum exculpsit. At hæc cum Moysis narratione minime concinunt. In Monte Moria, quemadmodum liber Genesis (*l*) prodit, Abraham *ædificavit altare*; non aliter sane, uti conjicitur, quam effosso illic cespite, saxisque collectis; puerum Isaac non ad aræ calcem, sed *in altare super struem lignorum* posuit; maximò holocausto neminem adfuisse recte ex eo colligimus, quod Abraham ad statum sacrificii locum famulos accedere non sivit, & procul inde consistere mandavit, fortassis ne exequutionem operis præpedire conarentur. Denique nullus inficias ibit, quin contra historiæ fidem Agnus pro Ariete, aut si mavis Aries absque cornibus cælatus sit. Textus enim Hebraicus, & versio tùm Græca septuaginta Interpretum, tùm Latina vulgata habent, Abrahamum obtulisse Arietem, hujusque pecudis cornua diserte meminerunt. Quidnam vero esse causæ dicemus, cur tàm in præsenti sculptura, quam in nonnullis antiquis vitris, & aliis æque vetustis aliquot monumentis eamdem Abrahami Patriarchæ historiam præferentibus, Aries fuerit absque cornibus effictus? Non una est omnium sententia. Bonarotius in observationibus ad prisca fragmenta vitrea (*m*) duplicem suppeditat rationem; alteram scilicet, quod cælator inflexa Arieti cornua appingere ex oblivione neglexerit; alteram, quod idem opifex vel ex Ponto fuerit, ubi, ut Aristoteles refert, cornibus Arietes carent,

 vel

(*a*) Pag. 1051. 1053. 1054. 1057. 1060. (*b*) Cap. 8. num. xxxvi. (*c*) Diar. pag. 118.
(*d*) Pag. 1819. num. 6. (*e*) Orat. 40. (*f*) Advers. Hæres. lib. 1. (*g*) Homil. 1. & 23. in Act. Apost. (*h*) Epist. ad Fab. Antiochen. apud Euseb. lib. 6. Hist. cap. 43. (*i*) Can. 12.
(*k*) Gruter. pag. 1049. Vide & pag. 1051. num. 2. (*l*) Cap. 22. (*m*) Pag. 15.

vel ex alia regione, in qua pecus istud Ponticis Arietibus sit assimile. Sed Artifex, etsi alienigena, nosse facile potuit, quales essent nostrates Arietes; ut observat prælaudatus Bottarius, cui alia est facti ratio. Nimirum probabilius putat, Sculptorem ob oculos habuisse verba tum Isaaci, juxta versionem LXX. sic patrem interrogantis: Πῦ 'εςι τὸ πρόβατον τὸ εἰς 'ολοκάρπωσιν; scilicet: *Ubi est Agnus* (pro *Agnus* Vulgata legit, *victima*) *ad holocaustum*? tùm Abrahami ita reponentis: 'Ο Θεὸς ὄψεται 'εαυτῷ πρόβατον 'εις ὁλοκάρπωσιν, idest, *Deus providebit sibi Agnum* (hic quoque *victimam*, non *Agnum* in vulgata legimus) *ad holocaustum*. Quo etiam spectasse opinatur S. Ananiam Martyrem sic orantem (*a*) *Domine ..... qui Isaac oblatum tibi sacrificium sanctificasti, & pro IPSO AGNUM PRÆPARASTI* &c. Vocabulum tamen *Agnus* aliquando pro Ariete usurpatum fuisse, discimus ex Divi Zenonis Sermone (*b*) ubi de Abraham in hunc modum loquitur: *Eo ferro mactavit ARIETEM, quo filium percutere jam parabat. A filio ad AGNUM transtulit dexteram semper lætatus & gaudens*. Nihilominus, ut cl. Bottarii Conjecturæ plaudendum arbitror, sic eruditissimi Bonarotii rationem primo recitatam valde probabilem censeo. Si enim cælator in aliis exprimendis sacrificii ab Abraham peracti circumstantiis, ex indiligentia, ut paulò ante vidimus, erravit; perinde ex incuria, vel ex oblivione errare potuit cum pro Ariete Agnum, sive Arietem absque cornibus exculpsit. Virgultum quoque delineavit, quo ant sibi proposuit innuere, sacrificium in loco arboribus consito fuisse oblatum, aut verbum Hebraicum *Sabec* cum LXX. Interpretibus, ac Theodotione pro virgulto accipiens, hoc etiam effigiatum voluit. Textum namque Hebraicum libri Geneseos cap. 22. vers. 13. Septuaginta sic reddiderunt: Ἐιδε καὶ ἰδοὺ κριὸς εἷς κατεχόμενος 'εν φυτῷ Σαβεκ τῶν κεράτων; idest: *Vidit* (Abraham), *& ecce Aries unus detentus in planta Sabec cornibus*. Vox tamen *Sabec* verius *perplexitatem* sonat, ut cum optimis interpretibus Buxtorfius explicat, prælaudatum allegans Genesis locum, qui ad literam ita verti potest: *Et vidit* (Abraham) *& ecce Aries post* (eum) *detentus in perplexitate in cornibus*. At de hoc satis.

Proxima nunc ædicula, sive loculamentum sese aspiciendum offert. Historiam in eo exculptam aliter Aringhus interpretatur, aliter Turrigius (*c*) exponit. Hic Josephum Patriarchæ Jacob filium a fratribus venditum Ismaelitis mercatoribus, exhiberi autumat: quod Bottarius improbat, cùm laterales duæ imagines clamide indutæ sint; quæ vestis militibus quidem prætorianis, non Ismaelitis mercatoribus convenit. Vero itaque similior est Aringhii opinio, in eo scilicet loculamento historiam Apostoli Petri Christum Dominum suum ignave nimis & abjectè negantis cælatam fuisse, quæ in aliis etiam Sarcophagis non semel occurrit.

Tertia ædicula, si eidem Aringho audiamus, Christum Dominum, qui medius inter Apostolorum Principes Petrum & Paulum in solio sedet docenti similis, repræsentat. Duorum vero, qui hinc inde Redemtori adstant virorum lineamenta vultus, vetustis eorundem Apostolorum imaginibus absimilia videntur Cl. Bottario: Qui puerilis ætatis ideam, explicatumque codicem in figura media animadvertens, Turrigii sententiam amplectitur, putantis (*d*), Christum duodecim annos natum, cum doctoribus disputantem, in hoc loculamento præferri. Salvatoris pedibus figura subest, pannum volitantem manibus tenens. Hac autem nota Hieroglyphica firmamentum designatum volunt (*e*): quod Christi pedibus fuit suppositum ad innuendum forsitan contra Paulum Samosatenum aliosque Hæreticos ejusdem Christi Domini divinitatem negantes, ipsum qui miro sane modo cum legis doctoribus differebat, illam esse increatam, divinamque Sapientiam, quæ sub temporis initium aquas ab aquis firmamento divisit, Mundum creavit & rectissime disposuit; nec Filium Dei esse hunc Mundum oculis corporeis subjectum, ut perperam nonnulli dictitabant (*f*) sed totius Mundi conditorem atque moderatorem.

In quarta ædicula Servatorem nostrum, qui

(*a*) Apud Bolland. 25. Februar., cap. 3. act. S. Ananiæ. (*b*) Tract. 10. lib. 2. nov. edit.
(*c*) Crypt. Vatic, pag. 47. (*d*) Ibid. pag. 48. (*e*) Bonarot. Observ. in vitr. pag. 6. (*f*) Vide Origen. contra Cels. lib. 6. & S. Augustinum Tract. 34. in S. Joannem.

qui sinistra volumen, idest Sacrosanctam Evangelii legem gerit, ad tribunal a Satellitibus ductum cernimus: cujus rei indicia sunt, cum gladius ab uno ex duobus militibus delatus, tum clamys, quam uterque lictor gestat, ad scapulas fibulà connexam. Huc enim attinet Divi Hieronymi locus, ubi de muliere septies icta scribens, ita habet: *Lictor, paludamento in cervicem retorto, dum rotat expedit vires, fibulam, quæ clamydis mordebat oras, in humum excussit*. Symmachus etiam de clamyde, ceu veste militari, ait (*a*):

At mihi Castrensem, quod mordet fibula vestem.

Quintum loculamentum præcedenti respondet: nam Pontium Pilatum ostendit velut ancipitem, damnet ne Christum calumniis Judæorum impetitum. Vas ante præsidem apparet, ac minister vas aliud dexterà gerens, Pilato manus lavaturus, perperam existimanti, hujusmodi actu, & pro tribunali palam contestando, se innocentem esse a sanguine Justi (*b*), iniquissimam in Christum sententiam sibi neutiquam fore imputandam. Idem famulus pateram lævà tenet, & laureatus, uti etiam præses, aspicitur. In anaglypticis veterum operibus hostiam immolantes, laureatos, pateramque gestantes contemplamur. Ex quo conjectare fas est, hujusce Sarcophagi sculptorem in artis inventione haud satis exercitum, alio ex marmore sacrificium Ethnicorum more oblatum, & Imperatorem laurea corona redimitum præferente, duplicem illam figuram descripsisse, & historiæ quam tractabat, præpostere ac temere aptasse. Ædificium ad turris instar adest post præsidis tergum, & ad latus imago viri clamyde induti: hunc possumus militem interpretari; ædificium vero illud fortassis prætorium designat.

Inferiora loculamenta jam sese offerunt explicanda, in quorum primo ad lapidis dexteram exsculpto, Abelem a fratre Caiu interemtum Turrigius (*c*) sibi visus est intueri. Equidem non ita crediderim: sed potiùs Job, eximium illud patientiæ exemplar, in sterquilinio sedentem a cælatore delineatum, cum Aringho censeo. Huic opinioni suffragatur Bottarius; qui insuper ex duabus figuris eidem Job adstantibus, in altera amicum, in altera uxorem patientissimi viri deprehendit. Amplo satis indumento, atque oblongo hæc amicitur, proditque capite obtecta veluti pileo; vestem ori, aut etiam naribus admovet, fortassis ne ulcerum, quibus mariti corpus totum scatet, fœtorem sentiat; ipsique viro suo panem in Sartagine cruce signatum, ut explicant Severanus & Aringhius, porrigit; facta forsitan allusione ad similam illam oleo frixam, quam David, arcà fœderis ab hostibus recuperatà, populo partitus est (*d*): nisi cum Bottario dicas, id quod fœmina dexterà gerit, non esse panem in Sartagine, sed flabellum aut speculum, muliebrem supellectilem utrumque.

Historia, quam denotat loculamentum septimum, vel si mavis secundum in ordine inferiori, per se patet. Nam protoparentes nostri juxta lignum vetitum, cui malesuadus ac versipellis serpens tortuosis amplexibus circumvolutus exprimitur, tristi demissoque vultu, nuditatis suæ sero conscii visuntur. Id sane sculptor incidendum curavit, quod Moses (*e*) de eisdem protoplastis sic enarrat: *Cumque cognovissent, se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata*. Manipulus spicarum prope Adamum cernitur, & lanigera pecus Evæ adstat, quibus simbolis significatum videtur, homini, ut vescatur, in terra desudandum, mulieri vero ad lanam & linum, quò amiciatur, manum esse admovendam: aut, si Cl. Bonarotio in Vitr. Fragm. (*f*) audire velis, sacrificia, quæ in lege naturæ immolari consueverant. In arbore, quæ Adamum inter & Evam jacet, si marmor inspicias, poma occurrunt; quorum loco glans perperam delineata est apud Bosium & Aringhum in hujus Sarcophagi tabula.

Quidnam innuat octava ædicula, quivis facillime percipit. Christus Dominus asinà vectus, Jerosolymam ingreditur, cui obviam

(*a*) Lib. 1. epist. 1. (*b*) Matth. cap. 27. vers. 24. (*c*) Pag. 47. (*d*) II. Reg. cap. 6. vers. 19.
(*e*) Gen. cap. 3. vers. 7. (*f*) Pag. 12.

viam plurimi fiunt, alii vestibus suis, alii palmarum ramis viam sternentes, quemadmodum Evangelistæ Matthæus (*a*), & Marcus (*b*) tradunt. Illorum alter tunica succintus est, ac super eam videtur penulam gestare, undique clausam, & ubi caput exeritur tantummodo apertam. Hujusmodi vestis initio quidem brevis fuit; & sane, si lapidem inspiciamus, induentis cubitos haud superat; postea vero oblonga evasit, atque ad talos protensa, ut Bonarotius (*c*) observat: eadem itinerantibus admodum apta; idcirco iis apprime congruit, qui Christo Domino occurrerunt.

Nonum loculamentum intuentibus, Danielis historia in lacum seu fossam Leonum intrusi statim apparet, quamquam Sancti Prophetæ imago, quæ manus in crucis speciem expandebat, ita effracta fuerit, ut vix ejus vestigia modo cernantur. Post Leones adstant duorum virorum effigies, ac uterque volumen tenet. Hi forsitan Satrapas exhibent, quorum fraudulento consilio edictum prodiit, ne quis alium, quàm regem Persarum oraret: cujus legis vi Daniel ad bestias damnatus (*d*), divinitùs evasit incolumis.

In explicanda decimi loculamenti historia, non una est eruditorum sententia. Hic Divum Petrum in carcerem conjiciendum repræsentari, Aringhio videtur: sed Turrigius (*e*) Christum Dominum, qui ad supplicium ducitur, ibi contemplatur: Bottarius tandem ex iis, quæ in eadem ædicula spectantur virgultis aliquot, eundem Redemtorem nostrum ab impiis satellitibus in horto captum, ligatumque ut ad tribunal duceretur, exhiberi satis verisimiliter conjicit.

Ex quinque inferioribus ædiculis tres omnino cameris totidem finiuntur, quæ bubonis figuram præseferunt. Supra capitula columnarum, quibus ipsa loculamenta secernuntur, complures exculpti sunt agni, Servatorem nostrum, juxta vetustissimum Christianorum morem, simbolice denotantes. Ac primo ad marmoris dexteram agnum intuemur, qui super aquas incedere nonnullis videtur, aliam post se ovem ducens: qua in imagine per aquas illas mare rubrum, per agnum verò Christus Jesus suæ passionis pelago homines salvans designari potuit. Sane Israelitarum transitus per mare rubrum, ut post Divum Paulum (*f*) Sancti Patres docuerunt, Christianos per baptismum, & sanguinem Christi in novam vitam transituros, præmonstravit: & aliquando tum in vetustis Fidelium sepulcris, quod apud Cl. Maffejum (*g*), ac præsertim apud Aringhum (*h*) videre licet; tum in sacrarum ædium parietibus opere tessellato, ut ex Liberianæ Basilicæ musivo constat (*i*), delineatus fuit. Proximo sequitur agnus, qui alterius caput virgà ferit, & ex percussi agni capite uberes emanant aquæ. Hæc, Bonarotio interprete, Jordanis undæ sunt, ob prodigiosum Judæorum transitum Baptisma adumbrantes. Bottarius tamen existimat, percussi agni schemate petram Horeb significari, quam in heremo Moyses Deo jubente percutiens, copiosas inde aquas elicuit (*k*). Quæ opinio mihi valde arridet: *petra* enim illa, admonente Apostolo (*l*), *era Christus*. Historia isthæc sæpe in vetustis Fidelium monumentis obvia est, utpote ad excitandam in Deum fiduciam maximè idonea. Deinde agnum spectamus tangentem panum cophinum; quæ sane imago innuit panum multiplicationem a Christo factam (*m*), & in Sarcophagis Fidelium non semel descriptam. Ad hæc, agnus occurrit velut ex aquis emergens, cujus capiti Spiritus Sanctus in columbæ figura imminet, & alter agnus pedem imponit: quo in schemate quidnam, nisi Christum in Jordane baptizatum (*n*) designari luculentissime, dicemus? Postea agnus itidem sese aspiciendum offert, qui in Dei civitatem, supra montem erectam ascendere videtur, ut Cl. Bottarius opinatur. Alius tandem agnus, idest Christus in agni specie, visitur, qui Lazarum in sepulcro positum ad vitam revocat.

Fa-

(*a*) Cap. 21. (*b*) Cap. 11. (*c*) Observat. ad Vitr. tab. 16. fig. 2. pag. 105. (*d*) Daniel. cap. 6. (*e*) Pap. 48. (*f*) I. Corinth. cap. 10. vers. 1. 2. (*g*) Antiq. Galliæ epist. 25 ubi ille testatur in Ecclesia Arelatensi arcam sepulcralem præter alias extare, veteris ac novi Testamenti historiis cælatam, quas inter meminit prodigiosi transitus per mare Rubrum: in eo tamen fallitur, quod de sacris hisce historiis ita inquit: *Non si veggono ne' monumenti Cristiani pubblicati finora*. (*h*) Lib. 2. cap. 10. tom. 1. pag. 331., & lib. 4. cap. 47. (*i*) Apud Ciampin. Vet. mon. to. 1. tab. 59. (*k*) Exod. cap. 17. (*l*) I. Corinth. cap. 10. vers. 4. (*m*) Joann. cap. 6. (*n*) Matth. cap. 3. vers. 16.

Factum hocce, ad confirmandam resurrectionis fidem, in Christianorum tumulis cælari consuevit, ut ex tabulis ab Aringho (a) prolatis constat: Quo ex auctore descripsimus agni & Lazari imagines, quod modo hæc in nostro marmore haud existant, utpote non ita pridem effractæ. Lazari cadaver linteo est involutum, ejusque monumentum in templi formam erectum, ad quod per quinque gradus ascenditur. Qua in re sculptor morem spectavit veterum, tum Hebræorum, qui defunctis monumenta in petra excidere solebant, tum aliorum, qui viris illustribus sepulcra in templi modum construxere. Certe Valerius Maximus (b) tradit, locum in quo Amphiaraus humatus est, in formam conditionemque templi fuisse redactum: Eusebius quoque (c), & Lactantius (d) celebriora Gentilium templa olim fuisse defunctorum sepulcra, asseruerunt; quod item Clemens Alexandrinus in Protreptico (e) his verbis affirmat: Οὓς δὲ.. νεὼς μὲν εὐφήμως ὀνομαζομένους, τάφους δὲ γενομένους, τουτέστι τοὺς τάφους νεὼς ἐπικεκλημένους. *Quæ... honesto quidem templorum nomine celebrantur, ceterum aliud nihil fuerunt quam sepulcra, quibus deinceps hanc templorum appellationem indidere.* Ad laterales Sarcophagi partes quod attinet, has Cl. Bottarius non solum accurate describi, ac tabulis incidi primus curavit, collocavitque ad ornatum initio Præfationis & Operis (f); verumetiam uberrima illustravit eruditione. Marmoris itaque dextrum latus bifariam dividitur, annique tempus autumnale repræsentat. Pars superior quatuor exhibet genios, quorum alii colligendis uvis dant operam; alius dextera easdem calcat, aut aliter curat, in prægrandi quodam vase contentas. Istud vimineum videtur, ac ne liquor effflueret, pice illitum. Nam inter alia, quæ Columella ad vindemiam præparanda commonet, illud etiam præscribit: (g) *Fiscella texenda & picanda.* His non absimile est geminum vas ex viminibus confectum, & uvis plenum, quo onustum aspicitur jumentum, incisum in veteri crystallo apud Museum Carpineum (h). Inter primi genii pedes lepus extat, uvarum avidus: Hoc animal in numismate, quod Spanhemius (i) refert, ceu simbolum autumni sumitur. In ejusdem dextri lateris parte inferiori a geniis aliis canistros gestantibus, & plaustro a bobus deducto uvæ collectæ deferuntur, ut premantur: proximè enim spectatur genius, qui easdem pedibus calcat.

Sinistrum latus bifariam distinctum perinde est: pars ejus superior æstivum anni tempus indicat, messe ob oculos posita; ad quam tres incumbunt genii; alter maturum secat frumentum, eadem plane ratione, quam Varro apud Romanos usitatam narrat his verbis (k): *Tertio modo metitur, ut sub urbe Roma & locis plerisque, ut stramentum medium subsecant, quod manu sinistra summum prehendunt; a quo medio messem dictam puto; infra manum stramentum, quod terræ hæret postea subsecatur*: alter spicas colligit; alius tandem eas ad aream defert, læva tenens baculum, quo fortassis frumentum terat: hunc quippe tritici conterendi modum prædictus Columella (l) meminit. Quamquam vero effigies in parte inferiori exculptæ, quid sibi velint, haud facile decerni potest, primus tamen genius quum succincta tunica & sago indutus, atque calceatus appareat, seeus ac alii genii, qui vel omnino nudi sunt, vel clamydem tantummodo volitantem & in humeros rejectam habent: oleæ quoque, ni fallor, adstet, hujusque arboris ramum sinistra gerat, quemadmodum hiemale tempus figurari assolet; hanc anni tempestatem designare videtur. Illud etiam opinionem istam confirmat, quod ejusdem genii tunicæ anas rostrum admovere cernitur. Hæc quippe avis ceu simbolum hiemis in antiquis operibus anaglypticis cælata est, in duobus præsertim Musei Carpinei monumentis (m): In calendario item Bucheriano Novembris ac Februarii mensium tessera est anas; atque in tetrastichis Ausonio adtributis hic mensis ita describitur:

Quique paludicolam prendere gaudet avem.

Genius

(a) Lib. 2. cap. 10. pag. 313. 323. 325. 335. tom. 1. (b) Lib. 8. cap. 15. Exter. num. 3.
(c) Præpar. Evang. lib. 2. num. 5. 6. (d) Origin. Error. cap. 2. (e) Sive in cohortatione ad Gentes p. 30. edit. Oxonien. 1715. (f) Explication. Rom. Subterr. (g) Lib. 12. cap. 18. (h) Bonarot. in libro Italicè inscripto, *Medaglioni &c.* pag. 385. (i) In Callimac. hymn. Cerar. vers. 123.
(k) De Re Rust. lib. 1. cap. 50. (l) De Re Rust. lib. 2. cap. 21. (m) Apud Bonarot. paulo ante cit. lib. pag. 426. & in Observat. ad Vitr. pag. 1. & 6.

Genius alter suspensum dextera tenet leporem, cui erectus canis inhiat; læva pedum gestat, baculum scilicet incurvum retinendis atque capiendis leporibus, aliisque pecudibus idoneum, λαγωβόλον idcirco a Græcis appellatum. Qui proxime sequitur tertius genius, dextera aut fundam gerit a venatoribus aliquando usitatam (*a*), aut laqueum ad capiendas aves, aut copulam, nempe vinculum quo canes venatici simul junguntur: sinistrà verò baccas lauri sive juniperi sive alterius generis habere videtur. His autem simbolis hiemale itidem tempus fuisse adumbratum, opinari licet. Baccis enim colligendis, glandique, aucupio & venationi intendere, opera ac studia sunt eidem tempori maxime consentanea, Virgilio ita canente (*b*):

Sed tamen & quernas glandes tum stringere tempus,
Et lauri baccas, oleamque, cruentaque myrta:
Tum gruibus pedicas, & retia ponere cervis,
Auritosque sequi lepores: tum figere damas,
Stupea torquentem Balearis verbera fundæ,
Cum nix alta jacet, glaciem cum flumina trudunt.

Tribus reliquis geniis ver designari, duo mihi argumenta comprobant. Prius ex eo petitur, quod eorundem geniorum alter pavonem gestat: Nam in simbolicis imaginibus calendarii a Lambecio (*c*) relati, mensis Maji indicium est ejus avis effigies: & Lucianus (*d*) avem ipsam pennarum fulgore conspicuam eleganter cum vere comparat. Posterius argumentum suppeditat figura apis, quæ in ejusdem genii læva conspicitur, & verno tempore, ut post Aristotelem (*e*), Plinius (*f*) ac Virgilius (*g*) notant, e latebris in publicum prodit. Hanc ob causam genius alter stellionem seu lacertum amovet forsitan atque arcet: ipso enim Virgilio (*h*) & Columella (*i*) testibus, hæc animalia apibus sunt exitiosa. Aram denique intuemur, & alium genium vas ostendentem: super illam fructus apparent, vasi autem lac aut alius liquor inest. Sane primitias fructuum terræ tum apud Ethnicos, tum apud Judæos & Christianos Deo offerri consuevisse, adeo certum est, ut nihil supra. Quorsum vero Fideles tum in hoc Sarcophago, tum in aliis nonnullis cælari quatuor anni temporum simbola curarunt? Illi quidem mihi videntur, hisce hieroglyphicis defunctorum resurrectionem significare voluisse. Profecto diei & noctis, & quatuor anni temporum vices exempla esse resurrectionis Tertullianus (*k*) & alii veteres affirmant: *Revolvuntur*, inquit, *hiemes & æstates, & verna & autumna cum suis viribus, motibus, fructibus.... Totus hic ordo revolubilis rerum testatio est resurrectionis mortuorum.*



TA-

(*a*) Virgil. Geog. lib. 1. vers. 309. (*b*) Ibid. vers. 305. (*c*) Comment. Bibl. Cæs. tom. 4. pag. 288. (*d*) Dialog. περὶ τοῦ οἴκου, hoc est de domo. (*e*) Histor. Animal. lib. 8. cap. 14. (*f*) Histor. nat. lib. 11. cap. 6. (*g*) Georg. lib. 4. vers. 21. (*h*) Ibid. vers. 13. (*i*) De R. R. lib. 9. cap. 7. (*k*) De Resurrectione carnis cap 12.

TAB. LXXXII. & LXXXIII.

Delineatus in duabus hisce tabulis occurrit Probi Anicii Probæque Faltoniæ Sarcophagus ex Pario marmore opereque anaglyphico, qui nunc existit non in Cryptis seu Ypogæo Vaticano, sed in ipsa nova S. Petri Basilica in cubiculo cappellæ *SS. Crucifixi* antea nuncupatæ, hodie vero *Pietatis* dictæ, quod in eam anno MDCCXLIX. percelebris statua Beatissimæ Virginis Mariæ Christum Dominum e Cruce depositum in sinu gestantis translata fuit, ibique posita. Cum autem noster Joannes Christophorus Battellus veterem hunc Sarcophagum eruditissima itidemque eleganti dissertatione, Romæ anno MDCCV. edita, illustraverit; quæ vir clarissimus de hujusmodi argumento copiose est prosequutus, ego in compendium hic redigam tibi, studiose lector, qui lucubrationem illam perlegere si cupis, facile poteris. Itaque inter Romanas familias, quæ sua olim in Vaticano monumenta condiderunt, Anicia procul dubio fuit, non solum opibus, potentia, ac dignitatum honore clarissima, utpote quæ Paulinos, Bassos, Olybrios, & Probos in Urbe quondam maximè conspicuos, veluti sua germina complectebatur, verum etiam eo nomine ceteras præcellebat, quod ante illas, teste Prudentio (*a*) Christianam Religionem professa fuerit. Porro ædificium quoddam instar templi magnifice extructum post veteris Basilicæ Vaticanæ absidem, & marmoreis hinc inde columnis suffultum, in honorem Probi Anicii Præfecti Prætorio illustris femina Proba ejus uxor excitavit: Proba, inquam, alia certe a Proba poetria Virgiliani Centonis auctrice, & Adelphii proconsulis uxore, ut contra plures Scriptores, qui utramque confundunt, laudatus Battellus num. 45. & seq., ac Fontaninus de Antiquitat. Ortæ lib. 2. cap. 1. & seq. congruis argumentis evincunt. Ædificium illud quidem in Alpharani pluries citata Ichnographica Tabula (*b*) delineatum occurrit, appellatumque Templum Probi, perseveravit usque ad Nicolai Papæ V. tempora; qui amplioribus spatiis exædificare novam Basilicam Principis Apostolorum primus aggrediens; illud Probi templum, veteris Ecclesiæ absidi adjunctum, evertit, & sicut ipsa ædes, ita etiam illius inscriptiones omnino periissent, nisi opportunè quidem, nec sine Divino nutu accidisset, ut ante sex menses, quam structura nobilis exscinderetur, Maffæus Vegius templum illud ingressus, sicut ipse testatur (*c*), ædificiumque admiratus, sed contemptum dolens, carmina in columnarum epistyliis incisa sedulo descripsisset. Hæc autem ab eodem Vegio relata (*d*) sic habent:

Eximii (*e*) *resolutus in atheris aquore tantum*
Curris iter, cunctis integer a vitiis.
Nomine quod resonas, imitatus moribus aque,
Jordane ablutus, nunc Probus es melior.
Dives opum, clarusque genus, praclarus honore,
Fascibus inlustris, Consule dignus avo.
Bis gemina populos Prafectus sede gubernans (*f*)
Has Mundi phaleras, hos procerum titulos

D d *Tran-*

(*a*) Contra Symmachum lib. 1. (*b*) Litt. k. (*c*) In Opere alias laudato de rebus antiq. memorabil. Basil. S. Petri lib. 4. sub initium. (*d*) Ibidem. (*e*) Ita ex Baronio ad annum CCCXCV. Severanus in libro de VII. Urbis Ecclesiis pag. 80., Battellus in cit. Dissert. pag. 23., & alii. Sed Conradus Janningus Bollandianus, qui prædictum Vegii de Vaticana S. Petri Basilica opusculum ex Bibliothecæ Altempsianæ Codice evulgavit ac tom. 6. Junii part. 2. inseruit, pro *Eximii* habet *Exuviis*. In bonæ notæ Codice, qui in ejusdem Vaticanæ Basilicæ tabulario sign. 12. G. asservatur, *Eximiis* reperimus scriptum, unde suspicari licet, *Ex imis* legendum esse. (*f*) Quater fuit Præfectus Prætorio, ut infra ostendimus.

Transcendis senior donatus munere Christi:
Hic est verus honos, hæc tua nobilitas.
Lætabare prius mensa regalis honore,
Principis alloquio, Regis amicitiâ.
Nunc propior Christo Sanctorum sede potitus
Luce nova frueris: lux tibi Christus adest.
O nunquam deflende tuis, cum vita maneret,
Corporis atque artus spiritus hos regeret.
Primus erat, nullique Patrum virtute secundus.
Nunc renovatus habes perpetuam requiem.
Candida fuscatus nullâ velamina culpâ,
Et novus insuetis incola liminibus;
His solare tuos, quamquam solatia mœsta
Gratia non quærat, gratia, Christe, tua.
Vivit in æterna Paradisi sede Beatus,
Qui nova decedens muneris ætherii
Vestimenta tulit (a) *; quo demigrante, Belial* (b)
Cessit, & ingemuit hic nihil esse suum.
Hunc tu Christe choris jungas cælestibus, oro:
Te canat, & placidum jugiter aspiciat.
Quique tuo semper dilectus pendet ab ore (c),
Auxilium soboli, conjugioque ferat (d).

Hactenus epitaphium Probi, quod sequebatur & aliud utrique, viro scilicet ac Probæ conjugi commune, his plane versibus exaratum:

Sublimes quisquis tumuli miraberis arces,
Dices: Quantus erat, qui Probus hic situs est!
Consulibus proavis, socerisque, & Consule major,
Quod geminas Consul reddidit ipse domos (e).
Præfectus quartum (f) *toto dilectus in Orbe,*
Sed fama emensus quidquid in Orbe hominum est.

Æter-

(a) Ut in præcedentibus versibus de sacro Baptismate, quod cunctas omnino delet culpas, quodve pro illius ætatis more in superiori Tabula LXXXI. adnotato Probus videtur sub vitæ suæ exitum suscepisse, perspicuus sermo est, ita hic albæ vestes indicantur, quas sacro Fonte mox regenerati induere solent ex pervetusta Ecclesiæ consuetudine, præter antiquos alios testes a Martenio de Ant. Eccl. Ritib. par.1. lib.1. cap.1. art.15. adductos, a S. Ambrosio in libro de iis qui initiantur, commemorata, dum, innuit, in baptismatis ministerio hominem accipere *vestimenta candida*, ut sit indicio quod exuerit involucrum peccatorum, ac induerit innocentiæ casta velamina.

(b) Vox hebraica, quæ sonat jugi impatientem, impium, rebellem, ac etiam dæmonem, qua postrema notione a D. Paulo II. ad Cor. cap. 6. vers. 15. usurpatur, quemadmodum & in hoc carmine; diabolus enim primus sua rebellione jugum Dei excussit. (c) Hic versus in prælaudato MS: archivi Basilicæ Vaticanæ sic legitur: *Eque tuo semper dilectus pendeat ore*. (d) Ibidem *feras* habetur pro *ferat*. (e) Gratianus Aug. II., & Sextus Petronius Probus, ut ex Consularibus Fastis ediscimus, anno æræ Christianæ CCCLXXI. consulatum gerebant. Sed & ipsius Probi duos filios, scilicet Anicium Hermogenianum Olybrium, atque Anicium Probinum, consules fuisse ordinarios plane constat tum ex eisdem Fastis, tum ex duplici Inscriptione, quam nota proximè sequenti recitamus. (f) Nempe Præfectus fuit Prætorio Italiæ, Illyrici, Africæ, & Galliarum, uti palam faciunt duo tituli eximio parenti a filiis dedicati, quorum alter in ædibus Cæsiis prope Basilicam Vaticanam ætate Card. Baronii existens, & ab eodem Venerabili Annalium Ecclesiasticorum Scriptore ad annum CCCXCV., atque a Grutero Inscript. pag.450.2. relatus, sic habet: *Sexto Petronio Probo V. C. Proconsuli Africæ Præfecto Prætorio quater Italiæ Illyrici Africæ Galliarum Consuli Ordinario patri Consulum Anicius Probinus V. C. Consul Ordinarius, & Anicius Probus V. C. Quæstor Candidatus filii munus singulari religioni debitum dedicarunt*. Inscriptio altera, quam quidem exaratam in basi statuæ Probo erectæ ab Olybrio filio, & Juliana Olybrii conjuge, quamve in atrio Cæsianæ domus existen-

tem

Æternos, heu! Roma tibi qui posceret annos,
Cur non vota tui vixit ad usque boni?
Nam cum sexdenos mensis suspenderet annos
Dilecta gremio raptus in Æthra Probæ.
Sed periisse Probum meritis pro talibus, absit,
Credas Roma tuum: vivit, & astra tenet.
Virtutis, fidei, pietatis, honoris amicus,
Parcus opum nulli, largus at ipse fuit.
Solamen tanti conjux tamen optima luctus
Hoc Proba sortita est, jungat ut urna pares.
Felix heu! nimium felix, dum vita maneret,
Digno juncta viro, digna simul tumulo.

Hæc quidem Probum nostrum amplissimis dignitatibus atque virtutibus ornatum luculentissime demonstrant. Me non latet, Ammianum Marcellinum Scriptorem ethnicum Rer. Gestar. lib. 27. multa Probi vitia referre atque culpare, ac præsertim lib. 30. in Probi mores acrius invehi. Probum, de quo in hoc libro 30. Ammianus verba fecit, a Probo nostro Præfecto Prætorio quater, & Consule, quem commemoraverat lib. 27., alium omnino ac diversum esse Reinesius existimat. At sive diversus, sive unus tantum ac idem fuerit; Probum nostrum quæ infirmitatis humanæ sunt passum esse, inficias non iverim, dum enim, ut sapienter observat S. Leo Magnus (*a*) per varias actiones vitæ hujus solicitudo distenditur, necesse est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere: illud tamen simul animadvertam, Marcellinum hac in re sibi potius quam veritati obsecutum. Ausonius (*b*) namque, & Claudianus (*c*) quamquam procul dubio Ethnicus, ambo quarto Ecclesiæ sæculo ad exitum vergente clari, in Probi virtutum laudibus celebrandis cum ejus epitaphio superius dato bene concinunt. Quoto autem æræ Christianæ anno Probus ex hac vita migraverit, incompertum sane habemus: illud vero certum licet asserere, eum intra id temporis spacium, quod a Christi an. CCCLXXXIII. ad annum CCCXCV. excurrit, mortalitatem explevisse. Anno quippe CCCLXXXIII quo Consules processerunt Merobaudes II. & Saturninus, certe in vivis agebat Probus, cui dignitate Præfecti Prætorio insignito ab Augustis Gratiano Valentiniano Juniore & Theodosio Seniore directa lex est signata illis Consulibus, ut in Codice Theodosiano (*d*) videre licet. Probum vero ante annum CCCXCV., quo Olybrius & Probinus filii consulatum inierunt, vivere desiisse, facile ex Claudiano cognoscimus, qui in panegyrico carmine in utriusque consulatum lucubrato, dum Probi patris laudes celebrat, de ipso velut jam ab humanis exempto loquitur. Id ipsum evincit etiam sepulchralis Probi inscriptio superius allata, quæ avi consulatum diserte meminit vers. 6., & de filiorum consulatu nullum omnino verbum facit, quod certe silentio prætereundum non erat, si Probus, filiis jam Consulibus, decessisset.

Probo conjugi suo Proba Faltonia superstes quidem fuit; quo tamen reparatæ Christianæ salutis anno occubuerit, ignoratur: Illud ratum compertumque est, spectatissimam hanc feminam ex gente Anicia genus pariter ducentem, veterum Scriptorum præconiis commendari: ipsam Claudianus in me-

tem Batellus exscripsit, ac prælaudatæ suæ dissertationi pag. 107. adsuit, est hujusmodi: *Sexto Petronio Probo Anicianæ Domus culmini Proconsuli Africæ Præfecto prætorio quater Italiæ Illyrici Africæ Galliarum Consuli Ordinario Consulum patri. Anicius Hermogenianus Olybrius V. C. Consul Ordinarius, & Anicia Juliana C. F. ejus devotissimi filii dedicarunt:* Hanc Aniciam Julianam Probi nurum fuisse opinor cum Reinesio in Syntagm. Inscript. Antiq. class. 1. num. 39., Thoma de Simeonibus in Dissert. de duobus Probis §. 6., & Battello, dici tamen voluisse ipsius Probi filiam, ut ostenderet se filiali plane affectu pietate ac reverentia, viri sui Olybrii parentes colere, & observare perinde ac si ab ipsis genita foret: quod nostra etiam ætate usitatum novimus, qua passim audimus nurus socero, & socrui appellationem patris & matris, amoris vel obsequii gratia, deferentes. (*a*) Serm. 4. de Quadrages. (*b*) Epist. 16. (*c*) In Panegyr. de Probini, & Olybrii Consulatu. (*d*) Lib. 11. tit. 13. L. 1.

memorato carmine panegyrico laudibus celebravit; filii autem positis monumentis honorarunt. In ædibus enim Cæsiis apud Basilicam Vaticanam ætate Baronii tres spectabantur bases marmoreæ, alio postea translatæ, quibus verisimile est totidem impositas fuisse statuas in honorem Probæ; & in eisdem basibus inscriptiones legebantur, quas Baronius (*a*), Gruterus (*b*) aliique recitant, & huc etiam afferre libet. In priori igitur basi titulus hic erat insculptus: *Aniciæ Faltoniæ Probæ Amnios Pincios Aniciosque decoranti consulis uxori consulis filiæ consulum matri Anicius Probinus V. C consul ordinarius & Anicius Probus V. C. Quæstor Candidatus filii devincti maternis meritis dedicaverunt*. In altera vero basi sequens inscriptio exarata erat: *Aniciæ Faltoniæ Probæ Fidei nobilitatis antiquæ ornamento Anicianæ familiæ servandæ, & docendæ castitatis exemplo, consulum proli, consulum matri Anicius Hermogenianus Olybrius V. C. consul ordinarius, & Anicia Juliana C.F. ejus devotissimi filii dedicaverunt*. In tertia demum basi hæc legebantur: *Aniciæ Faltoniæ inlustrissimæ & sanctissimæ, castissimæ fœminæ Hermogenianus Olybrius V. C. consul ordinarius, & Anicia Juliana C. F. d. d.* Sed inter alios antiquos Scriptores de Probæ virtutibus loquentes audire præstat Sanctum Hieronymum, qui in Epistola ad Demetriadem sic habet: „ Proba illa, omnium dignitatum, „ & cunctæ nobilitatis in Orbe Romano no„ men illustrius, cujus sanctitas, & in uni„ versos effusa bonitas etiam apud Barba„ ras venerabilis fuit, quam trium libero„ rum, Probini Olybrii & Probi, non „ fatigarunt Ordinarii Consulatus &c. „. Nec aliud famam virtutum Probæ lædit, quod de ipsa fertur apud Procopium (*c*) quomodo Alaricus Roma fuerit potitus enarrantem. Hoc quidem Historiographo teste nonnulli memorabant, fœminam, cui nomen Proba, & quæ in ordine Senatorio opibus ac splendore nominis præcellebat, miseratam Romanos fame, & omni ærumnarum genere tabescentes, jamque mutua inter se vescentes carne, cum spem illis reliquam esse nullam videret, obtinente amnem, & portum hoste, famulis præcepisse, ut portas noctu reserarent. At relationem hanc de Urbe Alarico tradita a Proba Anicia, Baronius ad ann. CCCCX. refellit ac diluit; & sane Philostorgius ejus ætatis Scriptor lib. 12. Histor. cap. 3., ubi Romam ab eodem Alarico obsessam captamque refert, nullum de proditione illa verbum facit.

Jam vero ad sarcophagum accedamus. Disjecto memorato ædificio a Nicolao V. Pontifice ad constructionem novæ Basilicæ Vaticanæ inchoandam, dum fundamenta altius effoderentur, sarcophagus hic opere composito elaboratus, & sacris sculptus imaginibus, inventus est, in quo & ossa jacebant, quæ Probi & Probi fuisse credita sunt, & multa auri copia, quod vestibus inibi consepultis intextum erat, simul reperta fuit, quemadmodum narrat prælaudatus Vegius, qui addit, ipsum sarcophagum tunc fuisse translatum ad S. Thomæ Apostoli oratorium (cappella seu sacellum hoc ad Meridionalem veteris templi Vaticani partem existebat, uti videre est in Alpharani Tabula Ichnographica lit. r) ibique usui Fontis baptismalis optatum; mansisse autem ad Pauli V. Pontificatum ex eadem Tabula num. 74. deduci potest. Profecto insigne hoc marmor longum est palmos X. semis, latum fere IV; altum vero III.: ejusque anteriorem faciem delineandam primus omnium Ven. Card. Baronius curavit, & exhibuit ad Christi annum CCCXCV., deinde tum anteriorem faciem tum posteriorem, & laterales etiam partes accuratius quidem incisas in *Roma Subterranea* Bosius lib. 2. cap. 8., & Aringhus lib. 2. cap. 10. vulgarunt.

Quoad anticam ipsius sarcophagi faciem, hæc quinque loculamentis, & senis columnis in spiram striatis constat. Medio in loculamento, quod cæteris majus est, sculpta occurrit ipsa Salvatoris nostri ἀπώγωνος *imberbis* veneranda effigies, qui altera manu crucem gemmatam, altera volumen explicatum tenet. Ad Salvatoris dexteram Sancti Pauli, ad sinistram vero S. Petri simulacra spectantur. Rursus ad dexteram Sancti Pauli quatuor Apostoli, totidemque ad sinistram S. Petri, bini per singula loculamenta, dispositi sunt, ut Tab. LXXXII. licet inspicere, ubi quod occurrit vas marmoreum, non multos ante annos sarcophago

(*a*) Ad annum 395. num. 14. (*b*) Inscript. pag. 450. (*c*) De Bello Vandal. lib. 1.

go superpositum fuit ad Fontis baptismalis usum. Pars ejusdem sarcophagi posterior, quæ in Tab. LXXXIII. repræsentatur, sub majori loculamento duabus columnis quadratis innixo effigies exhibet Probi & Probæ, inibi olim, ut creditur, conditorum, qui dextras inter se complicatas conjugali licentia tenent. Hinc & inde sub duobus minoribus loculamentis, quæ totidem quadratis columnis sustentantur, duo alii Apostoli vel Sancti viri incisi sunt. Partes autem laterales marmoris tribus unaquæque loculamentis, & quatuor columnis in spiram striatis constant: & singula loculamenta binis sive Apostolorum sive aliorum Sanctorum imaginibus, quæ consimiles cæteris omnino sunt, exornantur, quemadmodum in eadem Tab. LXXXIII. facile cerni potest. Denique juxta labrum sarcophagi tum in anteriori tum in posteriori facie, tum etiam in lateralibus partibus supra columnarum epistylia turtures seu potius columbæ cælatæ sunt, cibum e cistis capientes.

Paucis descripto præstante lapide, alia nunc de ipso attingamus, quæ silentio præteriri non debent. Ac primo Christus Dominus juvenili facie, & adhuc imberbi insculptus aspicitur, ea plane forma, qua in aliis plerisque antiquis sepulcralibus tabulis cælatum vel depictum inveniri tradit Aringhus (*a*). Hac autem specie Divinus Redemtor, si Battello audiamus, exhiberi consuevit, ut duplex ejusdem Redemtoris natura, Divina scilicet ac humana, Fidelium oculis & mentibus objiceretur; humana quidem per faciem humanam; Divina vero per juvenilem, & plane imberbem effigiem, qua nimirum, judice etiam commemorato Aringho (*b*) significatur, apud Deum numquam senescentem, cui sua coexistit æternitas, nihil antiquum esse, nihilque omnino præteritum, sed cuncta immensæ illius æternitati præsentia, & absque ullo prorsus discrimine temporum nova omnia jugiter computari, ut inter alios Scriptores Philo Judæus (*c*) eleganter animadvertit. Attamen venerandi senis habitu, & forma cum Redemtorem nostrum aliquando repræsentatum fuisse, tum Dei Majestatem æternitatemque bene etiam adumbrari, ad hujus libri Tab. II. observavimus. Sed & ad Tab. I. de vetustissimo apud Christianos usu gemmatæ Crucis, quam in hoc sarcophago Salvator noster dextra sustinet, luculentum dedimus Prudentii locum, cui adjungenda hic sunt duo æque opportuna testimonia: Alterum scilicet Eusebii Cæsariensis, qui in Vita Constantini Magni (*d*) diserte enarrat, Augustum hunc in ipso palatii introitu, in ædificio omnium excellentissimo, in medio tecti laqueari inaurato, in tabula maxima explicata, salutaris, quam Christus subiit, passionis insigne, nempe Crucem, ex lapillis pretiosis cujusque modi, auroque multo polite elaboratis confectum, figi curasse. Testis alter est S. Joannes Crysostomus, qui in homilia *de Crucis adoratione* animadvertit, sanctissimum hoc nostræ salutis trophæum ex auro, margaritis, gemmisque effigiari apud Christifideles consuevisse, ut scirent omnes, Crucem fontium olim suppliciis infamatam, ipso visu horrendam, ex quo in ea Christus ad humanum genus redimendum factus est obediens usque ad mortem, jam fuisse redditam fulgentem decoram pretiosam atque gloriosam.

Volumen illud, quod Salvator noster stans supra montem læva manu præfert, qua specie in antiquis monumentis pictus, & sculptus frequenter occurrit, significat novæ legis editionem ab eodem Redemtore nostro peractam, ac librum quoque *Vitæ* denotare potest, ut ad Tab. II. XLVI. & XLIX. supra dictum est. Sed prior interpretatio hic sane præferenda. Cum enim Christus monti insistens exhibeatur, id referendum videtur ad ejusdem novæ legis promulgationem in monte factam, quemadmodum apud S. Matthæum cap. v. v. 1. legitur: In quem locum S. Augustinus (*e*) ita scribit: *Si quæritur quid significet mons, bene intelligitur significare majora præcepta justitiæ, quia minora erant, quæ Judæis data sunt . . . . De hac ergo justitia, quæ major est, per Prophetam dicitur: Justitia tua sicut montes Dei: & hoc bene significat, quod ab uno magistro solo docendis tantis rebus idoneo docetur in monte.* Volumina consimilia, quæ in Apostolorum Christo assistentium, aliorumque Sanctorum mani-

(*a*) Rom. Subterr. lib. 6. cap. 17. (*b*) Loc. cit. (*c*) Lib. de sacrific. Abel & Cain.
(*d*) Lib. 3. cap. 4. (*e*) Lib. 1. de serm. Dom. in monte sub init. & cap. 6.

manibus conſpiciuntur, innuere hic videntur, illos Evangelii hominibus prædicandi munus ab ipſo accepiſſe, ac utroſque Evangelica præcepta monitaque verbo, & opere fuiſſe profeſſos. Quatuor vero fontibus ex monte, in quo Salvator ſtat emanantibus ſancta quatuor deſignantur Evangelia novam Chriſti legem per totum Orbem propagandam continentia, quæ in fluminibus totidem Geneſ. cap. 2. de loco voluptatis ad irrigandam univerſæ Terræ ſuperficiem egreſſis adumbrata fuiſſe, Tab. XLIX. oſtendimus. De tunica & pallio, queis veſtibus tum Chriſtus Dominus tum Apoſtoli induti conſpiciuntur, ſuperius in Commentariis ad Tab. XXXIV. & LXXVIII. ſermo eſt. Quod ad ſandalia attinet in Salvatoris, Apoſtolorum, Sanctorumque pedibus a ſculptore juxta fidem hiſtoriæ cælata, huc revocanda ſunt, quæ ad Tab. XLIX. & LXXVII. præfati ſumus. Præterea cum in hoc ſarcophago, ſi Battello interpreti audimus, Paulus ad Chriſti dexteram, Petrus vero ad ſiniſtram conſtitutus appareat, quæri hic poſſet, cur hi duo Apoſtoli ita collocari conſueverint, & non potius Petrus Apoſtolici Senatus Princeps dexterum latus teneat: Sed quæ hac de re a pluribus excogitatæ ſunt rationes, ad Tab. X. recitantur.

In averſam lapidis partem oculos conjicientibus obvia eſt imago Probæ Faltoniæ ad dexteram viri ſui Probi collocata. Hac ferme ſpecie in ſepulchralibus Romanorum urnis uxores paſſim exhiberi in fœmineum ſexum honoris, & reverentiæ cauſa, Allatius (a) advertit: qua ratione matronas Romanas in Severi Imp. funere dextrorſum, Senatores vero ſiniſtrorum ſtetiſſe Herodianus (b) tradit: ac Plutarchus (c) quidem teſtatur, jam inde a Romuli ætate, cum pugna inter Romanos & Sabinos Sabinarum mulierum felici interventione dirempta, & pax deinde inter utrumque populum ſancita fuiſſet., permultos honores mulieribus delatos eſſe, ut illis tranſeuntibus via cedendum foret, obſcœnum nihil quapiam earum præſente loqui liceret &c. Proba induitur ſtola & palla, quod matronarum Romanarum conſuetum, & peculiare indumentum erat, ut Ferrarius (d) ſcribit, & nos ad Tab. XIII. innuimus.

Probus occurrit indutus tunica, & pallio ad inſtar Apoſtolorum aliorumque Sanctorum, exceptis dumtaxat tunicæ manicis, quæ in Probi imagine arctiores quidem cernuntur: amictus autem pallio exprimi potuit, ut deſignaretur is ſuſcepiſſe coluiſſeque Chriſtianam Religionem ac Philoſophiam, cujus ſectatores, plerique ſaltem, & ii præcipue, qui perfectioris vitæ ſtudium amplectebantur, per ea tempora hoc indumenti genere uti conſueverunt: qua de re, Lector, conſule quæ ad Tab LXXVIII. prænotata ſunt. Chriſtianæ quoque Religionis Probo imprimis charæ indicium credi poſſet volumen ſeu liber in ſiniſtra ejus manu poſitus; quo ſancti Evangelii codex vere Philoſophiæ inſtituta continens ſignificari hic poteſt, cum conſimilis omnino appareat illi, quem Apoſtolus aut alius ſanctus vir in dextero ſarcophagi latere exculptus læva manu præfert: niſi potius affirmare velimus, hunc Probi librum eſſe mandatorum Principis codicem, qui inter inſignia Proconſulum, Præfectorum prætorio, aliorumque præſidum provinciarum Romani Imperii, teſte Pancirolo (e) numerabatur, eoque codice ſculptorem deſignaſſe ampliſſimos magiſtratus a Probo ſumma cum laude geſtos.

Nexus, quo Probus & Proba complicatas amanter inter ſe dexteras tenent, mutuæ fidei & conjugalis concordiæ vinculum indicat, ſimulque argumentum eſt, quo conjuges iſti, qui, dum viverent, animo affectuque conjunctiſſimi erant, unum idemque ſepulcrum mortuis ſibi ex voto contigiſſe teſtentur. Columbæ tandem vel turtures in ora ſuperiori marmoris quaquaverſum cælatæ ſimbola probabiliter ſunt, quæ eximiam Probæ erga virum benevolentiam, ac inſuper incomparabilem ejus pudicitiam, & continentiſſimam viduitatem denotant. Ut enim Pierius Valerianus (f) obſervat, columbæ ac turturis imaginibus conſtans dilectio, inviolata conjugalis fides, atque integerrima viduitas exprimitur.

INDEX

(a) De Eccl. Occid. & Orient. perpet. conſenſ. lib. 1. c. 6. (b) Lib. 4. (c) In Romuli vita. (d) De re veſtiar. lib. 3. cap. 23. (e) Commentar. in Notit. Imper. c. 102. l. 1. c. 2. & 47. lib. 2. (f) Hieroglyphic. lib. 22.

FINIS.

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM.

Lit. *a* primam columnam, *b* verò ſecundam indigitat.

A

ABſis antiqui Templi Vaticani. 173. *a*.
Abſis antiqua Baſilicæ S. Pauli via Oſtienſi. 174. *a*.
Acciajolus Donatus Romæ Senator. 106. *b*.
Acciajolus Nicolaus. 106. *b*.
Agapitus Epiſcopus Anconitanus caput S. Andreæ Apoſtoli Romam comitatur. 83. *a*.
Agnorum Cereorum uſus antiquiſſimus in Romana Eccleſia. 88. *b*.
Agnus Crucem geſtans, vel ſub illa jacens in Chriſtianorum monumentis frequentiſſimus. 87. *a*. Jeſum Chriſtum indigitat. 87. *b*.
Albanus Annibal Card. Vatic. Baſilicæ Archipreſbyter Corpora SS. Leonum I. II. III. & IV. peculiari modo veneratur. 47. *a*. *b*.
Albericus Ep. Carnotenſis. 97. *a*.
Alexander PP. III. Patrimonium S. Petri a Friderico Ænobarbo occupatum recuperare ſatagit. 91. *a*.
Alexandri PP. VI. Sepulchrum in Vat. Baſilica. 120. *a*. Unde poſtea ejus cineres ad Eccleſiam S. Mariæ de Monſerrato tranſlati. 120. *b*.
Alexandri Severi Aug. Numiſma cum Siglis DN IHV. &c. 76. *a*.
Alexander Card. de Saxoferrato Anconam ad excipiendum S. Andreæ Ap. caput delegatur. 82. *b*.
Alexii Comneni Imp. Numiſma. 75. *a*.
Algardus Alexander marmoreum ornatum ad Aram S. Leonis PP. I. excitat. 47. *a*.
Altararii Baſilicæ S. Petri munus quale fuerit. 20. *a*.
Altaris conſecrandi Ritus. 38. *b*.
Alvianum Rom. Eccleſiæ a Paulo PP. II. adjectum. 142. *b*.
Amalarii de exprimendo JESU nomine dubium. 76. *b*.
Amalricus Comes Montis Fortis, ejuſque Monumentum in Cryptis Vaticanis. 96. *a*. 97. *a*. Jura ſua in Comitatum Toloſanum transfert in Ludovicum VIII. Galliæ Regem. 96. *b*. Fit Regni Comeſtabilis. *ibid.* Cum Cruceſignatis ad liberandam Terram S. proficiſcitur. *ibid.* A Saracenis detruditur in Carcerem. *ibid.* Hidrunti moritur. *ibid.*
S. Ambroſius Satyrum fratrem ſuum in Eccleſia tumulat. 51. *b*. Theodoſium Aug. Eccleſiæ aditu prohibet. 73. *a*. Cur aliquando ferula ejus dexteræ apponatur. *ibid.*
Amedæus Sabaudus Pontificatum abdicat. 139. *b*.
S. Anacletus PP. B. Petro memoriam primus erigit in Vaticano. 197. *a*.
Anas ſæpe hyemis ſymbolum. 207. *b*.
S. Andreæ Ap. caput in Vatic. Baſilicam a Pio II. inlatum. 21. *a*. 188. *a*. Sacræ Ceremoniæ hac occaſione peractæ. 81. *a*. & *ſeqq.* Particula ejuſdem Capitis Pientinæ Eccleſiæ donata. 85. *b*. Eidem Ap. nobile Sacellum erectum. 188. *a*.
Angelus cum face in Chriſtianorum ſepulchris, quid præſeferat. 146. *b*.
Angeli cur juvenili ætate repræſententur. 6. *a*.
Angelos pingi & cælari poſſe definit Concilium Gen. VII. 77. *b*. Eos non penitus incorporeos eſſe perperam ſentiunt nonnulli. 78. *a*.
Anguillaria a Paulo II. Cameræ Apoſt. addicta. 142. *b*.
Anguſticlavii apud antiquos Romanos qui vocarentur. 169. *a*.
Aniciæ Familiæ Monumenta in Vaticano. 209. a.
Anſcharius Hamburgenſis Epiſcopus a S. Leone PP. IV. Mitræ uſum obtinet. 69. *b*.
Antonius Patriarcha Gradenſis Synodo a S. Gregorio PP. III. Romæ celebratæ intereſt. 10. *b*.
Anulus Pontificalis. 16. *a*.
Anulis nobilium cadavera ſæpe ornata. 171. *b*.
Apoſtoli cur Rotulos manu geſtantes pingi ſoleant. 23. *b*. An Sandaliis uſi ſint. 188. *b*. Quo autem pallio. 191. *a*. Et qua Tunica. *ibid.*
Arechii II. Langobardorum Principis de Cadaveribus nonniſi de Epiſcopi licentia in Eccleſia ſepeliendis Decretum. 53. *a*.
Arelatenſis Synodus Defunctorum corpora in Eccleſiis ſepeliri prohibet. 53. *a*.
Arignanum Rom. Eccleſiæ a Paulo II. vindicatum. 142. *b*.
Aringhius monogramma ☧ in Anulis, Lucernis, & Sepulchris Chriſtianorum ſæpe expreſſum animadvertit. 7. *a*.
Arnulphi Epitaphium. 75. *b*.
S. Arthemiæ Reliquiæ in Vat. Baſilica aſſervatæ. 102. *b*.
S. Aſterius Epiſcopus Amaſenus Tabulam Euphemianam explicat. 8. *b*.
Athalarici Regis de Simonia abigenda Conſtitutio. 65. *a*.
Auditorum Sacræ Rotæ Collegium. 54. *b*.
S. Auguſtinus vitam monaſticam inſtituit. 78. *a*. An ipſe Monachus fuerit. 78. *b*. Quales ejus veſtes. 79. *a*.
Aureliæ Agapetillæ Epitaphium. 75. *b*.

B

BAculi paſtoralis uſus antiquus. 69. *a*.
Bajazetes Turcarum Princeps. 30. *b*. Sac. Lanceam ad Innocentium PP. VIII. mittit. 183. *b*.
Ballus de Columna Architectus ſtatim præ timore incaneſcit. 20. *b*.
Bandinus Franciſcus, ejuſque animi dotes. 164. *b*.

Ejus

Ejus Sepulchrale Monumentum. *ibid.* & 187. *b*.
Baptisma aliquando ad finem vitæ dilatum diversis tamen rationibus. 203. *a*.
Baptisterium Vaticanum. 62. *a*. 114. *b*. An esset intra Basilicam. 64. *a*. & *b*. Concha porphyretica, quæ ei nunc inservit, Othonis II. Imp. cineres olim servabat. 114. *b*.
Baptisterium Lateranense. 65. *a*.
Barbam Clericis radere aliquando vetitum. 71. *b*.
S. Bartholomæus Ap. an fuerit decoriatus. 73. *b*.
Basnagius inepte monogramma ☧ ethnicis commune fuisse censet. 2. *a*.
Ven. Bedæ mors quo anno contigerit. 17. *b*.
Benedictus PP. XI. *Vide* Bocasinus Nicolaus.
Benedictus PP. XII. 16. *a*. Ejus marmorea Statua Thiara duabus tantum Coronis ornata, *ibid.* Basilicam Vat. reparari curat & ornari. 18. *b*. 19. *b*. Cathedra, cui eadem Statua fuerat imposita. 22. *a*.
S. Bernardini Senensis inventum ad significandum J. C. nomen. 77. *a*. A Nicolao V. sublatum. *ibid.* Ab Eugenio IV. vindicatur, *ibid.* Ille verò ab eodem Nicolao V. Sanctorum fastis adscribitur. 139. *b*.
Bertinorium Rom. Ecclesiæ a Paulo II. adscribitur. 142. *b*.
Bessarion Cardinal. 81. *a*. Orationem habet in laudem S. Andreæ Apostoli. 85. *a*.
Bonarotius monogramma ☧ in Anulis, Lucernis, & Sepulchris Christianorum sæpe expressum testatur. 2. *a*.
Bonæ Cardinalis de Mappulæ in sacris peragendis usu sententia refellitur. 121. *b*.
S. Bonaventura in tessera gentilitia siglis Jesu nomen exprimentibus utitur. 76. *b*.
S. Bonifacius PP. I. Rom. Sedis jura in Illyrici Ecclesias vendicat. 60. *b*.
Bonifacii PP. IV. Sacellum in Basilica Vat. 32. *a*. Ibi ejus corpus repositum, & addita Inscriptio. *ibid.* Solo æquatum. *ibid.* Hic Pontifex Pantheon in Ecclesiam mutat. 33. *a*. Qua die laudatum Sacellum fuerit consecratum; & quo anno. 35. *a*. Postea sublatum fuit sub Paulo V. 35. *b*. Et sacræ exuviæ sub ara S. Thomæ Apostolo dicata repositæ. 36. *a*.
Bonifacius PP. VIII. Altare in honorem S. Bonifacii PP. IV. erigit. 31. *a*. 127. *b*. Ejus marmoreum simulacrum. *ibid.* An pontificiæ thiaræ secundam Coronam addiderit. 31. *b*. 32. *a* & *b*. Ejus Sepulchrum. 86. *a*. 127. *b*. Quæ fuerit ejus corporis habitudo. 128. *b*.
Bosius monogramma ☧ in Anulis, Lucernis, & Sepulchris Christianorum sæpe expressum refert. 2. *a*.
Bracarense Concilium defunctorum corpora intra Ecclesiam tumulari vetat. 52. *b*.
Burcardus Comestabilis Caroli M. Imp. in Corsicam ablegatur. 96. *b*.
Byrrus quid sit. 78. *b*.

C

Cadavera apud Hebræos, & Christi fideles fasciis ad instar puerorum obduci olim solebant. 7. *a*. An priscis temporibus apud Christianos sacris in Ædibus tumularentur. 51. *a*. & *seqq.*
Cælestinus PP. III. patrimonium B. Petri recuperat. 91. *a*.
Cajetani Benedicti Card. Sepulchrum in Vat. Basilica. 135. *b*.
Caii Cestii Sepulchrum. 195. *b*.
Calixtus PP. II. Trajectensibus Episcopis Mitræ usum concedit. 69. *a*.
Calixti PP. III. Sepulchrum in Vat. Basilica, ejusque ornamenta nonnulla. 60. *a*. 69. *a*. 73. *b*. 87. *a*. 120. *a*. Calixti cineres in Ecclesiam S. Mariæ de Monserrato postea invecti. 120. *b*.
S. Caloceri Reliquiæ in Vat. Basilica. 102. *a*.
Candelabrum in Sarcophagis Christianorum sæpius adhibitum. 146. *b*.
Capitularibus Regum Francorum cadavera in Ecclesiis sepeliri vetitum. 53. *a*.
Cappa idem ac Pluviale. 31. *b*.
Carola Cypri & Hierusalem Regina. 98. *a*. Aloysio Sabaudiæ Duci nubet. *ibid.* Regno expoliatur. *ibid.* Romam pergit. 98. *b*. Ubi moritur. 99. *a*. Et in Vat. Basilica tumulatur. *ibid.*
Carolus M. Imperator Hadriani PP. I. pedes osculatur. 21. *b*. Rom. Ecclesiæ defensor constituitur. 24. *b*. Cui civitates nonnullas donat. 89. *a*. Burcardum Comestabilem in Corsicam delegat. 96. *b*.
Carolus V. Imperator Clementis PP. VII. pedes osculatur. 15. *b*.
Carolus II. Siciliæ Rex Bonifacii VIII. funus sociatur. 127. *b*.
Carolus VIII. Galliarum Rex Alexandrum PP. VI. pedum osculo colit. 21. *b*.
Carthaginensis IV. Synodus Clericis barbam radere prohibet. 71. *b*.
Casulæ Sacerdotalis usus in Ecclesia antiquus. 69. *b*. Quæ ejus forma esset medio ævo. 169. *a*.
Catelli Epitaphium. 37. *a*.
Cereorum usus in Christianorum funeribus antiquissimus. 146. *b*.
Cesena Romanæ Ecclesiæ a Paulo II. adjecta. 142. *b*.
Christi nomen primis Ecclesiæ temporibus, quibus siglis designari soleret. 1. *a*. Ejus quoque imago humana facie proponi solebat. 4. *b*. Aliquando senis faciem refert. 5. *a*. Sed perperam. *ibid.* Immo plerumque imberbis, & quare. 213. *a*. Ejus caput quando cœperit coronari. 3. *b*. Quo suæ ætatis anno Cruci fuerit affixus. 5. *a*. Cur volumen manu gestans, illudque expansum antiquis in Tabulis exhibeatur. 5. *b*. Pollice & Anulari inter se commissis, alii tres digiti erecti actum benedicentis referunt. 23. *a*. Variæ hac de re Scriptorum sententiæ. *ibid.*
Christiani an Pallio uterentur. 8. *a*. Et quo. 190. *a*.
Cru.

Crucis signo uti solebant. 42. *b*. Et cum ipsa Cruce sepeliri. 162. *b*.
Christophori Primicerii R. E. corpus in templum S. Petri invectum. 53. *b*.
Ciborium apud antiquos quid sit. 36. *b*. Super Altare principe S.Petri a Sixto PP. IV. restitutum. 50. *b*. 198. *a*. Ad Altare Sacræ Lanceæ ab Innocentio VIII. erectum. 78. *a*. 174. *b*. 183. *a*.
Cinegius Nolæ in Ecclesia S. Felicis annuente Sancto Paulino Episcopo tumulatur. 51. *a*.
Circus Gaii in Vaticano. 196. *b*.
Circus Neronis. 196. *b*.
Claves Rom. Ecclesiæ insignia. 16. *b*.
Clemens PP. I. septem Notarios regionarios Romæ instituit. 54. *a*.
Clemens PP. V. Rom. Sedem transfert Avenionem. 138. *a*.
Clerici barbam ab Ecclesiæ primordiis nutrire soliti. 71. *b*.
Clodoveus I. Francorum Rex Coronam auream B. Petro dono dat. 148. *a*.
Colobium idem ac Tunica sine manicis. 191. *b*.
Columna Agnes Honorato Cajetano nupta. 165. *a*. Ejus epitaphium in Vat. Basilica, & funebris pompa. *ibid.*
Concilium Generale VII. Angelos pingi & cælari posse definit. 77. *b*.
Concilium Romanum XCIII. Episcoporum a Sancto Gregorio PP. III. celebratum. 10. *b*. Decretum in eo editum de divino servitio in Sanctorum honorem præstando. *ibid.* & *pag.* 11. *b*.
S. Congregationis Indulgentiarum & Reliquiarum de palma, quæ in veteribus Christianorum Sepulchralibus marmoribus insculpi consueverat, Decretum. 7. *a*.
Constabularius idem ac Comestabilis. 96. *b*.
Constantinus Imp. monogramma ☧ in Galea, & Labaro expressum præ se ferebat. 1. *b*. 2. *a*. Ejus numisma cum lemmate IHS &c. 76. *a*. Auctor est Crucis auro gemmisque ornandæ. 2. *b*. Eamque in ipso Palatii introitu figit. *ibid.* & *pag.* 213. *b*. Trabem permagnam in Vat. Basilica collocat. 20. *b*. Ejus de Pallii concessione Episcopis Privilegium suppostitium. 151. *b*. Christi Sepulchrum expurgat, ac veneratur. 185. *b*.
Constantii Sarcophagus in Cryptis Vaticanis. 7. *b*.
Corchianum Cameræ Apost. vindicatum. 142. *b*.
Coronæ Clericalis forma quæ fuerit antiquitùs. 43. *b*. Quo seculo in usu esse ceperit. 44. *a*.
Corsica annuum tributum ad Oratorium S. Gabinii mittere solebat. 11. *b*. 29. *b*.
Crux quo tempore auro, gemmisque ornari ceperit. 2. *b*. Et quando coronari. 4. *a*. Coronari autem desiecvit, cum Christi imago eidem cepit affigi. *ibid.* In Sepulchralibus Christianorum epitaphiis interserta, quid præseferat. 7. *a*. 42. *b*. 98. *a*. Sæpe etiam ipsis cum Cadaveribus consepulta. 162. *b*.
Crucesignati Crucem vestibus assuebant. 97. *b*.
S. Cypriani martyrium. 79. *a*. Ejusdem revelatio, & sententia de luctu in morte Christianorum. 107. *a*.

D

Dalmaticæ diaconalis forma, & antiquitas. 133. *a*. Ab initio proprium Rom. Ecclesiæ fuit indumentum. 134. *b*.
Damasus PP. aquam ad Fontem baptismalem Vaticanum corrivat. 6a. *b*.
Defunctorum corpora intra Ecclesiam sepeliri Bracarensis Concilii lege cautum. 52. *b*.
Deiphebus Eversi Anguillaria a Paulo II. privatus. 142. *b*.
Depositus in Epitaphiis Christianorum, quid significet. 113. *a* & *b*.
Desiderius Langobardorum Rex Romæ obsidionem minatur. 41. *a*.
Diaconi in Conciliis stare solebant. 13. *b*.
Diaconi Regionarii Romæ instituti. 54. *a*.
Dioscorus Patriarcha Alexandrinus in Concilio Calcedonensi ad dexteram Legatorum S.Leonis PP. sedet. 25. *b*.
Domnizo Presbyter rerum a Comitissa Mathilde gestarum Scriptor. 89. *a*.
Dulcitius Notarius Ecclesiæ Rom. 59. *a*.

E

Ecclesiarum consecratio die Dominico fieri solita. 33. *b*.
Ennodius Ticinensis Symmachi PP. innocentiam vindicat. 193. *a*.
Eudociæ Imperatricis Nummi Crucem exhibentes. 4. *a*.
Eugenius PP. III. Romam magna Populi lætitia revertitur. 21. *b*. Altare B. Mariæ Virginis in Vat. Basilica reparandum, ornandumque curat. 29. *b*.
Eugenius PP. IV. Sig'a a S. Bernardino ad nomen *Jesu* exprimendum adinventa approbat. 77. *a*. Ejus Sepulchrum in Basilica Vat. 94. *b*.
Euphemiana Tabula a S. Asterio Amaseæ Episcopo explicata. 8. *b*.
Eusebius Cæsariensis Labarum a Constantino M. gestari solitum describit. 1. *a*.
Eustatius Episcopus Antiochenus in Concilio Nicæno I. a dextris Legatorum S. Leonis PP. sedet. 25. *b*.
Eutychites Notarius Ecclesiæ Rom. 59. *a*.
S. Euthychius Patriarcha Constantinopolitanus in Ecclesia Apostolorum tumulatur. 51. *b*.

F

S. Fabianus PP. septem Subdiaconos Regionarios Romæ instituit. 54. *a*. Qui Notariis in Martyrum Actis describendis præsiderent. *ibid.*
Fabrettus monogramma ☧ in Anulis, Lucernis, & Sepulchris Christianorum sæpe expressum animadvertit. 2. *a*.
Fanon ornamentum peculiare Rom. Pontificis. 150. *a*. Quæ sit ejus forma, & quomodo imponatur. *ibid.*

Felix IV. Theodorici Gothorum Regis opera in Rom. Sedem invectus . 117. *b*.
Felix Subdiaconus & Rector patrimonii Appiæ . 58. *b* .
Ferdinandus Hispaniarum Rex Sacellum S. Petro in monte Aureo dicat . 193. *a* .
Flaviæ Agrippinæ in Vat. Basilica monumentum. a. *a*.
Flavius Basilius Imperator. 76. *a* . Ejus numisma cum lemmate IHS . *ibid*.
Flavius Lollianus Mavortius Romæ Præfectus. 67. *b*.
Fonseca Petrus Cardinalis . 158. *a* . Ejus in Vaticana Basilica Sepulchrum . *ibid*. Ejus dotes . 159. *b* .
Fortiguerra Nicolaus Orationem de S. Leonis M. laudibus habet . 47. *b* .
Francisci qui sint . 116. *b*.
Franciscus Eversi Anguillariæ Comes a Paulo II. repressus . 142. *b* .
Franciscus Maria Piccolomineus memoriam translatæ Pientiam particulæ capitis S. Andreæ Apostoli solemniori ritu celebrandam curat . 85. *b* .
Franciscus de Suno Literarum Apostolicarum Scriptor . 80. *a* .
Fridericus I. Imperator , dictus Ænobarbus , Alexandri PP. III. pedes osculatur . 21 . *b* . Civitates Rom. Ecclesiæ a Com. Mathilde donatas, quas occupaverat , se redditurum promittit . 91. *a* .
Fridericus III. Imperat. Nicolaum PP. V. pedum osculo veneratur . 21. *b*. Romam voti causa venerat . 109. *b* . Vat. Basilicæ concessa suis a prædecessoribus privilegia confirmat , *ibid*.
Fructuum primitiæ apud omnes Gentes Deo dicari consuevere . 208. *b* .
Fulconis Rhemensis Episcopi funus . 146. *b* .

G

S. GAbinii corpus in Basilica Vat. a S. Gregorio PP. III. conlocatum . 11. *b* . Ad quod singulis annis tributum Sardinia & Corsica mittere solebant . *ibid*. & *pag*. 26. *b* .
Gallesium Rom. Ecclesiæ a Paulo II. vindicatum . 142. *b* .
Garfagnana ad Patrimonium S. Petri pertinens . 92. *a* .
Gemulus Rom. Ecclesiæ Diaconus . 13. *b* .
Georgius Flatus Cyprius filiam Petro Aldobrandino tradit in matrimonium . 99. *a* .
Georgii Dominici Dissertatio de monogrammate ☧ . a. *a* .
Germania transrhenana sæpe Gallia appellata . 115. *b* .
Germaniæ Imperatores sæpe Francorum Reges a Scriptoribus appellantur . 115. *b* .
Gobellinus an sit Commentariorum Pii II. auctor . 85. *b* .
Godebaldus Trajectensis Episcopus a Calixto Papa II. Mitræ usum obtinet . 69. *a* .
S. Gregorius M. pecuniam pro sepulturæ loco exigi reprobat , vetatque . 57. *a* . Qua de causa circa ejus caput Columba pingi soleat . 72. *b* . Altare S. Luciæ in Basilica Vat. consecrat . 80. *a* . Ejus in pauperes largitas, & sollicitudo . 116. *a*. Angelum sub peregrini specie pauperibus in mensa adjunctum agnoscit. *ib*. Ravennatibus Presbyteris Mappularum usum interdicit . 121. *b* .
S. Gregorius PP. II. Oliveta nonnulla ad parandas Lampades SS. Petro & Paulo addicit . 14. *b* .
S. Gregorius PP. III. Oratorium B. Mariæ Virginis in Basilica Vat. erigit . 8. *a*. Synodos Romæ celebrat . 8. *b* . Ejus Decretum pro conservatione laudati Sacelli . *ibid*. & *pag*. 10. *a* . Aliud contra Iconomachos . 10. *a*. 12. *b* . In Oratorio eadem in Basilica a se extructo plurium Sanctorum Reliquias collocat . 10. *b* Et præsertim corpus S. Gabinii . 11. *b* . Et nonnullas Inscriptiones . *ibid*. Instituit festum omnium Sanctorum . 13. *a*. Egregiæ ejus dotes . 18. *a* . Quo tempore Sanctorum Fastis fuerit adscriptus . *ibid*. Ejus tumuli ornamenta nonnulla . *ibid*.
Gregorius Papa IV. S. Gregorii M. exuvias in Basilicam Vat. infert , eique Oratorium dedicat . 34. *a* & *b* .
Gregorii Papæ V. sepulchrum . 115. *a*. Atque ornamenta . 119. *a* . Ejus in pauperes largitas . 115. *b* . Ottonem III. Imp. inungit . 117. *b* .
Gregorius Papa IX. Templi Vaticani frontem ornat . a. *b* .
Gregorius XIII altare S. Leonis ornat . 46. *a* .
Gregorius Rom. Ecclesiæ Presbyter a S. Gregorio PP. III. ad Leonem Isaurum Imp. pro defendendis sacris Imaginibus missus . 10. *a* . In Concilio Rom. anno 731. damnatur . *ibid*.
Gretserus Joannes monogramma ☧ in Anulis , Lucernis , & Sepulchralibus Christianorum marmoribus sæpe expressum animadvertit . a. *a*.
Guidonea Janua veteris Vat. Basilicæ . 184. *a* .

H

HAdoindus Cenomanensis Episcopus in Ecclesia tumulari testamento mandat . 51. *b*.
Hadrianus Papa I. altare SS. Sudarii consecrat . 38. *b* .
Hadriani Papæ IV. Sarcophagus . 124. *a*.
Hadriani Papæ VI. Cineres ad Ecclesiam S. Mariæ de Anima translati . 143. *b* .
Hadriani Imp. Sepulchrum . 114. *b* .
Hamburgenses Episcopi a S. Leone Papa IV. Mitræ usu donati . 69. *b* .
Harduini sententia de Indictionis usu refutatur . 56. *b* .
Hebræi hominum cadavera fasciis solebant obducere . 7. *a* .
Henricus V. Imp. Bona a Comit. Mathilde R. E. donata sibi per vim adtribuit . 90. *b* .
Henricus Bavariæ Dux Investituram Bonorum , quæ Comit. Mathildes R. E. donaverat , ab Innocentio Papa II. obtinet . 90. *b* .
S. Herculani Episcopi Perusini corpus in Ecclesiam S. Petri Perusiis infertur . 51. *b* .
Heruli Berardi Card. Sepulchrum . 6. *b* . Ejus ornamenta nonnulla . 16. *b* . 28. *a* . 79. *b*. 176. *a*. 184. *b*. Præclare ab eo gesta . 162. *b*. Elogium. 163. *a* .
Hieremias Episcopus Senonensis . 75. *b* .

Hierosolymitani Ordinis generale Capitulum Romæ celebratur. 131. *a*.
S. Hieronymus an fuerit Rom. Ecclesiæ Cardinalis. 70. *a*. 79. *b*. Cur ejus imaginibus Leo soleat appingi. 71. *a*. 79. *b*. Fuit S. Damaso Papæ a secretis. *ibid.*

I

S. JAcobus minor Apostolus Comam numquam totondit. 27. *b*.
S. Jacobi Apostoli Hierosolymorum Ep. caput laurea Lamina ornatum. 69. *b*.
Jacobi Cajetani Card. sepulchrum in Vat. Basilica. 137. *a*. Annus Jacobi emortualis assignatur. 137. *b*.
Jacobus Cyrensis annuente Theodoreto Episcopo in Ecclesia sepelitur. 51. *a*.
Jacobus Joannis Cypriorum Regis Nothus Carolam Regno spoliat. 98. *a*.
Janiculus Anci ætate pomærio inclusus. 194. *a*.
Iconomachi, eorumque damnata hæresis in Synodo Romana sub S. Gregorio Papa III. celebrata. 10. *a*.
Jejunii Sabbathici Romæ qualis fuerit origo. 200. *b*.
I. & IH. in Sepulchris Christianorum quid significent. 74. *b*.
Jesus Christus duplici veste uti solebat. 86. *a*. Quæ essent hujusmodi vestes. *ibid.*
Jesu Christi nomen quibus siglis soleat repræsentari. 76. 77.
Jesu Christi Ancillæ appellatio Christianis Virginibus tribui solita. 75. *a*.
Illyrici Ecclesiæ Rom. Sedis jurisdictioni assertæ. 60. *b*.
Imaginum cultus a S. Gregorio Papa III. vindicatus. 10. *a*.
Imum quid sit. 86. *b*.
Innocentius II. Allodium a Comit. Mathilde R. E. collatum Lothario II. Imp. committit. 90. *b*. Et Henrico Bavariæ Duci concedit. *ibid.* Ejus in Basilica Lateranensi sepulchrum. 114. *b*.
Innocentius Papa III. sanctionem fert pro Basilica Vat. 12. *a*. Preces in honorem SS. Sudarii concinnat. 40. *b*. Easque recitantibus concedit Indulgentiam. *ibid.*
Innocentii Papæ VII. in Vat. Basilica sepulchrum. 149. *a*.
Innocentius Papa VIII. Sacellum a S. Gregorio III. erectum ornat ad conservandum Sac. Lanceæ ferrum. 29. *a*. 72. *a*. 74. *a*. 78. *a*. Quam S. Lanceam ad Vat. Basilicam solemni pompa defert. 183. *b*. Ejusdem Pontificis hac in Basilica epitaphium. 30. *b*.
Innocentii IX., qui fuerat Joannes Fachenetus, Sarcophagus. 162. *a*.
S. Joannes Apostolus lauream Laminam in fronte gestare solitus. 69. *b*. Quare Aquila adstare illi soleat. 74. *b*.
S. Joannis ad fontes Oratorium in antiqua Vatic. Basilica. 62. *b*.
S. Joannis Chrisostomi in Vat. Basilica Sacellum. 35. *b*.
SS. Joannis & Pauli Monasterium prope Basilicam Vat. 10. *b*. 12. *a*.
Joannes Papa VII. facellum ad servandum Christi Sudarium erigit. 3. *b*. Et ciborio cooperit. 36. *b*. 39. *b*. 42. *a*. Quod postea dirutum fuit. *ibid.* Erigit præterea Oratorium B. M. V. & marmoribus anaglyphici operis ornat. 3. *b*. 6. *a*. 177. *a*. 184. *a*. Quæ nunc in facello B. M. de Febri visuntur. *ibid.*
Joannes Papa XII. Rom. Imperium transfert ad Germanos. 24. *a*.
Joannes Papa XXII. Tectorum Basilicæ Vat. reparationi sedulò incumbit. 19. *a*.
Joannes Archipresbyter Vat. Basilicæ. 111. *b*.
Joannis Bernardini Scoti Card. epitaphium. 112. *b*.
Joannes Cæsarinus Basilicæ Vat. Canonicus. 80. *a*. Altare S Luciæ dotat. *ibid.*
Joannes Episcopus Hierosolymitanus S. Hieronymum suæ Ecclesiæ tentat subjicere. 70. *a*.
Joannes Ep. Thessalonicensis Concilio Gen. VII. proponit, Angelos pingi & cælari. 77. *b*.
Joannes Piscis Altararius Basilicæ Vaticanæ. 20. *a*. Quam curam in illa reparanda impenderit. *ibid.*
Joannes Subdiaconus primæ Regionis Romanæ Pallium e collo S. Silverii Papæ subtollit, eumque monastica veste induit. 54. *a*.
Jottus egregius Pictor, ejusque epitaphium. 61. *b*. Picturam suo nitori restituit. 106. *a*.
Italica lingua unde originem fuerit sortita. 116. *b*.
Juliani Apostatæ Imp. sententia de nota X. 1. *a*.
Julius Papa II. novam Vat. Basilicæ extructionem incipit. 14. *b*. 46. *a*. 94. *a*. 140. *a*. 141. *a*. *Atque alibi passim*.
Julii Papa III. in Vat. Basilica lateritium sepulchrum. 143. *a*.
Junii Bassi Sarcophagus in Vat. Basilica. 201. *a*. Quis hic fuerit Bassus. *ibid.*
Justinianus II. Imp. Constantini Papæ pedes osculatur. 21. *b*. Ejus numisma cum lemmate IHS. 76. *a*.

L

LÆva ne, an dextera sit dignior. 24. *a*. & *seq.*
Lambertinus Prosper, qui postea fuit Benedictus Papa XIV. Vat. Basilicæ Canonicus. 47. *a*.
S. Lanceæ ferrum ubinam medio ævo asservaretur. 29. *a*. 72. *a*. Illud a Bajazete acceptum Innocentius VIII. solemni pompa ad Vat. Basilicam defert. 183. *b*.
Langrolasius Joannes. *Vide* Villiers.
Lapis porphyreticus, super quo SS. Petri & Pauli ossa divisa fuisse feruntur. 110. *b*.
Laticlavii antiquis Romanis qui dicti. 169. *a*.
Laurentius Card. Cybo facellum S. Mariæ Virginis restaurat, & ornat ad asservandum S. Lanceæ ferrum. 29. *a*. Dotemque pro quatuor Sacerdotibus ei inservientibus constituit. 30. *a*.
Laurentius Primicerius Ecclesiæ Rom. 59. *b*.
Leo in S. Hieronymi imaginibus cur soleat appingi. 71. *a*.
Leones quare Templorum ac Palatiorum valvis vel

vel lapidei vel picti adponi consueverint. 21. *b*.
S. Leonis M. corpus pluries translatum. Primum a Sergio Papa I. 44. *a*. Epitaphium positum. 45. *a*. Iterum reconditum an. 1715. 46. *& seq.*
S. Leo Papa III. Rom. Imperium ad Carolum M. transfert. 24. *a*. Novum Baptisterium in Vat. Basilica erigit. 64. *a*.
S. Leo Papa IV. sacellum S. Leoni I. erigit. 46. a. Hemburgensibus Episcopis Mitræ usum concedit. 69. *b*. Ciborium altari principi Vat. superimpositum argenteis laminis ornat. 189. *b*.
Leonis Papa IX. sanctiones pro servitio divino in Vat. Basilica præstando. 111. *b*.
Leonis Aug. Nummi Crucem exhibentes. 3. *a*.
Leo Isaurus Imp. Iconoclastarum assertor. 10. *a*.
Lepus sæpe Autumni Symbolus. 207. *b*.
Liber Vitæ qui intelligatur. 5. *b*.
Libri unde dicti *Volumina*. 22. *a*.
Lipsius Justus monogramma ☧ in Anulis, Lucernis, & sepulchralibus Christianorum marmoribus sæpè expressum animadvertit. 2. *a*.
Lomellinus Franciscus Ordinis Hierosolymitani apud S. Sedem Orator. 132. *a*.
Longinianus Flavius Macrobius Urbis Præfectus Baptisterium Vat. ornat. 63. *b*.
Longolius Richardus Olivetius Cardinalis. 107. *b*. Ejus Gesta, animique dotes. 108. *a*. & *b*.
S. Lucæ quare Vituli facies adstare soleat. 74. *a*.
S. Luciæ altare in Basilica Vat. a S. Gregorio M. consecratum. 80. *a*. In novam Basilicam postea translatum. *ibid.*
Luctus inordinatus in morte Christianorum indecens. 107. *a*.
Ludovicus Bavarus Romam hostiliter ingreditur. 41. *a*.
Ludovicus Lotharii filius Sergium Papam II. pedum osculo colit. 21. *b*.
Ludovicus Podocatharus Cardinalis. 99. *a*.
Luitprandus Langobardorum Rex S. Gregorii Papæ II. pedes osculatur. 21. *b*.

M

MAffiolus de Lampugnano Episcopus Placensis. 166. *a*. Ejus in Vat. Basilica epitaphium. *ibid.*
Mappula inter sacras vestes quæ sit. 121. *b*. Quo tempore ejus usus inductus. *ibid.* Primis temporibus fuit proprius Cleri Romani. *ibid.*
Marcellus II. antea Card. Cervinus. 156. *a*. In Romanum Pontificem eligitur. *ibid.* Moritur. 156. *b*. Et in Vaticana Basilica tumulatur. *ibid.* Ejus sepulchri ornamenta. 157. *a*.
Marcelli Subdiaconi Regionis Sextæ emortualis inscriptio in Cryptis S. Petri. 53. *b*.
S. Marcus quare hominis faciem propè habeat. 74. *b*.
Marcus Card. Barbus Paulo II. sepulchrale monumentum erigit. 141. *a*.
S. Mariæ *della Bocciata* sacellum. 15. *a*. 48. *a*. Quare effigiei ibi adservatæ hæc fuerit indita denominatio. 15. *a*.
B. Mariæ Virginis sacellum in Vatic. Basilica a S. Gregorio Papa III. erectum. 8. *a*. *& seqq.* Ab Innocentio VIII. restauratum, ornatumque ad asservandum S. Lanceæ ferrum. 29. *a*.
S. Mariæ de Columna altare ubi corpora SS. Leonum I. II. III. & IV. a Paulo V. Pontifice, collocata. 44. *a*. 46. *b*. Iterumque recondita an. 1715. præter corpus S. Leonis I. 47. *a* & *b*.
S. Mariæ Porticus, seu de Febri sacellum in Basilica Vat. 6. *a*. 8. *b*. 14. *b*. 15. *a*. 17. *b*. 21. *a*. 48. *a*. In illud marmorea S. Petri Statua deportata. 21. *a*. Et ornamenta nonnulla sepulchri Nicolai Papæ V. 48. *a*.
S. Mariæ de Prægnantibus sacellum, & celebre ejus altare translatum. 3. *a*. 19. *a*. 28. *a*. 49. *b*. Nonnulla in eo vetera Monumenta. *ibid.* & *pag.* 32. *b*. 144. *b*. Statua marmorea Deiparæ cum puero Jesu. 30. *a*. 42. *a*. Et præsertim ibi jacuere corpora SS. Leonum I. II. III. & IV. 44. *a*.
S. Mariæ in Turri sacellum in porticu veteris Vat. Basilicæ. 94. *a*. In eo Imperator a Rom. Pontifice coronandus juramentum de defendenda Rom. Ecclesia emittere solebat. *ibid.*
S. Martini Monasterium propè Basilicam Vat. 10. *b*. 12. *a*. 108. *b*. 109. *a*. 112. *a*. A Nicolao Papa V. dejectum. 108. *b*. 109. *b*.
Martinus Papa V. sigla a S. Bernardino ad Jesu nomen exprimendum adinventa improbat. 77. *a*.
Martyrum exuvias in Ecclesiis tumulari ipsis Imperialibus legibus statutum. 52. *a*.
Mathildes, ejusque in Rom. Ecclesiam munificentia. 89. *a*. Hujus rei monumenta in Vat. Basilica. *ibid.* Ejus sepulchralis memoria ab Urbano Papa VIII. erecta. 92. *b*. Primum sepulta fuit Mantuæ in Monasterio de Polirone. *ibid.*
S. Matthæo Evang. cur Juvenis alati imago adstare soleat. 74. *a*.
Memmius Simon Senensis Pictor. 15. *a*.
S. Militi Martyris in Vat. Basilica Reliquiæ. 101. *a*. 102. *a*.
Minus Sculptor celeberrimus. 141. *a*.
Mitra Pontificalis an semper singulis communis fuerit Episcopis. 69. *a*.
Monogramma ☧ quid significet. 1. *a*. 123. *b*. A prioribus christianæ religionis temporibus usurpatum. *ibid.* Perperam *Pax Christi*, seu *Pro Christo* explicatur. 2. *a*. Erronea de illo Basnagii opinio. *ibid.* A Constantino M. in Galea, & Labaro expressum. *ibid.* Sæpe etiam in Anulis, Lucernis, & sepulchris Christianorum. *ibid.* & *pag.* 74. *b*.
Monumenti, in quo Christus depositus est, forma qualis fuerit. 185. *a*.
Moschus Sedis Apost. Diaconus, ejusque Epitaphium. 15. *b*. An idem sit ac Archidiaconus, qui sub Gregorio II. Romano Concilio interfuit. *ibid.*

N

NAmnetensi Synodo defunctorum corpora in Ecclesiis sepeliri cautum. 62. *b*.

Nardini Stephani Card. sepulchrum in Vat. Basilica. 100. *a*. Ejus gesta nonnulla. *ibid*.

Naumachia Neronis in regione Transtyberina. 194. *b*. Plures Naumachiæ in Urbe Roma. 195. *a*.

Neophyti quibus de causis Baptismu differre consueverint. 203. *a*.

Nicolai Papæ III. sarcophagus in Vatic. Basilica. 143. *b*. Fuit insignis ejusdem Basilicæ benefactor. 144. *a*.

Nicolai Papæ V. in Vat. Basilica sepulchrum. 28. *b*. 48. *a*. 77. *b*. 80. *b*. 81. *a*. 138. *a*. Ejus ornamenta nonnulla. *ibid*. & *pag*. 139. *b*. 187. *a*. Ejus corporis qualis fuerit habitudo. 139. *a*. Ejus in Romanam Sedem, atque Urbem merita. 139. *b*. Bernardinum Senensem Sanctorum fastis adscribit. *ibid*. Italiæ paci consulit. *ibid*. Græcos Codices Romam adduci, latineque reddi curat. *ibid*. Clavibus decussatis pro gentilitiis signis uti voluit. 140. *b*.

Nicolai Card. Bocasini in Bonifacium VIII. fides. 137. *b*. Fuit postea Benedictus Papa XI. 138. a.

S. Nicolai Oratorium in Basilica Lateranensi. 148. *b*.

Notarii regionarii a Clemente Papa I. Romæ instituti. 54. *a*. Acta Martyrum scribebant sub præsidentia Subdiaconorum. *ibid*. Alia eorum munia. 60. *a*.

O

S. ODO Abbas Cluniacensis. 79. *a*.

Othonis II. Imp. nobile sepulchrum in Vat Basilica. 22. *a*. 114. *a*. Fuerat tumulatus in Porticu ejusdem Basilicæ. 52. *b*. Dicta & Quadriporticus. 114. *a*. In Cryptas postea translatus. 114. *b*.

Otto Episcopus Frisingensis prope Ecclesiam humari mandat. 52. *b*.

Otto Franconiæ Dux Gregorii PP. V. pater. 115. *a*.

Oves in sepulchralibus Christianorum marmoribus expressæ quid designent. 7. *a*.

P

PAllium philosophicum, ejusque forma. 190. *a*.

Pallium majoribus Ecclesiis præfectos a cæteris distinguit. 150. *b*. Ejus origo, forma, & materia. 191. *a*. Constantini Imp. hac de re privilegium suppostitium. 151. *b*.

Fallotta Evangelista Card. Vat. Basilicæ Archipresbyter. 36. *a*. Corpora SS. Leonum I. II. III. & IV. ex sacello S. Mariæ Prægnantium ad aliud S. Mariæ de Columna transfert. 47. *b*.

Palma in sepulchralibus Christianorum marmoribus expressa an sit martyrii indicium. 7. *a*. Sac. Congregationis Indulgentiarum & Reliquiarum hac de re Decretum. *ibid*.

Pandulphus Marsorum Episcopus Casinense Monasterium Pluviali donat. 32. *b*.

Pantheon in Ecclesiam a Bonifacio Papa IV. mutatum. 33. *a*.

Paradisus in Vat. Basilica quid fuerit. 22. *a*.

Paschalis II. baltheo cum septem clavibus cingitur. 16. *a*. Corpora SS. Leonum I. II. III. & IV. in sacellum S. Leoni I. dicatum infert. 46. *a*.

Pater æternus cur sub Senis figura exprimi soleat. 4. *a*. Ejus essentiam, atque aliarum divinarum personarum ulla imagine adumbrari cautum. 4. *b*.

Patrimonium S. Petri a Comit. Mathilde donatum. 89. *b*. & *seq*. Qui ejus sint limites. 91. *b*.

S. Paulinus Nolanus in monogrammate ☧ Literas omnes Christi nomen componentes deprehendit. 1. *b*.

S. Paulus Ap. cur a dextris S. Petri alicubi ponatur. 25. *a*. & *seqq*. Quanto Christianæ Ecclesiæ fuerit emolumento. 26. *a*. Basilica ei in via Ostiensi dicata. 174. *a*. Quæ ejus fuerit forma. 176. *b*. Ejus martyrium quale fuerit, & ubi. 198. *b*.

Paulus Papa II. Eugenio IV. patruo tumulum in Vat. Basilica erigit. 95. *a*. Hierosolymitani equestris Ordinis generale Capitulum Romæ indicit. 131. *a*. Altare S. Marci in eadem Basilica construit. 141. *a*. Et in ea tumulatur. *ibid*. Tiaram pontificiam splendidè ornat. 141. *b*. Quæ fuerit ejus corporis habitudo. *ibid*. Georgium Pogebrachium Hussitis faventem ecclesiastico gladio perstringit, Regnoque privat. 142. *b*. Et patrimonium Rom. Ecclesiæ auget. *ibid*. Illius sepulchri ornamenta nonnulla. 177. *b*. 178. *a*. 180. *a*. 184. *b*. 186. *a*. *Vide* Petrus Barbus.

Paulus de Senis sculptor. 17. *a*.

Pavo sæpe veris symbolum. 208. *a*.

Perbenedictus Joannes Baptista. 164. *a*. Ejus epitaphium. *ibid*.

Petri Hispani Card. sepulchrum in Vat. Basilica. 137. *b*. Ejus in Bonifacium VIII. amor & fides. *ibid*. Legatus Sedis Apostolicæ in Angliam. 138. *a*. Sacellum S. Jacobi in Vat. Basilica dotat, & in ea tumulatur. 138. *b*.

S. Petronillæ sacra ædes antiquæ Vatic. Basilicæ adjacens. 168. *a*. & *b*.

S. Petri marmorea statua in sacellum B. Mariæ de Porticu deportata. 21. *a*. Qui fuerint ejus ornatus. 21. *b*.

S. Petri effigies cur aliquando tribus cum clavibus exprimatur. 24. *a*. & *b*.

S. Petri *de Bronzo* altare in Vat. Basilica. 108. *b*.

S. Petrus calvus fuerit necne. 176. *a*. Ejus corporis habitudo. 176. *b*. Martyrium quale fuerit. 192. *b*. An in Janiculo, vel in Vaticano. 193. *a*. & *b*. 195. *b*. An clavis fuerit confiaus. 197. *a*.

Petrus Altinatum Episcopus Romam veniens Basilicam Vat. non invisit. 193. *a*.

Petrus Barbus Eugenii IV. sepulchrum construit. 94. *b*. Et sacellum B. M. V. dotat. 35. *a*. *Vide* Paulus II.

Petrus Leonis nomine Paschalis Papæ II. Henricu Imp. promissa firmat. 94. *a*.

Petrus Leonis supellectiles pretiosas ex Vat. Basilicæ thesauro rapit. 189. *b*.
Petrus Prior Canonicorum Vat. Basilicæ an. 1044. 111. *a*.
Petrus Rom. Ecclesiæ Diaconus Spiritum S. super caput S. Gregorii M. in columbæ similitudinem frequentissime perspicit. 72. *b*.
Petrus Subdiaconus R. E. regionis primæ. 59. *a*.
Petilianus Donatista Ep. Cirtensis monasticam vitam improbat. 78. *a*.
S. Philippus Apostolus quo martyrii genere fuerit affectus. 80. *b*.
Piccolomineus Franciscus S. Andreæ sacellum in Vat. Basilica dotat. 187. *b*.
Pinna eadem ac Turris Campanariæ. 94. *b*.
Pius II. S. Andreæ Apostoli caput ad Vat. Basilicam defert. 21. *a*. 81. *a*. Eique Altare dedicat. 81. *a*. 188. *a*. Scalam marmoream præ foribus Atrii construit. 84. *b*. Ejus sepulchrum cum ornamentis. 74. *b*. 77. *b*. 86. *a*. 125. *a*. Quæ postea ad S. Andreæ de Valle cum ejus cineribus translata sunt. 125. *a*.
Pii III. sepulchrum eiusque Urna & Lapis sepulchralis in Vat. Basilica. 123. *a*. 133. *a*. Ejus corpus translatum ad S. Andreæ de Valle. 124. *a*.
Pl. M. *notulæ* in vetustis Inscriptionibus quid significet. 37. *b*.
Pluvialia aureis ornamentis insignita. 32. *b*.
Podii Joannis Elogium, & sepulchralis Inscriptio. 163. *b*. *& seq.*
Pontifices Romani mox electi, baltheo septem eum clavibus cingi consueverunt. 16. *a*. Quid hujusmodi claves præseferant. *ibid.* & *p.*24. *a*. & *b*. Post electionem tradi eis solent claves Lateranensis Basilicæ [& Palatii. 16. *b*. Eorum pedes osculandi mos antiquissimus. 21. *a*. De eorum veste Pluviale dicta. 32. *a*. Eorum ordinatio singulis annis celebrari solita. 33. *b*. Antiquitus in Porticu Vat. Basilicæ solebant tumulari. 34. *a*. 49. *b*. Postea verò eorum cineres ipsam in Basilicam translati fuere. 34. *a*. Eorum in pauperes largitatis exempla plurima. 116. *a*. Tresdecim pauperes quotidiè in ennvivio excipiendi mos unde inductus. *ibid.* Atque etiam Tredecim Presbyterorum pedes Feria V. in cœna Domini abluendi. *ibid.* An semper barbam nutrierint. 121. *a*. Calceamenta Cruce insignita a longo jam tempore gestant. 138. *b*. 156. *b*. S. Petri Vicarios se appellare solebant. 146. *a*.
della Porta Ardicinus Card. Senior. 160. *a*. A Martino V. creatus. *ibid.* Ejus sepulchrale Monumentum in Vat. Basilica. *ibid.* Fuit Advocatus Consistorialis. 161. *b*.
della Porta Ardicinus Card. Junior, ejusque sepulchrale Monumentum. 171. *a*. & *b*. Ejus vitæ Summariolum. 172. *b*. *& seq.*
Porticus Pontificum in veteri Basilica Vat. cur sic dicta. 49. *b*.
Præfectus Urbis Romæ, ejusque munia. 202. *b*.
Primicerius Notariorum S. R. E. ejusque officium. 60. *a*.
Primitiæ fructuum apud omnes gentes Deo dicari consuevere. 208. *b*.
Probi Anicii, & Probæ Faltoniæ Sarcophagus marmoreus in Templo Vatic. 3. *a*. 17. *b*. 209. *a*. Probæ virtutes. 212. *a*. Sarcophagus repertus seculo XVII. aliòque translatus. 212. *b*. Ejusdem descriptio. *ibid.*
Probi Templum in Vaticano a Nicolao Papa V. dejectum. 109. *a*.
SS. Processi & Martiniani sacellum in Vat. Basilica. 108. *b*. A Richardo Card. Longolio dotatum. *ibid.*
Prophetæ cur Rotulos, seu Libros manu gestantes pingi soleant. 23. *b*.
Prosper Aquitanus S. Leoni M. a secretis. 71. *a*.
Pulcheriæ Augustæ Nummi Crucem præseferentes. 32. *a*.

R

Rachis Langobardorum Rex S. Zachariæ Papa pedes osculatur. 21. *b*.
Ravennatibus Presbyteris Mappularum usus interdictus. 121. *b*.
Raymundus Comes Tolosanus Albigensium fautor. 96. *a*. Principatu exuitur. *ibid.*
Raynaldus Card. Ursinus, ejus præclaræ dotes. 144. *b*. In Vat. Basilica tumulatur. *ibid.*
Regio prima Romana in Monte Aventino, & circa ipsum. 60. *b*.
Regio Sexsta Romana ejusque limites. 54. *b*. *& seq.*
Reliquiarum Translatio die Dominico facienda. 44. *b*.
Reliquiarum in Vat. Basilica asservatarum Tabula. 101. *a*.
S. Remigius Remensis Episcopus in Ecclesia tumulari testamento jubet. 51. *b*. 53. *a*.
Riccardus Cornubiæ Comes in Terram S. proficiscitur. 96. *b*.
Ritus consecrandi Altaria. 18. *a*. & *b*.
Roma quoad res ecclesiasticas in septem regiones olim partita fuit. 54. *a*.
Romani in reos extra Urbis mœnia solebant animadvertere. 194. *a*.
Romuli sepulchrum. 194. *b*.
Rota porphyretica in Vat. Basilica, quæ & ubi fuerit. 234. *a*.
de Rougemont Theobaldi sepulchrale Monumentum. 167. *a*. Ejus pro schismate extinguendo zelus, nec inutilis opera. *ibid.*

S

Salvantius Rom. Urbis Præfectus tempore Regis Athalarici. 65. *a*.
SS.mi Salvatoris imago in antiquo Atrio Basilicæ Vat. 22. *b*. Quonam postea fuerit apportata. *ibid.*
Sandaliis usos fuisse Apostolos constat. 188. *b*.
Sardinia annuum tributum ad Oratorium S. Gabinii mittere solebat. 11. *b*. 29. *b*.
Savinillæ epitaphium. 75. *b*.
Scocchius Paulus Antonius Pictor SS. Cosmæ & Damiani Altare picturis ornat. 31. *b*.

Schola

Schola Cantorum Romæ, ejusque officium. 54. *b*.
Scripturæ curnonnumquam Rotulæ nuncupatæ. 22.*b*.
Secretarium Vat. Basilicæ. 15. *a*. 44. *a*. Unionam esset. 34. *b*. 172. *a*.
Septinianum quid sit. 41. *b*.
Sepulchra apud Veteres sæpe in Templi formam constructa. 207. *a*.
Seraphim cur sex alis instructi proponi soleant. 5.*b*.
Sergius Papa I. S. Leonis M. corpus in Basilicam Vat. infert. 34. *b*. 44. *a*. Qua die facta fuerit translatio. 44. *b*. *& seq.*
Sergii Secundiceri R. E. corpus in Templum S. Petri inlatum. 53. *b*.
Severæ Martyris epitaphium. 75. *a*.
Siginulphus Beneventi Princeps Sergii II. Papæ pedes osculatur. 21. *b*.
Sigismundus Imperator Eugenii Papæ IV. pedes osculatur. 21. *b*.
Silvester Aldobrandinus Clement. VIII. pater. 99. *a*.
Simon Comes Montis fortis Albigenses persequitur. 96. *a*.
Simonis cum SS. Petro & Paulo certamen SS. Patrum testimonio comprobatum. 198. *b*. *& seq.*
Simplicius Papa Presbyterorum regionariorum Romanæ Urbis officia & Ecclesias designat. 55. *a*.
Sixtus Papa IV. Ciborium supra Altare S. Petri constituit. 27. *b*. 50. *b*. De origine Canonicorum Lateranensium, & FF. Heremitarum obortam controversiam satagit extinguere. 79. *a*. Nobile sacellum in Vat. Basilica erigit. 174. *a*. Et Ciborium in ara principe extruit. 188. *a*. Et duodecim Apostolorum marmoreis statuis ornat. 189. *a*.
Spiritus Sanctus sub adolescentis, aut viri forma minime depingendus. 4. *b*.
S. Stephani Catagalla patritia Monasterium propè Basilicam Vatic. 10. *b*. 12. *a*. 112. *a*.
Stephani Papæ III. Decretum de cultu SS. Imaginum. 12. *b*.
Stephanus Hungariæ Rex Benedicti Papæ VIII. pedes osculatur. 21. *b*.
Subdiaconi Regionarii Romæ instituti a S. Fabiano Papa. 54. *a*. Notariis Regionariis præerant. *ib.* Postea eorum numerus auctus. *ibid.*
Subdiaconorum Apostolicorum suppressum Collegium. 54. *b*.
Sudarium Christi in Vat. Basilica asservatum. 36.*b*. Eique dicatum Altare. 38. *a*. Rationes, quibus ejus existentia comprobatur. 39. *b*. 40. *a*. Bis absconditum, ne in barbarorum potestatem deveniret. 41. *a*. Ejusdem altaris monumenta nonnulla referuntur, & explicantur. 42. *a*.
Symmachus Papa Arelatensis Ecclesiæ Diaconis Dalmaticæ usum concedit. 133. *b*. Ejus innocentia vindicata. 193. *a*.
Synodi Romæ ad corpus B. Petri celebrari solebant. 14. *b*.

T

Tabula antiqua Reliquiarum, quæ in Vat. Basilica asservabantur. 101. *a*. 104. *a*.
Tabula quadrata ad caput Imaginum quid indigitet. 42. *a*.
Tacitus immanis Christianorum cædis sub Nerone meminit. 194. *a*.
Tarasius Patriarcha Constantinopol. Concilio General. VII. proponit Angelos pingi, atque cælari. 77. *b*.
de Thebaldescis Franciscus Cardinalis *de S. Petro*. 110. *a*. De Vat. Basilica optimè meritus. *ibid.*
S. Theodori imago sagitta a Saraceno percussa sanguinem fundit. 15. *b*.
Theodoricus Gothorum Rex Summum Pontificatum Felici IV. defert. 117. *b*.
Theodosius Imp. Romanæ Sedis jura in Illyrici Ecclesias violat. 60. *b*.
Theodosii Junioris Imp. Nummi Crucem præseferentes. 3. *a*.
Theodulphus Episcopus Aurelianensis, ne ullus in Ecclesia sepeliatur, prohibet. 53. *a*.
Theophilactus Rom. Ecclesiæ Diaconus tempore Zacchariæ Papæ. 13. *b*.
Thomas Peloponesi Despotes S. Thomæ Apostoli caput Romam defert. 82. *b*.
S. Thomæ sacellum in Vat. Basilica de Jurepatronatus Familiæ della Porta. 160. *b*.
Tiara pontificia quo tempore duabus, ac tribus Coronis ornari cœperit. 147. *b*. 148. *b*.
Trajectenses Episcopi Mitræ usu a Calisto Papa II. donati. 69. *a*.
Transmundus Vat. Basilicæ Præpositus. 58. *b*.
Tribuni voluptatum munus Romæ quale fuerit. 58. *a*.
Triburiensis Concilii lex de Cadaveribus in Ecclesia sepeliendis. 53. *a*.
Triclinium Leoninum quid præseferat. 24. *a*. 146. *a*.
Trinitas Sanctissima quibus formis exprimi possit. 4. *b*.
S. Trophi, seu Trophimi Reliquiæ in Basilica Vat. 102. *a*.
Trullana Synodus non agnum pro Christo, sed humanam Christi imaginem pingi mandat. 88. *a*.
Tudeschinus Augustinus Firmanæ Ecclesiæ administrator. 134. *b*.
Tudeschinus Franciscus, qui fuit Pius III. 133. *a*.

V

Valentiniani III. Imp. Nummi Crucem exhibentes. 3. *a*.
Varronæ Plotinæ Eitaphium. 75. *a*.
Vaticanæ Basilicæ Atrium ingredientes, cur Orientem versus orare consueverint. 22. *a*.
Vaticanum a S. Leone IV. muris circumdatum. 194. *a*.
Vel, pro *Et* medio ævo sæpius adhibitum. 13. *b*.
Ugo Lingles Eques Cyprius Romam cum Carola Regina venit. 99. *a*.
S. Victorinus Episcopus Amiternus. 75. *b*.

Vigi-

Vigilius Papa ut a Satellitibus se liberet, Columnas Basilicæ S.Petri in Hormisda amplectitur. 71. *b*.
de Villiers Joannes. 168. *b*. Ejus præclarè gesta, *ibid.* Et sepulchrale Monumentum. 169. *a*.
Virgines Christianæ *Jesu Christi Ancillæ* solebant appellari. 75. *a*.
Urbanus II. profecturos ad liberandam Terram S. Crucem vestibus adsuere mandat. 97. *b*.
Urbani VI. Sarcophagus, ejusque ornamenta, 145. *a*. & *seqq.*
Urbanus Papa VIII. Monumentum Comit. Mathildi in Vat. Basilica erigit. 92. *b*.
Ursinorum Familia duodecim sacella in veteri templo Vatic. erexit. 49. *a*.
Ursinus Jo. Cajetanus sacellum in Deiparæ honorem in Vat. Basilica excitat. 3. *a*. 49. *a*. Et alterum S.Blasio dicatum dotat ornatque. 179. *a*.
Ursinus Jordanus Card. Vat. Basilicæ Archipresbyter. 49. *a*. Sacellum a Jo. Cajetano Ursino erectum instaurat, ac dotat. 49. *b*. 50. *a*.
Ursinus Rainaldus Card. Vat. Basilicæ Archipresbyter, ejusque Imago marmori insculpta. 48. *b*.
Ursinus Vincentius Card. qui postea fuit Benedictus XIII., S. Leonis M. exuviarum delationi interest. 47. *b*.
Wangia eadem ac Wormatia. 115. *b*.
Wignacourt Alophius Hierosolymitani Ordinis Magister. 132. *a*.
Willielmus Episcopus Dunelmensis se in Capitulo suæ Cathedralis humari mandat. 52. *b*.

Z


S. ZAcharias Papa Concilium Romæ celebrat. 13. *b*.
Zacharias Rom. Ecclesiæ Diaconus tempore Gregorii Papæ III. 13. *a*.
Zacosta Petrus Raimundus Ord. Hierosolymitani Magister apud Paulum II. accusatur. 131. *a*. Romam venit ubi moritur. 121. *b*. Ejus funus & sepulchrum in Vat. Basilica. 132. *a*.
Zeno Baptista Card. 161. *a*. Vat. Basilicæ Archipresbyter, in qua sacellum erexit. 161. *b*.
Zenonis Imp. Nummi Crucem præseferentes. 3. *a*.
S. Zois martyrium. 195. *a*.
S. Zotici sacra ædes Romæ in Monte Palatino. 104. *a*. Eius Reliquiæ in Vat. Basilica. *ibid.*

F I N I S.

pag.	col.	lin.	ERRATA	CORRIGE.
1.	2.	4.	*contecta*	*contexta*
4.	1.	3.	finistrorum	finistrorsum
8.	nota	(*d*)	Actuar.	Auctar.
10.	1.	40	Scholastes	Scholiastes
13.	2.	8.	iisdemque	iidemque
18.	1.	14.	Antistites	Antistes
26.	2.	30.	Pontificis	Pontifices
27.	2.	pen.	abitu	ambitu
32.	2.	13.	qui Romani	quin Romani
40.	1.	38.	Getserum	Gretserum
42.	2.	8.	*quacumque eos*	*quacumque nos*
43.	1.	20.	eos	ii
52.	1.	33.	ducebat	ducebant
68.	1	16.	animadvertit	animadverterit
77.	2.	38.	Patriarcha Thessalonicensis	Patriarcha Constantinopolitanus è Joannis Episcopi &c.
83.	1.	46.	equitanes	equitantes
84.	2.	50.	apprehens	apprehendens
103	2.	13.	lapidicam	lapicidam
123.	2.	6.	Christianæ	Christinæ
126.	1.	29.	sella curali	sella curuli
148.	1.	14.	quoadam	quodam
149.	1.	1.	consultat	consulat
150.	2.	25.	rationem veronem cur	rationem vero cur
151.	2.	28.	reliquerit	reliquerit
153.	1.	7.	habet	habeat
159.	2.	35.	Præstantium	Præstantissimum
160.	2.	16.	MCCLCXIV.	MCCCCLXIV.
161.	1.	7.	versum	versuum
163.	1.	8.	admirabantur	admirabatur
ibid.		24.	Ecclesia	Ecclesiam
167.	1.	19.	ne quidem	ne vix quidem
170	2.	4.	commemorat	commemoratur
180.	1.	40.	Deus	Deum
188.	1.	26.	due affabræ	duæ affabrè
203.	1.	32.	ut epigraphe	ut in epigraphe
205.	2.	38.	velis, sacrificia	velis, indicantur sacrificia
407.	2.	37.	degnare	designare


TAB I

1



3

2




4

TAB. II.









TAB. III.

1

2

3

4

5

CONSTANTI LO
CVSQVIADVC COS
TAT



ROTHEOPHANIO SERGIOIORDAN
SEVIOHANNE ADSTANTIBVSQVOQVE DIA
CONIB·MOSCHOARCHIDIACONO ZACCHARIA
IOHANNE.THEOPHVLACTO ATQVEGEMMVLO
VELCVNCTOCLEROANTEFATVS DOMNVSGRE
GORIVSAPOSTOLICVS PAPADIX·TREDVCOAD
ANIMVM SCISSIMIFRATRESMEIQVALIAMIHI
ETQVANTAMIRABILITERXPS·DS·NOSTERCON
TVLERITBONAETQVOMODOMEINDIGNVMAD
TANTIAPICIS SVAPIETATE DIGNATVSFVERIT
EVOCARE ETSTVPESCONIHILALIVDVALENS·
RETRIBVEREPOTENTIAEEIVSNISISOLASAGE
RE GRATIAS ETINDESINENTIPRECEGLORIOSVM
EIVSCONLAVDARENOMENQVISENIMVTAIT
PROPHETALOQVATVRPOTENTIAS·DNI·AVDITAS
FACIATOMNESLAVDESEIVSVELQVIDRETRIBVAM
DNO.PROOMNIBVS QVERETRIBVITMIHICALICEM
SALVTARISACCIPIAMETNOMENDNI·INVOCABO

TRAES
GRECORIVS
APOSTOLICV
SCISSIMIINTEN
POSITIONIEAQVAEAN
QVORAMBEATIPETRIAPO
SVBINTERDICTVANATH
SCTISSIMIEPISCOPIETVENE
TERI·RESPONDERVNT·GRA
TERDICTVAPOSTOLICAE
HAECQVAESALVBRICONS
VISASVNTSTABILIRIDEB
QV·SAVDEATEXSISTERET
GRECORIVSSCISSIMVS ACB
TOLICVSPAPADIXITSIQV
PRIVILEGIIDEFINITIONEMVE
RIT·ANATHEMASIT·ETRES
NESTERTIOANATHEMAS
GRECORIVSGRATIADIEPIS
THOLICAEATQVEAPOST
BISROMAE·HVICPRIVILE

TAB. VI.









TAB. VII.



TAB. VIII.

1

EARVDINU MNPETMISERICORSD.
RIVMTER IVM·QVEM·TVA GRATIA·IVSSIT
ACMVS·AETERNAE BEATITVDINI ET CONSORTIO TVO
TOLICA·FIDE RELIGIONIS XPIANAE PRAEMIA VITAE AETER
CRI·CVM FIDELIBVS TVIS REPARES MANSIONEM P
DNE OBLATA SCIFICA ET ANIMAM·FAMVLI TVI·GREGOR
NDA ET PERPETVAE VITAE·FACIAS ESSE·PAR
E INDVLGENTIA·TVA ANIMAM FAMVLI TVI G
RPORIS·ET SANGVINIS·PARTICIPATIO SACR
AGNET ET SEMPITERNA·REDEMPTIONE MVN

2

+ BENEDICTVS PP XII
THOLOSANVS FECIT
FIERI·DE NOVO: TECTA
HVIVS·BASILICE: SVB: ANNO
DNI·M·CCC·XLI·

MAGISTER·
PAVLVS·DES
ENIS·[illegible]·

TAB. IX.









TAB · X ·












TAB. XI.


1



2



3




4



5





TAB. XII.

GENETR.DEI.MARIAE.A.GRE
GORIO.III.P.M.ANTE.POSITVM.
ET.DEDIC.INNOCENTIVS.VIII.
CIBO.GENVEN.P.M.LAVRENTIO.
NEP.S.CAECILIAE.PRESB.CARD.
BENEVENT.A.FVND.RENOVAND.
SVPR.Q.FERRVM.QVO.PATVIT.
LATVS.SALVATORIS.SANTIS
SVAE.MAIEST.BYZANTIO.MIS
SVM.A.MAX.TVRCAR.ADSER
VAND.RELIQVIT.A.D.M.CD.XCV.

TAB. XIII.



TAB. XIV.









TAB. XV.




EFFIGIES · BONIFACII · VIII · HVIVS
BASIL · ANTE · PONTIFICATVM
CANONICI · EX · SVO · SACELLO
HIC · REPOSITA · AN · MDCV
EIDEM · BASIL · CANONICOS · VIII
BENEFICIATOS · III · AVXIT ·
CLERICOS · VERO · BENEFIC
XX · DE NOVO · INSTITVIT
AN · MCCCI ·



TAB · XVI ·

+GREGORIO QVARTVS IACET HIC · BONIFACIVS ALMVS :
HVIVSQ SEDIS FVIT ÆQVVS RECTOR ET ÆDIS :
TEMPOREQ FOCÆ CERNENS TEMPLVM FORE ROMÆ
DELVBRA CVNCTORVM FVERANT QVO DEMONIORV :
HOC EXPVRGAVIT SANCTIS CVNCTISQ DICAVIT :
EIVS NATALIS SOLLEMPNIA QVI CELEBRATIS :
PRIMIS SEPTEMBRIS FERT HÆC LVX QVARTA KL DIS :
OCTAVVS TITVLO HOC BONIFATIVS OSSA REPERTA :
HAC LOCAT ERECTA BONIFATII NOMINIS ARA :



HICREQVIESCITCATELLVSNC
QVIVIXITANN P(MX DEP INPA
AVIENOIVN VC CON

† EMP ORBV
DN·HHDRAN
PRPREHICREQVA
DTASVMRLQV
ASSANCTORIN
MESE·NOBEBF
D·XXII·IND
SEPTIMABIN
HCLVSVRHIN
NTEGROQPI
SEPTINIAD



IOHANNIS S RY SCAE MARIAE







TAB. XIX

HIC·IACVERVNT·SACRA·CORPORA·SANCTORV̄·LEONV̄·PRĪI
ATĒPORE·SERGII·I·II·III·ET·IIII·ATEMPORE·PASCHALIS·I
VSQVE·AD S·D·N·PAVLVM·V·PONT·MAX·CVIVS·IVSSV·
PᴿOCESSIONE SOĪNI·TRANSLATA·FVERVNT·ETINALTARE·DIPARÆ
VIRGINIS·IN·COLVMNA·HVIVS·SACRI·TEMPLI·HONORIFICE
RECONDITA·DOMINICA·INFRA·OCTAVAM
ASCENSIONIS XXVII·MAII·NNO·M·DC·VII·

HIC·IACVERVNT·CORPORA·SS·PONT·
LEONVM·I·II·III·ET·IIIĪ·VSQVE·AD
AN·MDC VIĪ
AD·ALTARE·DEIPARAE·VIRGINIS·IN
COLVMNA·HVIVS·BASII·PAVLI·V·P·M·
IVSSV·SOLEMNITER·TRANSLATA·



TAB XX.



TAB. XXII.



TAB. XXIII.

✝ FL·MAXIMOVCCON
CONCESSVMLOCVMPE
ROMEEXTRB VOLVPT
ETCONIVGIEIVS IOHAN
PAPAHORMISDAETTRA
PRAEPSTBASCBEATIPETR

LOC DVLCITIETEVTICHITIS·NOT·ECCL·ROM·Q·CP·RBR
+LOCVSPETRI·SVBDIACONI·SANCTE
ECCLESIAEROMANEREGPRIMAE
QVEMCONPARAVITS SEBIVVM





BENEDICTVS XIII P·M· ORD· PRÆD·
IN HOC AVITO VRSINORVM SACELLO SANCTÆ MARIÆ PRÆGNANTIVM NVNCVPATO
CVM ARAM DIE XIX IANVARII ANNO MDCCXXVII SOLEMNI RITV DEO DICASSET
MVSIVVM IOTTI OPVS VETVSTATE FATISCENS
NE PIORVM OSSA IN EO CONDITA PER HIANTES RIMAS EXCIDERENT
NOVO ELEGANTIORI MVSIVO SVPER INDVCTO COMMVNIVIT ORNAVITQVE
ANNO MDCCXXVIII·PONT·IV·

1

CINGEBANTLATICESMONTEMTENEROQVEMEATV
CORPORAMVLTORVMCINERESATQVEOSSARIGABANT
NONTVLITHOCDAMASVSCOMMVNILEGESEPVLTOS
POSTREQVIEMTRISTESITERVMPERSOLVEREPOENAS
PROTINVSADGRESSVSMAGNVMSVPERARELABOREM
AGGERISINMENSIDEIECITCVLMINAMONTIS
INTIMASOLLICITESCRVTATVSVISCERATERRAE
SICCAVITTOTVMQVIDQVIDMADEFECERATHVMOR
INVENITFONTEMPRAEBETQVIDONASALVTIS
HAECCVRAVITMERCVRIVSLEVITAFIDELIS ~

2

APER·AVGGG·FL·EVTHERIOSVOSALVT

PRAECIPVOCVNCTORVMPLANEESTTENENDACONSENSV
NOFASDVCIMVSVELCVLTIBVSVTVLLADEPEREATPRAEROGA
N LVDEREADQVEINSVLTARERELIQVIISPRAEDIVMPRO
SACRISCERTVMESTMINISTERIISADQVEMISTERIIS
M SAEPTACONSVRGERENTVERVMETIAMPAVPERVM
CIVGITERDIVINACOMMVNITERADQVEHVMANA
DEMCONSTITVTAPOSSESSIOEXPERIATVREMPTORES
QVEPERPETVAMPRAETERVENERABILESCVLTVSVLLA
MVNIENDISFIDESADQVEREVERENTIAPERENNIS
ESTATEPERPETVACERTVMESTESSEVENERABILEM
CVSTODIAM DATA·DIE PRIDIAE·KAL·MAIAS
CC·CONSS

PROSB

TAB. XXVIII.





TAB. XXIX











TAB. XXX.










TAB. XXXI.











TAB. XXXII.
1
2
3
4







TAB. XXXIII.

TAB. XXXIV.











nAI
D ĀSU
O AĪÆ M
IIGG PP OI
EA QVÆ NAI
DCQ: IVRE ADM
VAILL A QÆ NVLĀ
DICTEP MA NV DNI G
ROGAVI · SED QA CRI
NTIOME ANDV BIV REVOCE
RA PSENTIDE DONOETOF
NAT ET LEGATI EIVSD ROMANA
BONA MEA TA QVÆ NCHABEO

TAB. XXXVI.

L X T N E E L

O TEDIV INPRIMA V VISIONE VID

TENENTE IN MANV VIRGA ET ERANT

O TRES EX VNA PARTE ET TRES EX ALIA PARTE

REANTE EV STATI VENT TRE CANES QVI

CI PETRI ET ASCENDER SVP ARMO MEO ET LIN

N COLLV MEV EX VNA PARTE ET ALTER EX ALTE

E ETT CIV INT DVO ARMO ET EGO CADEBA I NT

VE SIGNAVIT ME ET SCS PETRV DEDIT M PANE

I M I ET AIT M VADE · FVIT AVT SCDA VISIO

N PORTICV ANTE PORTA SCE MARIE VIDI

MERABILE PVERO LVDENTE INT

ADPINNA QVE E IN

MI ... TE



TAB. XXXVII.

1

ORVM
BARBVS
SACRO SANCTI
·MARCI·PRESBIT
ENTINVS IBI EX
VM·STATVIT·INE I
IFICIS·MAXIMI·PRES
VNCVLI·SVI PIENTISS
TI·MILLESIMO·CCCC

2

+ hIC·IACET·AMAVRICVS·COMES·MONT | IS FORTIS FRANCIE CONNESTABILIS
CONTRA ALBIGENSES F FIDE CATHOLICA SE | PIVS DIMICAVIT·POSTEA CŌTRA SARRACENOS AD F
TESSIRIE TRANSFRETAVIT·A QVIBVS | IN BELLO CAPTVS FVIT ET DIV INC
PTIVITATE DEDENTVS·TANDEM F TRE | VNGAM LIBERATVS DVM REDIRET·AD FFRIAA
VDIDRONTVM EXPIRAVIT AÑO DÑI | MILLESIMO CCXLI



S M TRANSTIB PRESB
CARD MEDIOL LEGATO
AVENION
POSIT AN SAL MCCCC
LXXXIIII XI KAL NOVEMB

KAROLA HIERLM
CIPRI·ET·ARMENIE
REGINA

OBIIT·XVI·IVLII·AN·
D·MCCCCLXXXVII·



TAB. XXXIX.


S LVCII PP
ENII · PBI
VSANTHI · ET
ONIS · SCA II PI
RINI · S · MILITI
R TRORI ET CALOCE
ZEFFERINI PAP. ET
TARSICII S IPPOLVTI
SCR QVIRIACI · LARCI
SMARAGDI ET ARCHELAI
S CORCONII ET ALIORV
SCR QVOR NOMDS SCT
S · IANVARII · SCR · XXV
SCR PAMPHYLI ET PAVLI
SCR PROIECTI ET SEDER
CR OPTATI ET POLVCAM
DIONYSII PP. SNE MESII DC
SCAR DARIÆ ET HILARIAE
SCAR NEMMIÆ ET IVLIAN
S CAR ARTHEMIÆ CONCRD
S CAR SOFIÆ R STIS · HELRS ET
ACAPÆ SCE CONCHILIÆ E
TRIFONIÆ · SEV · CYRILLA
SCR · STERANI SILVESTR



TAB. XL.

SEL
S CALO
S ZOTICU
S EVTYCHI
VS EVANGEL
S OLYMPICU
IUS EPICTETU
S MATER
ILIUS EUTYC

SPONDERA CARNIS
SVL HICSVAMATERH
IC QVIDDEPVLVERESV
EDDIDIT OSSA
EVERATSVPERAET
VITIBVS QVD
ISICARV
VSI




INSTINCTV PIETATIS HANC DEI EIVSQ
GENITRICIS IMAGINEM QVAM IOTTVS PIN
XIT EX HVIVS SACRATISS TEMPLI RVINIS
DISIECTA ERIPVIT ATQ IN HVNC LOCEL
LVM SIC TOTV E Æ ORNATVLVM NICO
LAVS ACCIAIOLVS I V CONS PATRITIVS QVE
FLOREN PARITERQ EX PRIVILEGIO OLIM
ABAVO EIVS CONCESSO INSIGNI EQVITI
DONATO ACCIAIOLO HVIVS ALME VRBIS
TVC SENATORI ROMANVS CIVIS POSVIT
SIBI POSTERISQ SVIS SEDENTE PAVLO
III PONT MAX MDXL III

TAB. XLII.

MCREDIT IVSTISPERSAECVLAFACTIS
ERETQVAEMEAVITATVLIT
TAEGIREVOLVTISFASTIBVSANNOS
NVIPIGNORADOMITIO
SEDEMCHRISTOFAMVLATAREVISO
MERITIS PRAEMIAPVLCHRAPARAT
LVCTVSGEMITVMDEPONEMARITE
NESCITQVIDOMI IVMTIMVIT

VS SACRE BASILICE
CONSTANTIEN QVI
TVS OB·SVAS VIRTVTES AC MERI
S VENERANDOQVESENATVI CARISS
DE·INSIGNI DE PATRIA ET·RO· ECC
XIT· AN·LXIII·M·VIII·D·I·OBIIT·AN· S·

I· NOMEN RICHARDO PATRIA TOCHA FVIT
ENTVS · DOCTIS PRESIDIVM SVBSIDIVMQ BONIS





FRANCISCVS·DE·THEBALDESCIS
ROM·TT·S·SABINAE PRESB·
CARDIN PRIOR·ET CANONIC·
HVIVS·BASIL·IN QVA·TRES
CLERICOS·BENEFICIATOS DE
SVO · AVXIT
OBIIT VI SEPTEMBRIS · AN·
M CCC LXXXVIII·



TAB. XLIV.

L DOMO·PI JDOLO MO
IVRA SACERDOTIS MERITIS IMPLEVIT HONORIS :
ARELIQVIS PRIMVM DIGNVS HABERE LOCVM :
SPV̄I VIXIT · CARNI PROSTERNERE DIXIT :
QVOD ⊕ SIBI CAVIT · NON OBIIT SED ABIT :
ERGO TVI TEMPLI LONGAEVVS VERNVLAMENTI :
SIT PIE PETRE TIBI · DICITE · CORDE PII :
DEC · XIII · KAL · APR · ANN · DN̄I · M · XLIIII :






DEPS·FELIX DIACVIDVS·MARTIAS·
THEODOSIO·XV· ET·PLD ·VALENTINIANO IIII
·AA·VV·CC·CON· SS·

OT TO
SECVNDVS
IMPERATOR
AVGVSTVS

+HIC QVEM CLAVDIT HVMVS·OCVLIS VULTVQ: DECORVM·
+PAPA FVIT· QVINTVS NOMINE GREGORIVS·
+ANTE TAMEN BRVNO·FRANCORVM REGIA PROLES·
+FILIVS OTTONIS DE GENITRICE IVDITH·
+LINGVA TEVTONICVS VUANGIA DOCTVS IN VRBE·
+SED IVVENIS CATHEDRAM SEDIT APOSTOLICAM·
+AD BINOS ANNOS·ET MENSES CIRCITER OCTO·
+TER SENOS FEBRVO CONNVMERANTE DIES·
+PAVPERIBVS DIVES·PER SINGVLA SABBATA VESTES.
+DIVISIT NVMERO CAVTVS APOSTOLICO·
+VSVS FRANCISCA VVLGARI ET VOCE LATINA·
+INSTITVIT POPVLOS ELOQVIO TRIPLICI
+TERTIVS OTTO SIBI·PETRI COMMISIT OVILE·
+COGNATIS MANIBVS VNCTVS IN IMPERIVM·
+EXVIT ET POSTQVAM TERRENAE VINCVLA CARNIS
+AEQVIVOCI DEXTRO SVBSTITVIT LATERI·
DISCESSIT·XII KAL' MART·






TAB. XLVII.










TAB. XLVIII.

1



2







TAB. XLIX.

PIVS PAPA II









TAB. L.




PETRO RAYMVNDO ZACOSTÆ HISPANIA CITE
RIORI ORIVNDO HIEROSOLYMITANI HOSPITALIS MAGISTRO
QVI GENERALI CAPITVLO PAVLI II IVSSV ROMÆ ABSOLVTO
LXIIII ÆTATIS SVÆ ANN·VITA FVNCTVS EST
CONSILIO PIETATE ARMIS INCLITO
HOC MONVMENTVM RELIGIONIS DECRETO·PATRI B·M·
POSITVM



FRAN PICOLOMINEVS CAR SENENSIS PII II
PONT MAX NEPOS ·VIVENS HIC ADAVVNCVLI
SANCTISS PEDES SEPVLCHRVM SIBI ET AVGVS
NEPOTI POSVIT CAPELLAM Q HANC ORNAVIT
AC PROPRIO AERE DOTAVIT
VIXIT ANNIS MENS DIEB

TAB. LI.


1



2

BENEDICTVS · CAETANVS
SS · COSMAE · ET · DAM ·
DIACONVS · CARDIN ·
BONIFACII · VIII · PM ·
NEPOS
OBIIT · IDIBVS · DECEMB ·
AN · MCC · XCVI ·


TAB. LII.




BONE·MEMOR
IE·DNS PETRVS·SABINEN·EPS·AVINIONEN MORTVUS ET AD BASILICAM ISTAM DELATUS SEPULTUS A DPE DES DNI
SVI IN PAC ·ORA·ANNO DO
MINI·M·CCC·XI·XIIII·DIE ME

A

TAB. LIII.








HICSITASVNTQVINTINICOLAIANTISTITIS OSSA ✠
AVREA QVIDEDERATSAECVLAROMATIBI ✠
CONSILIO ILLVSTRIS·VIRTVTE ILLVSTRIOROMNI
EXCOLVIT DOCTOS DOCTIOR IPSE VIROS ✠
ABSTVLITERROREM QVO SCHISMA INFECERATORBEM ✠
RESTITVIT MORES·MOENIA·TEMPLA·DOMOS ✠
TVMBERNARDINOSTATVIT SVASACRA SENENSI
SANCTAIOBELEI TEMPORA DVM CELEBRAT ✠
CINXIT HONORE CAPVT FRIDERICIETCONIVGISAVREO ✠
RES ITALAS ICTO FOEDERE COMPOSVIT ✠
ATTICA ROMANAE COMPLVRA VOLVMINA LINGVAE ✠
PRODIDITEN TVMVLO FVNDITE THVRA SACRO ✠



TAB. LIV.









PAVLVS·II·VENETVS PONT·MAX·E VETVSTA BARBORVM FAMILIA,PRAECLA
RIS NATVRAE DOTIB·AVVNCVLO EVGENIO·IIII·NON INFERIOR·IVSTITIAE
PIETATIS DIVINAR·QVE CERIMONIAR·CVLTOR RELIGIOSISS·ECCLESIASTICAE
LIBERTATIS MAIESTATISQVE DEFENSOR CONSTANTISS·PRAECIPVO PACIS SER
VANDAE STVDIO,ET SINGVLARI OMNIS GENERIS MVNERVM ABSTINENTIA FOR
MIDANDA ETIAM LEGE MAGISTRATIB·INDICTA CLARISS·IN PRINCI
PES MVNIFICENTIA,IN PAVPERES MISERICORDIA INSIGNIS PATRIO A
MORE ANNONAE COPIAM VRBI DEDIT·PATRIMONIVM BEATI PETRI,ERRATIS POPV
LOR·INDVLGENTISS·PARENTIS AFFECTV EMENDATIS,ET CONSERVAVIT,ET AVXIT
FVRENTES ARMIS HAERETICOS REPRESSIT·ET QVOD PER DIFFICILEM RERTEM
POR·VE CONDITIONEM EFFICI CVM DIGNITATE NON POTERAT,MATVRA
CVNCTATIONE SALVBERRIME DISPOSVIT·V·A·LIII·M·V·D·III·S·A·VI·M·X·D·XXVI




IVLIO III

NICOLAVS·PAPA·TERTIVS
VRSINVS
RAINALDVS·CARD·VRSINVS
RAINALDVS·VRSINVS·SANCTI
HADRIANI·DIAC·CARD·HVIVS
BASIL·VATIC·ARCHIPRESB.

TAB. LVI.







HIC IACET VRBANVS VI PONT OPT MAX









TAB·LVII·



INNOCENTIO·VII·PONTIFICI·MAXIMO·QVVM
NEGLECTI·EIVS·SEPVLCRI·MEMORIA·PENE·INTERISSET
NICOL·V·PONT·MAX·INSTAVRARI·HOC·CVRAVIT



TAB. LVIII.



MARCELLVS · II · CERVINVS · POLI
TIANVS · PONT · MAX · SEDIT · DIES · XXII
VIXIT ANNOS · LIV · OBIIT KL · MAII · MDLV













ORTVS IN HESPERIA PRESVL DIGNISSIMVS ORIS
FONSECHA DE PROLE PETRVS LVX GLORIA MAGNI
SANGVINIS ET PATRII SVPEREXALTATOR HONORIS
HIC IACET A SACRO TITVLVM MICHAELE RECEPIT
CARDINEVM CVIVS SAPIENTIA CLARVIT ALTAS
IN LAVDES SENSATI ANIMI MIRABILIS ISTE
DOCTOR ERAT DIVINA COLENS ET AMATOR HONESTI
MENTE PIVS RECTI PRVDENS MODERATOR ET QVI
VENIT AMARA DIES QVA DIRA SINCOPA MORTIS
HEV PATREM HVNC RAPVIT DOMINI LABENTIBVS ANIS
MILLE QVADRINGENTIS BIS DENIS ATQ DVOBVS
DVM VICENA DIES AVGVSTI PANDERET ASTRA
SPIRITVS IN CELO TECVM SACER ANGELE VIVAT





TAB. LX.






·HIC·DELA·PORTA·IACET·MEDICINA·VTROQV
·IVRE·TEÑES·PRIMVM·DOCTOR·IN ORBE·LOCV
·PRIMV·ET·ORABAT·PER·CONSISTORIA·CAVAS
·IVSTICIAM·SVMMA·RELIGIONE·COLENS
·POST·AD CARDINEVM·MERITO·EXALTAV
·HONOREM:··
·INTER·APOSTOLICOS·SEDIT·ET·IPSE·PATRES
·TALEM·ROMA·TIBI·LOMBARDA·NVRIA·MISIT
·INSIGNEM·GENERIS·NOBILITATE·VIVM ·:·
QVI·OBIIT·AÑO·DÑI·MCCCCXXXIIII
DI·VIIII·APRILIS:·




TAB. LXI.

1





BAPTISTA·ZENVS
VENETVS·CAR
DINALIS·S̄·MARI
AE·IN PORTICV
MCCCCLXXXIIII

2



SEDENTE XYSTO·IIII·PONT·MAX·
BERARDO·HERVLO·NARNIEN·EPO·SABIN·S·R·E·CARD·SPOLETIN·
PONTIFICII·CIVILISQVE·IVRIS SVMMO INTERPRAETI·IVSTITIAE
RELIGIONIS CVLTORI SINGVLARI INTEGRITATE CVNCTIS EXIMIIS
RO·CVR·MVNERIB·FVNCTO·ABSTINENTIA·SEVERITATE INSIGNI
HVMANAE VITAE EXEMPL·A PIO II PONT·MAX·CARDINALI OB
VIRTVTEM CREATO·CAETERIS PONTIFICIB·AC PATRIB·AEQVE CARO
CONSTANTINVS·EPS SPOLETIN·AVVNCVLO·B·M·P·
ANNVM AGENS LXX·COMMVNI OMNIVM BONORVM MOERORE IMMORTALI DE SE
APVD POSTEROS FAMA RELICTA DECESSIT·III·NON·APR·AN·SAL·MCCCCLXXVIIII·
EXITVS VITAE SIMILIS





1

IOHANNI PODII EPOBO



NONIESI · IVR·CONS·DOCT

2



D O M

IOANNI BAPTISTÆ BENEDICTO
CAMERTI EQVITI. D. PETRI COMITI. O
PALATINO PAVLI III. PON. MAX DOMESTICO
QVI OBIT AN. SAL. HVM. M. DLXVI. VIII
IDVS APR. ÆTATIS SVÆ LXVII. M.V.D.I.
CAROLVS EIVSQ NEPOTES FRI ET PATRVO
CARISS POSS.

3



D O M
FR. BAN. PICOL
ARCHIEP. SENEN
VT IN BASE. B. ANDREAE
OSSA
HIC RESVRRECTIONEM
EXPECTANT



D · O · M
AGNESINÆ COLVMNÆ CAETANÆ
SINGVLARI
PVDICITIAE PRVDENTIAE RELIGIONIS
EXEMPLO
FELICI FECVNDITATE INSIGNI








HONORATVS CAETANVS
CONIVGI KARISSIMAE
CVM QVA IIXX
ANN·VNO ANIMO VIXIT
POS·
VIXIT ANNOS XL·
OBIIT VI KALEN MAII
MDLXXVIII




TAB. LXV.






1



2



TAB. LXVII.

1







TAB LXVIII·

ARDICINO DELA PORTA ARDICINI CARD·
NEPOTI EP̄O ALERĒN·IVR·VTR·PERITISS·
CONCILIATORI MATHIAE VNGAR REGIS CV̄
FRIDERICO·III·AVG·GRĀRVM IVSTICIAEQ·
REFERENDARIO ET SIGNATORI SEDENTE
XĪSTO·IIII·AC INNOCĒTIO·VIII·ET AB HOC
SPONTE OBMERITA PRESB·CARD·ELECTO
QVI VIX·AN·LVIII·DECES·SVB ALEXANDRO
·VI·AB SALVTE·N̄R·M·CCCCLXXXXIII·
PRID·NON·FEBR·
DOMESTICI CLIĒTES HAEREDES SACELLO OR
NATO MONIMENT·HERO·RARI EXĒPLI POS





TAB·LXIX.


1



2



3




TAB·LXX.
2
1
3

TAB. LXXI.





TAB. LXXII.









TAB. LXXIV.

1




2



3






TAB. LXXV.





1



2



3

DIVO·ANDREAE·
D·N·IESV CHRISTI
APOSTOLO·S·PETRI·
GERMANO·GENTIS·
·PICCOLOMINEAE·
PATRONO

FRAN·PICCOLOMINEVS
ARCHIEP·SENEN·PII·III·
PRONEPOS·CVM·HIC·SIBI
INFRA·STATVAM·DIVO·
SVIS·SVMPTIBVS·POSITAM
LOCVM·AD·SEPVLTVRAM
ELEGISSET·EIVSQ·TVTE
LAE·ANIMAM·SVAM·COM
MENDATAM·ESSE·CVPERET
DD

ANNO·SAL·MDLXX·
AETATIS VERO SVAE
AN·LXV



TAB. LXXVII.

1



2



3



4



5



TAB. LXXI.





TAB. LXXII.

1



2



3



TAB. LXXIII.
















TAB. LXXIV.
1
2
3

TAB. LXXV.







TAB·LXXVI.

1



2



3

DIVO·ANDREAE·
D·N·IESV CHRISTI
APOSTOLO·S·PETRI
GERMANO·GENTIS·
·PICCOLOMINEAE·
PATRONO

FRAN·PICCOLOMINEVS
ARCHIEP·SENEN·PII III·
PRONEPOS·CVM HIC·SIBI
INFRA·STATVAM·DIVO·
SVIS·SVMPTIBVS·POSITAM
LOCVM·AD SEPVLTVRAM
ELEGISSET·EIVSQ·TVTE
LAE·ANIMAM·SVAM·COM
MENDATAM·ESSE·CVPERET
DD

ANNO·SAL·MDLXX·
AETATIS VERO SVAE
AN·LXV



TAB. LXXVII.












TAB. LXXVIII.
1
2
3
4
5
6




TAB·LXXIX.

1



2 3






TAB. LXXX.

1




2



TAB. LXXXI



TAB·LXXXII·





TAB. LXXXIII.

